UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

urn:nbn:de:hbz:466:1-63032

Visual Library

M Ph. 4818.
1
2c 19

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NOTITIA CONGREGATIONUM ET TRIBUNALIUM CURIÆ ROMANÆ.

AUCTORE
HUNOLDO PLETTENBERGIO
Societatis JESU.

Collegii Soc. Iesu Paderborn
Anno 1710.

HILDESII,
Typis JOAN. LEONARDI SCHLEGELII
Episc. & Summi Capituli Typogr.
M. DC. LXXXXIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
PRINCIPI
HERMANNO
WERNERO
EPISCOPO PADER-
BORNENSI S. R. I.
PRINCIPI,
COMITI PYRMONTANO, CA-
THEDRALIS ECCLESIÆ
HILDESIENSIS
PRÆPOSITO.

QUisquis se cum Socrate mundi hujus incolam, & civem arbitratur, solos ex omnibus æstimare, &

colere debet illos, qui virtutibus ſuis, & rebus præclarè geſtis benè de hoc mundo,& humanâ Rep. merentur. Virtute namque præditus generis humani decus eſt, & lumen, qui non ſolum ſibi, ſed Orbi etiam univerſo complurium affert utilitatum copiam. Eſt enim Virtus, teſte Tullio, *l.* 1. *Academ. quæſt. perfectio naturæ, & rerum omnium una res optima*, atque ut Plautus ait in Amphitryone:

Virtus omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona,
Quem penes eſt Virtus.

Cum ergo, PRINCEPS CELSISSIME, Cœlum & Natura tot tantaque in Te congeſſerint ornamenta: Generis

neris nimirum nobilitatem, gravitatem morum, Sermonis comitatem, affabilitatemque, aciem ingenii, maturitatem judicii, honorum & Dignitatum titulos, aliaque plurima, ob quæ laudibus quam maximè celebrandus, & ſummè obſervandus eſſes; Eminet tamen, & his omnibus decorem addit Virtutum tuarum dignitas, & ſplendor eximius, qui intuentium Te oculos animosque perſtringit, & totos in Tui cultum & admirationem rapit.

Quare commendent alii ſempiternæ gloriæ Illuſtriſſimam Generis Tui proſapiam, ex qua jam ante annos ſexcentos Illuſtres Haſſiæ To-

parchiæ progeniti, ac deinceps diversis in locis, arcibus, ac Dominiis Satrapæ, Præfecti, & prima quævis Officia palatina administrantes; Ex qua prognati Electorum, & Principum Consiliarii Intimi, & supremi Aularum Moderatores; Heroës quoque bello in Hungaria contra Turcas, & in Germania nostra contra Heterodoxos clarissimi; Ex qua demum electa sunt in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus diversis, prima Capitulorum Capita, Præpositi, & Decani, adeo ut nuperrimè admirata sit nostra hæc ætas se quatuor omnino Fratres ex Illustrissima hac WOLF-METTER-

TERNICHIORUM Familia uno eodemque tempore, nescio an aliquo exemplo, ad totidem Dignitates Decanales in summis, & antiquissimis Germaniæ Ecclesiis evectos conspexisse; Te videlicet CELSISSIME PRINCEPS Paderbornæ, Fratrem alterum Moguntiæ, tertium Spiræ, & quartum denique Osnabrugi.

Suspiciant alii sublimium Dignitatum Tuarum ornamenta, & infulam, quibus certatim visæ sunt Ecclesiæ Cathedrales Hildesiensis hæc, & Paderbornensis Virtutes Tuas voluisse coronare. Me sanè plus afficiunt ipsæ illæ Virtutes, quæ Te ad hoc honorum

norum fastigium sine omni ambitu provexerunt. Quanta enim ambitione contendunt sæpe numero alii ad Prælaturas, & Dignitates aditum sibi aperire, tanto Tu studio & contentione, raro modestiæ documento, easdem declinasti, ut conquisitis etiam rationibus inducendus fueris ad aliquam boni publici causâ acceptandam. In iis porrò Dignitatibus, quibus licet perinvitus passus es Virtutum Tuarum merita condecorari, quanta cum integritate, qua prudentia, qua fide & industriâ munia Tibi commissa sustinuisti? Certè Prælaturæ illæ non tam contulisse Tibi honorem,

quam

quam à Te splendorem accepisse visæ sunt; Fuit enimvero,, cum Decanus Ecclesiæ Cathedrali ad Paderam præesses, vita Tua exemplar clarissimum cæteris in eadem Æde Clericis ad imitandum expositum. Moribus Tuis exprimebas ea omnia, quæ in cæteris expressa esse oportebat; Vigiliis Tuis aliorum in Ecclesia majore præsentiam fermè indies præveniebas, & si quos subinde è Clero Officii sui immemores, & negligentiores animadverteres, quam suaviter, quam fortiter ad suas quemque partes attrahere noveras?

Jam vero postquam in Antistitem Diœcesis omnium Or-

Ordinum applauſu, & communi lætitia electus es, PRINCEPS CELSISSIME, qua ſollicitudine, qua prudentiâ provides Eccleſiæ dignitati ſimul, & ſubditorum utilitati? Quam jucunda eſt Diœceſis iſtius facies, à quo Te in throno Epiſcopali conſpicit? Qua comitate omnes Te adeuntes excipis, & audis? Nemo, qui ſupplex ad thronum Tuum accedit, repulſam timet, niſi qui cauſæ ſuæ diffidit æquitati. Non eſt, qui acerbis ſe gravari queritur exactionibus; Non premuntur ſubditi, ut res Tuæ vel Tuorum augeantur. Nec equidem alienis opibus ditari quæris, qui ſponte etiam à ſub-

subditis oblata respuis. Quam mirifica porro charitate Tuas in egenos piosque usus opes distribuis? Nemo unus perditum se calamitate & miseriis existimat, cum norint omnes, quem Pastorem sequantur, quem Patrem ament, & quem Principem venerentur; Idcirco una prope omnium subditorum vox est, cum HERMANNO WERNERO Episcopo suo novam Patriæ suæ felicitatem ortam, quæ ut occumbat quam tardissimè, omnium pariter votum est, ut vita illius ævi sit longissimi, regatque in seros annos feliciter Princeps ille, qui totus consecratus est, inauguratusque VIRTUTI.

Hæc

Hæc est, DOMINE CLEMENTISSIME Magnes ille, qui animum meum, & hunc libellum ad se allicit trahitque; Præterquam quod multiplici nexu obstrictus sim ob Beneficia in me collata, ut hos Tibi labores, & ingenii mei qualescunque fructus offeram. Patere proinde REVERENDISSIME PRÆSUL, PRINCEPS CELSISSIME, splendorem Illustrissimi Nominis Tui lucere in fronte hujus, quem demississimè offero, libelli; Excipe æquo placidoque, quo soles, animo & vultu viliſſimum hoc munusculum eum in finem Tibi destina-

ſtinatum, ut ſit obſervantiæ meæ tributum, & ſubmiſſiſſimæ venerationis monumentum. Vale diu, & Rege feliciter.

Hildeſii 25. Januarii
1693.

CELSITUDINIS TUÆ

Infimus Servus

Hunoldus Plettenbergius.

LECTORI.

QUemadmodum olim Ethnica Roma fuit Regina mundi, ita etiamnum Christiana Caput est Orbis terrarum, & inter omnes Urbes principatum tenet; Est namque juxta S. Athanasium Serm. ad solit. vit. agentes. Metropolis Orbis Christiani, & Thronus Apostolicus, Sedesque Vicarii Christi, ac Successoris Petri, hoc est, Pontificis Romani. Hic imperium suum dilatavit longè ultra fines, quos in terraqueo globo descripserant sibi olim victoriis suis antiqui Romani, cum subjectos habeat pedo & Sceptro suo Spiri-

Spirituali omnes, qui Christum adorant, totius Orbis incolas, adeo ut primi etiam mundi Monarchæ non dedignentur capita sua coronata ad osculum Sanctissimorum illius pedum demittere, ab eodem responsa expectare, ejusque legibus, monitis, & consiliis tanquam filii obsequentes, & fideles obtemperare. Quare cum universus penè Orbis terrarum supplex quotidie à Romano Pontifice tanquam supremo in terris Legislatore, ac Judice Rescripta postulet, isque solus per se omnibus satisfacere, & responsa cuique dare non possit, varii instituti sunt Senatus, Congregationes, & Tribunalia, quæ illum sub hoc immenso negotiorum onere pressum sublevent,

vent, eique opportuno consilio, & opera quotidiana assistant. Horum vero Judiciorum & Tribunalium auctoritate Ponticiâ in Urbe institutorum ob rerum causarumque multitudinem tantus est numerus, ut immoderata prorsus eorum turba videatur, quæ exteri vix computare, nedum perspicere possunt, & Curiales, priusquam stylum eorum & rem ipsam addiscant, teste Vestrio Viro in Curiâ Romanâ versatissimo, senescere soleant. Quare cum ad prælum pararem Introductionem ad Jus Canonicum, in qua quæstionem institueram, an decreta quarundam Congregationum Cardinalium, & decisiones aliquorum Tribunalium jus face-

rent

rent universale, quod omnes in Orbe fideles obligaret, additâ succinctâ earundem Congregationum, & Tribunalium descriptione, auctores mihi fuerunt quidam ex amicis, & adhortati sunt, ut omnium in Urbe Judiciorum, & celebriorum Conventuum formam rudi meo calamo aliquo saltem modo adumbrarem, ut ex hac descriptione, tanquam ex umbratili imagine rem ipsam colligere quodammodo possint ij, qui harum Congregationum, & Tribunalium vel nullam, vel exiguam habent cognitionem. Parui horum voluntati, & consilio, atque hanc, quam exhibeo, Notitiam ex probatis auctoribus congessi, quæ ob oculos ponit Congregationum,

& Tribunalium Romæ institutorum originem, formam & finem, ut non solum Tyrones, & ii, qui in Curiâ Romanâ negotia expediri cupiunt, exploratiorem in eâ reperiant viam, quæ cæteroquin inextricabili cuidam Labyrintho etiam à longo usu exercitatis comparari solet, sed etiam ut cæteri Judices & Magistratus normam videant Tribunalium illius Urbis, quæ domicilium est Legum, ut inquit Sidonius l. 1. Epist. 6. & illius Curiæ, quæ Mater est, & Magistra cæterarum Curiarum, cujusmodi ab omnibus Orthodoxis recipitur, & honoratur. Gonzalez ad Reg. Cancel. glos. 13. §. 1. n. 12. Nihil vero, quod ad praxin & usum Congregationum

num & Tribunalium illorum ſpectat, hic adducam, quod deſumptum non ſit, vel ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum, vel ex Auctoribus in Curiâ Romanâ variisque Congregationibus plurimum verſatis, vel etiam ex libris in Urbe impreſſis, aut approbatis. Cuncta inſuper in hoc opere contenta, judicio & correctioni S. Matris Eccleſiæ Sedisque Apoſtolicæ, adjunctâ proteſtatione, de qua in c. Hæc eſt fides. 24. q. 1. *animo lubentiſſimo ſubmitto.*

IN-

INDEX CAPITUM ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT I. De S. R. E. Cardinalibus. pag. 1.
§. 1. De nomine Cardinalis p. 2.
§. 2. De Institutione Cardinalium. 4
§. 3. De qualitatibus Cardinalium. 10
§. 4. De numero Cardinal. 12
§. 5. De distinctione Cardin. 14
§. 6. De Ecclesiis & Titulis Cardinalium. 21
§. 7. De vestitu Cardinalium. 29
§. 8. De Cardinalium dignitate, Officiis, & honorum Titulis. 36
§. 9. De Privilegiis Cardin. 39
§. 10. De sacro Collegio Cardinalium. 43
§. 11. De Legatis & Nunciis Sedis Apostolicæ. 50

CAP.

CAP II. De Conclavi & Electione Summi Pontificis. 60
§. 1. De forma eligendi Papam sæpè variata. 61
§. 2. De iis, quæ ante electionem Pontificis obſervantur. 70
§. 3. De Structura conclavis. 76
§. 4. De Exequiis defuncti Pontificis, iisque quæ ante clauſuram Conclavis fiunt. 79
§. 5. De ingreſſu in Conclave; De clauſura, iisque quæ electioni præmittuntur; De qualitate eligentium, & eligendorum. 82
§. 6. De tribus modis eligendi Pontificem & de ejus electione. 94
CAP. III. De Conſiſtoriis. 127
§. 1. De Conſiſtoriis ſecretis. 127
§. 2. De Conſiſtoriis publicis. 150
CAP. IV. De Tribunali Vicarii S. Pontificis 160
CAP. V. De ſacra Pœnitentiaria 169
§. 1. De Majori Pœnitentiario ejusque munere. 169
§. 2. De cæteris Officialibus S. Pœnitentiariæ. 179

CAP. VI. Methodus recurrendi ad S. Pœnitentiariam ejusque literas exequendi. 185
Pars I. De modo scribendi & recurrendi ad S. Pœnitent. 186
Pars II. De modo legendi & intelligendi Literas S. pœnitentiariæ. 190
§. 1. Modus legendi Literas S. Pœnitentiariæ. 190
§. 2. Modus intelligendi Literas S. Pœnitenriar. 198
§. 3. Quæ præmittenda à Confessario executioni Literarum S. pœnitentiariæ. 20[illegible]
Pars III. De formulis votorũ 20[illegible]
§. 1. Modus exequendi Literas dilationis voti Religionis. 21
§. 2. De Transgressione voti Religionis. 21[illegible]
§. 3. De Transgressione voti castitatis. 21[illegible]
§. 4. De Commutatione voti Religionis. 22[illegible]
§. 5. De commutatione voti Castitatis. 22[illegible]
§. 6. De commutatione voti simpli-

plicis castitatis, & Religionis simul. 228
§. 7. De commutatione votorum peregrinationis. 229
Pars IV. De Dispensationibus Matrimonialibus. 230
§. 1. Quædam communia omnibus dispensationibus Matrimonialibus. 230
§. 2. De dispensatione super impedimento occulto affinitatis. 234
§. 3. Formula Literarum S. Pœnit. dispensationis super impedimẽto primi gradus ex copula illicita proveniente ad remanẽdũ, seu de contracto. 239
§. 4. De formula absolutionis, & dispensationis Literarũ, quæ expediuntur pro iis, qui impetrata dispensatione super impedimento publico, tacuerunt impedimentum occultũ. 244
§. 5. Formula dispensationis de contracto super impedimento reticito in Dataria. 247
§. 6. Formula dispensationis pro Consanguineis vel affinibus,
qui

qui ignorantes gradum prohibitum matrimonium contraxernnt publicationibus in Ecclesia factis. 249
§. 7. Formula pro iis, qui præcedente adulterio & fide data, matrimonium contrahere desiderant. 253
§. 8. Pro eo, qui Consanguineam Uxoris sive in primo, sive in secundo gradu cognovit. 255
Pars V. De formulis absolutionũ, dispensationũ, rehabilitationũ, & fructuũ condonationũ. 258
§. 1. Prænotãda in hac mater. 258
§. 2. De absolutione ab injectione publica manuum violentarum in Clericum pro non valente accedere ad Urbem. 259
§. 3. Formula Literarum pro eo, qui ad Urbem pro absolutione ab excommunicatione incursa ob manus violentas injectas in Clericũ accessit, & absolutus ad Ordinariũ mittitur. 266
§. 4. Formula, qua datur facultas Confessariis absolvẽdi Percussorẽ, aut Occisorẽ Clerici. 286
§. 5.

§. 5. Formula Literarum directarum ad Confessarium ad absolvendum Clerici percussorem. 271
§. 6. De formulis absolutionum à Censuris, & simul dispensationũ super irregularitate. 273
§. 7. De Literis dispensationis ab Irregularitate provenientе ex defectu occulto Nataliũ. 279
§. 8. De Literis rehabilitationum. 280
§. 9. Formula rehabilitationis ad Beneficia obtinenda. 283
§. 10. De fructuum male perceptorum ex Beneficiis Ecclesiasticis condonatione. 285
Pars VI. De formulis Absolutionum, & Dispensationum in utroque foro pro Regularibus, & ingredi volentibus Religionem. 287
§. 1. De formula pro eo, qui homicidio cõmisso Religionem ingredi desiderat. 288
§. 2. Formula pro Religioso censuris Ecclesiasticis innodato, & irregularitate ex violatione

cen-

Censurarũ irretito pro utroq; foro in factis publicis. 291
CAP. VII. De Signatura gratiæ. 296
CAP. VIII. De Signatura Justit. 302
CAP. IX. De Dataria. 314
CAP. X. De Cancellaria Apostolica. 329
§. 1. De Cancellario, seu Vice-Cancellario. 329
§. 2. De reliquis Officialibus Cancellariæ. 340
§. 3. De Protonotariis 348
§. 4. Ordo expeditionis Literarum. 354
§. 5. De Monetarum valore in curia Romana. 366
§. 6. De Auditorio Contradictarum. 371
CAP. XI. De Regulis Cancellariæ, earumque origine & auctoritate. 376
CAP. XII. Regulæ Cancellariæ Innocentii XII. brevibus notis inspersæ. 386
CAP. XIII. De Secretaria Apostolica. 495
CAP. XIV. De Camera Apostolica. 511
§. 1.

§. 1. De Tribunali Cameræ Apostolicæ. 511
§. 2. De Cardinali Camerario. 519
§. 3. De Auditore cameræ. 527
§. 4. De Gubernatore Urbis Romanæ. 536
§. 5. De Thesaurario generali. 543
§. 6. De præside Cameræ. 547
§. 7. De Advocato pauperũ. 549
§. 8. De procuratore pauperũ. 551
§. 9. De Advocato Fiscali. 552
§. 10. De procuratore fisci, & ejus Substitutis. 555
§. 11. De Commissario Cameræ Apostolicæ. 558
§. 12. De Clericis Cameræ Apostolicæ. 561
§. 13. praxis & Ordo, qui in negotiis proponendis, & discutiendis in Camera Apostolica servatur. 564
§. 14. De Expeditione Literarum Beneficialium per Cameram. 571
CAP. XV. De Rota Romana. 577
De Auditoribus Rotæ. 580
De Advocatis & procuratoribus Rotæ Romanæ. 586
De

De Notariis Auditorum Rotæ Romanæ. 588
De Rotæ decisionibus. 589
CAP. XVI. De Congregatione S. Officii, seu Tribunalis universalis inquisitionis. 593
§. 1. De origine sacrorum Inquisitorum. 593
§. 2. De Qualitatibus Inquisitorum. 600
§. 3. De Officio Inquisitorũ. 604
§. 4. De privilegiis Inquisitorum. 607
§. 5. De reliquis Ministris S. Officii. 610
De Vicario generali S. officii. 610
De Consultoribus. 611
De Qualificatoribus propositionum. 612
De Advocato Fiscali. 612
De Advocato, & procuratore Reorum in S. Officio. 613
De Vicariis Foraneis S. Officii. 615
De Notario S. Officii. 615
De Thesaurario S. Officii. 616
De familiaribus armatis S. Officii. 617
De

De Custode Carcerum S. Officii. 618
§. 6. De Tribunali universalis Inquitionis. 618
CAP. XVII. Praxis Inquisitorum S. Officii. 625
§. 1. Præliminaria de obligatione & modis denunciandi Hæreticos. 625
§. 2. De Methodo Juridica conficiendi processus in Tribunalibus S. Officii. 630
Art. 1. De recipiendis denunciationibus. 630
Art. 2. Forma recipiendi denunciationem. 632
Art. 3. An per literas fieri possit denunciatio. 636
Art. 4. Formula recipiendi confessionem sponte comparentis de se ipso testificantis. 638
Art. 5. De Examinatione Testium. 641
Art. 6. Post receptam denunciationem, & Testes examinatos instituitur consultatio. 644
Art. 7. De deliberatione super citatione reali, & captura. 648
Art. 8. Capturâ decretâ datur mandatum de capiendo. 650
Art. 9. De ordine in custodiendis carceratis observando 653
Art. 10. De prima audientia, ad quam incarcerati vocantur. 655
Art.

Art. 11. De secunda reorum Audientia. 660
Art. 12. Forma interrogandi reos, quando in primo, & secundo examine recusant dicere veritatem. 662
Art. 13. Formula interrogandi Testes examinatos ad effectum declarandi eorum dubias propositiones. 664
Art. 14. Ante causæ expeditionem quid faciendum Inquisitori. 665
Art. 15. Articulorum contra reum productio. 670
Art. 16. De publicatione processus. 675
Art. 17. De sententiæ pronunciatione. 675
CAP. XVIII. De sacra Congregatione Cardinalium S. Concilii Trid. interpretum 679
§. 1. Institutio & facultas hujus Congregationis. 679
§. 2. An Declarationes hujus Concilii habeant vim legis universalis. 683
CAP. XIX. De Congregatione super negotiis Episcoporum & Regularium. 694
CAP. XX. De Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ. 702
CAP. XXI. De Congregatione Rituum. 706
CAP. XXII. De Congregatione pro Indice librorum prohibitorum. 712
CAP. XXIII. De Congregatione Examinis Episcoporum. 718
CAP. XXIV. De Congregatione Fabricæ. 722
CAP. XXV. De Congregatione super statu Regularium. 730
CAP. XXVI. De Congregatione de propaganda fide Catholica. 733
CAP. XXVII. De Congregatione Indulgentiis, & sacris reliquiis præposita. 737
CAP. XXVIII. De Congregatione Visitationis Apostolicæ. 738
CAP. XXIX. De Congregatione pro erectione Eccle-

Ecclesiarum, & provisionibus Consistorialibus. 743
CAP. XXX. De Congregatione pro consultationibus negotiorum status Ecclesiastici, quæ Consulta dicitur. 745
CAP. XXXI. De Congregatione super bono Regimine communitatum status Ecclesiastici 749
CAP. XXXII. De Congregatione pro status Ecclesiastici gravaminibus sublevandis. 754
CAP. XXXIII. De Congregatione Cardinalium pro universitate Studii Romani. 756
CAP. XXXIV. De Congregatione pro ubertate annonæ status Ecclesiastici. 759
CAP. XXXV. De Congregatione pro ubertate Grasciæ Urbis. 763
CAP. XXXVI. De Congregatione pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis. 766
CAP. XXXVII. De Congregatione pro Typographia Vaticana. 679
CAP. XXXVIII. De Congregatione super Re monetaria. 771
CAP. XXXIX. De Congregatione super negotiis Baronũ status Ecclesiastici, & Montium. 772
CAP. XL. De Congregatione Visitationis Carceratorum. 776
CAP. XLI. De Congregatione super confinibus status Ecclesiastici. 782
CAP. XLII. De Foro Capitolino, seu Judicio Senatoris, & Conservatorum Urbis. 785

Ap-

Approbatio R. P. Provincialis.

EGo infrascriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à P. N. P. THYRSO GONZALEZ Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandati permitto ***Notitiam Congregationum, & Tribunalium Curiæ Romanæ à P. Hunoldo Plettenberg Societatis ejusdem Sacerdote conscriptam,*** à deputatis ad id Censoribus ejusdem Societatis lectam & approbatam. In cujus rei fidem has literas manu propriâ, consuetoque officii Sigillo munitas dedi. Hildesii die 6. Octob. Anno 1692.

(L.S.) HENRICUS VVEISVVEILER.

COPIA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm ex Mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis ac aliis quibuscunque liberam negotiationem exercentibus serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut inposterum edendos, intra sacri Romani Imperii Regnorum, & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili aliovè charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte, excudere, recudere, vel aliò excudendos seu recudendos mittere, aut ibi etiam impressos abducere, vendere & distrahere, clam seu palam, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat.

Ego HENRICUS VVEISVVEILER Soc. JESU per Rheni inferioris Provinciam Præpositꝙ Provincialis concedo Joanni Leonardo Schlegelio Episc. & Summi Capituli Typographo facultatem excudendi librum, cui titulus: ***Notitia Congregationum, & Tribunalium Curiæ Romanæ*** à P Hunoldo Plettenberg Societatis ejusdem Sacerdote conscripta. In quorum fidem hoc ei testimonium subscriptũ, & Sigillo munitum dedi. Hildesii die 6. Oct. 1692. (L.S.) Henricus VVeisvveiler.

NOTITIA CONGREGATIONUM ET TRIBUNALIUM CURIÆ ROMANÆ.

CAPUT I.

De S. R. E. Cardinalibus.

CUm primus maximusque in Urbe & Orbe Senatus sit Sanctum & Apostolicum Collegium Cardinalium, cumque iidem purpurati Patres præcipuarum Congregationum sint Capita summorumque Tribunalium in Curia Romana Præsides, aut certè nobilissima istorum membra, quibus ipse Pontifex Maximus in persona præsidet; Visum est nonnulla hic de Cardinalibus præmittere, ex quibus plenior hauriri possit notitia Curiæ Romanæ, & Tribunalium, quæ in ea sunt instituta.

§. I.

De nomine Cardinalium.

1. & 2. *Cardinales à cardine dicti.*
3. *Præcipui in Clero Cardinales appellati.*
4. *Cardinalis nomen à loco ad Personas derivatum.*
5. *Quo tempore nomen Cardinalis inventum.*

1.

Dicuntur Cardinales à cardine. Cardo est axis, circa quem res aliqua volvitur regiturque; Sic cœli cardines dicuntur duo poli, circa quos immobiliter fixos, cœli machina rotatur. Ostii cardo est, in quo illud vertitur & regitur. Cardo quoque dicitur præcipuum, & summa rei. Hoc sensu S. Augustinus *l. 1. de Bapt. c. 6.* primarios Donatistarum Cardinales vocavit, & S. Ambrosius *lib. 5. in Luc.* præcipuas virtutes Cardinales dixit.

2. Utrâque acceptione Purpurati à cardine nomen *Cardinalis* trahunt; *Nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur*, inquit Eugenius IV. *Constit. Non mediocri.* Sunt etiam præcipui, qui Papæ in Ecclesia universali gubernanda

nanda assistunt. c *Fundamenta* §. *decet de elect. in* 6. Dignitates enim Episcopales & Archi-Episcopales *privatæ unius patriæ præsunt utilitati, ista* Cardinalium dignitas *publicæ totius populi Christiani: illæ unam duntaxat regunt Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica, universas,* ait idem Eugenius IV. *l. c.*

3. Hinc olim primarii & principales in Clero *Cardinales* dicebantur; Ita Episcopus & Clericus Cardinalis. *c. In nomine Domini dist.* 23. Sacerdos Cardinalis. *c. Ministerium de offic. Archipresb.* Presbyter & Diaconus Cardinalis *c. Præsul.* 2. *q.* 5. id est Archi-Presbyter & Archi-Diaconus: in ea nimirum Ecclesia, in qua plures Presbyteri & Diaconi reperiebantur, vel qui Ecclesiis præficiebantur, quæ cæteris Principaliores erant; nominabantur, *Azor. p.* 2. *Inst. l.* 4. *c.* 1.

4. Ex quo colligitur à loco derivatum esse nomen Cardinalis ad personas, prout clare quoque constat ex Concilio Meldensi *Can.* 54. sic statuente. *Ut titulos Cardinales in urbibus, vel suburbiis constitutos Episcopus Canonicè ordinet & disponat.* Idemque habetur ex Joanne Diacono in vita S. Gregorii *lib.* 3. *c.* 11.

ubi sic ait: *Cardinales violenter in paræciis forensibus ordinatos Gregorius in pristinum cardinem revocavit.* Ubi cardinem vocat Titulum seu Ecclesiam Cardinalem.

5. A S. Sylvestro Cardinalis nomen inventum esse creditur, cum ante illius tempora nulla hujus vocabuli mentio in monumentis, aut literis reperiatur. Primùm enim istius meminit sexta Synodus Romana anno 315. post conversionem Constantini sub Sylvestro celebrata. Quod nomen deinde eisdem Ecclesiæ Prælatis attribuit Gelasius Papa, & refertur *in c. Presbyteri* 24. *dist.* ac sæpius Gregorius I. *c. Relatio & seq. c. Pastoralis.* 7. *q.* 1. & deinceps Stephanus IV. *c. Oportebat. & seq. dist.* 79. Nicolaus II. *c. In nomine Domini dist.* 23. aliisque.

§. 2.

De Institutione Cardinalium.

1. *Figura Cardinalium fuerunt Sacerdotes Levitici Ordinis.*
2. *Cardinales instituti sunt exemplo Apostolorum.*
3. *Et jure Divino.*
4. *Qui olim constituti sint, & ad quid.*
5. *Post Constantinum M. crevit eorum honor & dignitas.*

6. *Ac-*

6. *Acceperunt in commendam Beneficia.*
7. *Promoti ad Episcopatum vacabat Cardinalatus.*
8. *Deindè retinebant solum nomen.*
9. *Postmodum etiam Titulum Cardinalatus.*
10. *Non tamen Episcopi antea consecrati admittebant Cardinalatum.*
11. *Postea etiam prensabant.*
12. *Et in commendam quoque accipiebant Episcopatus.*
13. *Creantur Cardinales à Summo Pontifice.*
14. *Ex omni Natione.*
15. *Super eorum promotione non sunt faciendæ Sponsiones.*

I.

FIguram & typum Cardinalium tenuisse Sacerdotes Levitici generis innuit Innocentius III. *in c. Pervenerabilem, qui fil. sint legit.* dicens: *Sunt autem Sacerdotes Levitici generis Fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione Sacerdotalis officii coadjutores existunt.*

2. Instituti verò sunt Cardinales exemplo Apostolorum, qui Christo Domino in terris tanquam Pontifici assistere videbantur. *Jacobat. de Concil. l. 1. n. 252.* Hinc eos Dominus *Fratres* suos appellat, *Matt. ult.* in tentationibus *Socios.*

Luc. 22. & *amicos*, quibus arcana communicaret. *Joan.* 15. *v.* 15. Post Christi ascensionem iidem Petro assistebant in administrandâ Ecclesiâ, sic *Act. c.* 15. legimus Jerosolymis *Apostolos & Seniores* convocasse, quibuscum de proposita legalium quæstione deliberavit. Apostolis verò dispersis per Orbem terrarum & fungentibus munere Episcoporum, Petrus sibi alios Coadjutores adscivit *c. si Petrus* 8. *q.* 1. diciturque viginti quasi Senatores Romanæ Ecclesiæ ex Presbyteris & Diaconis Urbis Romanæ instituisse ad instar 24 Seniorum qui supra thronos in conspectu DEI sederunt *Apocal. cap.* 4. quos inter præcipui fuerunt Cletus, Linus, & Clemens. *cit. c. si Petrus. Barb. Jur. Eccl l.* 1. *c.* 3.

3. Ex his deducitur, Cardinales, ut sunt Summi Pontificis Adjutores & Consiliarii, Jure divino esse institutos, licet nomen, officium, Dignitas, & numerus eorum, distinctio Titulorum, aliaque privilegia, quibus Cardinales gaudent, jure humano & à Summis Pontificibus sint inducta. *Azor. p.* 2. *l.* 4. *c.* 1.

4. Ante tempora Constantini Magni instituebantur soli Presbyteri pro officiis eorum, qui posteà Cardinales dicti sunt; Habebant verò curam Baptismi & sepultu-

turæ fidelium, ut constat ex Anastasio Bibliothecario in vita Marcelli Papæ, assistebant Pontifici, & fungebantur officio Legatorum; In cæteris pares omnino erant reliquis Presbyteris.

5. Post Constantinum M. majorem aliis Presbyteris assecuti sunt Cardinales honoris & dignitatis prærogativam; Cessante enim persecutione in Ecclesiâ, deposuerunt curam particularem Baptismatis & sepulturæ, solo Legatorum munere functi sunt, & jurisdictionem exercuerunt in Presbyteros & Clericos suarum Parochiarum; Cumque ex eorum numero ordinariè eligerentur Pontifices, plurimum exinde crevit dignitas & auctoritas illorum.

6. Quare cum proventus Titulorum non sufficerent ad competentem eorum sustentationem, cœperunt in commendam accipere beneficia simplicia, Canonicatus, Archi-presbyteratus & similia.

7. Quod si quis in Episcopum eligeretur, eo ipso vacabat dignitas Cardinalitia tanquam inferior, & quod hæc incompatibilis censeretur cum Epicopatu, quandoquidem Episcopi in suis Ecclesiis residere, Cardinales vero Romano Pontifici assistere tenentur.

8. Post

8. Postmodum vero promoti ad Episcopatum retinuerunt primùm ex gratia nomen Cardinalitium relinquendo Titulum Presbyterii, solumque dicti sunt: *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales*, vel: *Cardinales in Ecclesia DEI.*

9. Deindè sub Alexandro III. cum viderent Cardinalatum gradum esse ad Papatum, & jus tribuere ad eligendum Pontificem, retinuerunt cum Episcopatu & nomen & Titulum Cardinalis.

10. Nemo tamen, qui ante Episcopus consecratus esset, assumebatur ad Cardinalatum usque ad tempora Clementis V. ut refert Jo. Andreas. *in c. Cum aliquibus, de rescrip. in 6.* cum putarent per hoc descensum fieri ad gradum inferiorem.

11. At successu temporis cum Episcopi quoque ambirent dignitatem Cardinalitiam, repertus est modus Avinione, quo Sedes Apostolica translata erat, ut fierent etiam & dicerentur Cardinales alii Episcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi.

12. Dabantur quoque Cardinalibus in Commendam Episcopatus & Abbatiæ, & licet alias major fuerit dignitas Episcopi, quam Cardinalis, ut colligitur ex sexta Synodo Romana, & *ex cap. Cum Apostolus 6. de censibus*, præcedere cœperunt car-

Cardinales etiam non Episcopi ipsos Episcopos, cum jam pluris æstimaretur esse Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, quam esse Episcopum.

13. Creantur Cardinales à solo Summo Pontifice, ita ut eos nec collegium Cardinalium, nec Concilium generale, nisi forte auctoritate Papæ cum hujusmodi facultate congregatum sit, creare possit. *Barb. l. 1. Jur. Eccl. c. 3. n. 12.*

14. Eligendi vero sunt idonei ex omnibus Nationibus Christianitatis, quantum commodè fieri poterit. *Trid. Sess. 24. de reform. c. 1.* tum ut Pontifex melius Regnorum & Provinciarum notitiam ab iis haurire possit. *Sixtus V. Const. 50. Postquam §. 11.* tum ut quævis Natio suum habeat in Curia Patrem tutelarem & Protectorem. *Barb. l. c. n. 13.*

15. Super Cardinalium promotione nullæ fieri possunt sponsiones seu excommissæ, si quid in excommissis deductum fuerit, piis locis applicandum est, Ecclesiasticisque Personis excommissas facientibus pœna privationis beneficiorum imponitur à Gregorio XIV. *Const. 4. Cogit*, & tam illis, quam aliis huic Constitutioni contravenientibus excommunicationis pœna ab eodem infligitur.

§. 3.

§. 3.

De qualitatibus Cardinalium.

Cardinales debent esse 1. *Legitime nati.*

2. *Non infames.*

3. *Docti ac Probi.*

4. *Clerici in* 4. *Minoribus saltem constituti.*

5. *Non habeant Prolem, vel ex eâ Nepotem.*

6. *Non habeant Fratrem vel Patruelem viventem, qui sit Cardinalis.*

7. *Nec Nepotem ex Fratre vel Sorore, nec Patruum aut Avunculum viventem in Collegio Cardinal.*

8. *Habeant qualitates requisitas in Episcopo.*

9. *Non sint bigami.*

10. *Sint minimum quatuor insignes Theologi ex Regularium ordinibus assumpti in eorum Collegio.*

SEcundum constitutionem 50. Sixti V. *Postquam* requiruntur variæ qualitates in iis, qui ad Cardinalatus dignitatem assumuntur.

1. Ut legitimis & honestis sint exorti natalibus, adeò ut Illegitimi etiam per subsequens matrimonium legitimati, aut super defectu natalium auctoritate Apostolica dispensationem consecuti, inhabiles sint ad Cardinalatum.

2. Ne sint aliçujus criminis, aut infamiæ

miæ nota reſperſi, nec defectum habeant, ob quem ſine diſpenſatione ad ſacros Ordines promoveri non poſſint.

3. Doctrina, vitæ probitate aliisque qualitatibus à jure requiſitis ſint præditi.

4. Clericali etiam charactere inſigniti, & in 4. Minoribus ordinibus conſtituti per annum ſaltem ante promotionem habitum & tonſuram geſtaſſe tenentur.

5. Si Filiam vel Filium etiam ex Legitimo matrimonio, vel ex iis Nepotem habeant, promoveri non poſſunt ad Cardinalatum.

6. Frater, etiam ex uno Parente Germanus, vel Patruelis, Conſobrinus aut Amitinus alicujus Cardinalis viventis, Cardinalis eſſe non poteſt.

7. Patruus aut Avunculus Nepotis ex Fratre vel Sorore Cardinalis viventis, atque etiam Nepos Patrui vel Avunculi prohibetur aſſumi ad Cardinalatum.

8. Juxta Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *de reform. c.* 1. Ea omnia & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus ſunt conſtituta, etiam in creatione S. R. E. Cardinalium exiguntur.

9. Ad Cardinalatus celſitudinem non ſolent

solent quoque bigami promoveri. *Azor. p. 2. l. 6. c. 7. 4. ult.*

10. Inter cæteros verò Cardinales, præter egregios utriusque juris aut Decretorum Doctores, esse minimum debent quatuor insignes Viri in sacra Theologia Magistri præsertim ex Regularibus & Mendicantium Ordinibus assumendi. *Sixtus V. cit. Const. 50. Postquam. §. 9.*

§. 4.

De numero Cardinalium.

1. *Cardinalium numerus in jure non est determinatus.*
2. *Olim putantur fuisse tantum duodecim.*
3. *Deindè viginti octo vel plures.*
4. *Postmodum eorum numerus valdè imminutus fuit.*
5. *At à tempore Bonifacii VIII. iterum crescere cœpit.*
6. *Quem demum Sixtus V. definivit, ut non excederet septuagesimum.*
7. *Postea Clemens VIII. Septuaginta duas Ecclesias & Titulos Cardinalium designavit.*

1.

CArdinalium numerus in jure determinatus non reperitur, sed in arbitrio Summi Pontificis perspecta Ecclesiæ necessitate residet.

2. Olim

2. Olim, ut nonnulli tradunt duodecim juxta numerum Apostolorum fuerunt. *Vestrius l. 1. c. 1.* Quorum personas repræsentant, *Sixtus V. Const. 50. Postquam.*

3. Deinde post Leonem I. usque ad Honorium II. viginti & octo Cardinales Presbyteros nec plures, nec pauciores fuisse refert Quintanad. *Ecclesiasticon lib. 4. num. 108.* Forte ob rationem quam adducit Onuphrius in opusculo de Cardinalibus, ubi ait: *Erant ab antiquo tempore Romanæ quatuordecim Regiones, & quamvis tunc fortassis singulis Regionibus singuli Presbyteri præficerentur, crescente tamen numero Christianorum, vel plures Ecclesiæ in singulis Regionibus erectæ sunt, vel duo in unaquaque Regione Presbyteri sunt constituti, ac propterea facti sunt viginti octo Tituli.* Quamvis Plato *de Cardinalis dignitate & offic. c. 2.* affirmet fuisse tres & quinquaginta usque ad tempora Honorii II.

4. Exinde hic ordo & numerus minui cœpit, forsitan ob Schismata & seditiones, quæ ex Cardinalium, ad quos Pontificis Romani creatio jam delata erat, mul-

multitudine in comitiis Pontificalibus oriebantur; adeo quidem, ut cum Nicolaus II. Pontifex renunciaretur, octo tantum Cardinales fuerint, quatuor Presbyteri & totidem Diaconi. *Quintanad. l. c.* & subinde usq; ad Nicolai III. electionem septem tantum Cardinales extitisse, vacantesque Titulos vel ab Archi-Presbytero vel ab alio Cardinali Pontificis jussu administratos esse tradit Plato *l. c.*

5. Ab eo vero tempore rursus reflorescere, & augeri cœpit numerus, ita ut certum sit Bonifacio VIII. sedente Cardinales fuisse viginti, & tempore Sixti IV. supra triginta, quem numerum Alexander VI. ad quinquagesimum perduxit. At cum Leo X. una vice unum & triginta creasset, numerus ad sexagesimum quintum ascendit, cui Paulus IV. institutis novis Cardinalium titulis quinque adjecit, ut fuerint simul in vivis Cardinales omnino septuaginta, quem numerum deinde usque ad sextum supra septuagesimum Pius IV. extendit. *Epo. l. 1. de regal. in benef. Eccles. n. 191.*

6. Verum Sixtus V. *dicta Const. 50. Postquam verus* numerum septuagesimum definivit exemplo 70. Seniorum, quos Dominus *Num.* 11. Moysi adjunxit ad onus Populi simul sustentandum adeò, ut

ut si unum vel plures in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem aut pronunciari contigerit, hujusmodi electionem nullam, irritam & inanem fore & censendam esse decreverit. Non tamen hic numerus necessario semper æquandus est, si pauciores ad omnia munera peragenda pares sint. *Paleot. de sac. Consist. p. 4. 4. 1. lit. A.*

7. Hoc numero septuagesimo definito à Sixto V. designavit postea Clemens VIII. septuaginta duas Ecclesias, Titulos & Diaconias S. R. E. Cardinalium, prout infra dicetur, & Archidiac. *in c. ubi periculum de elect. in 6.* aliique existimant è re fore Christianæ Reip. si nunquam major habeatur numerus Cardinalium duobus & septuaginta, qui fuit numerus Discipulorum Domini.

§. 5.

De distinctione Cardinalium.

1. *Cardinales in tres ordines distinguuntur.*
2. *Qui non est Diaconus non fert suffragium.*
3. *Cardinales Episcopi consecrabant quidem Pontificem.*
4. *Sed olim non eligebant.*
5. *Neque ipsi eligebantur.*

6. Dia-

6. *Diaconi in primitiva Ecclesia fuerunt septem curam Eleemosynarum & redituum habentes.*
7. *Quibus adjuncti sunt alii septem adjutores Presbyterorum Cardinalium in Titulis eorum.*
8. *Et hi Cardinales Diaconi dicti.*
9. *Qui deinde quatuordecim constituti sunt.*
10. *Et ministrabant Pontifici.*
11. *Nomenque Cardinalium habebant à Regionibus, quibus præerant.*
12. *His postea adjuncti quatuor Palatini dicti.*
13. *Ac deinde plures à diversis Pontificibus.*
14. *Sed Sixtus V. contraxit numerum ad decimum quartum.*
15. *Qui omnes prærogativas Cardinalium habent.*
16. *Quæ præcedentia observetur inter Cardinales Episcopos, Presbyteros & Diaconos.*

1.

GRadus & ordo Cardinalium triplex est, alii enim sunt Episcopi Cardinales, alii Presbyteri, alii Diaconi. *Eugenius IV. Const.* 15. §. 5.

2. Ideo qui saltem Diaconus non fuerit in Congregationibus Cardinalium, præsertim cum de eligendo Pontifice tractatur, suffragium ferre non potest. *Clem. Ut ii qui* §. *Illi* 20. *de ætat. & qualit.* Cui tamen Constitutioni derogare solent Pontifices, cum Cardinales creant. Atq;

in

potestate Romani Pontificis etiam Laicos non conjugatos in Cardinales assumere, qui postea Clerici ordinentur. *Barbosa.* aut juxta Const. 50. Sixti V. qui quatuor solum minoribus sunt insigniti.

3. De Episcopis Cardinalibus diximus supra, circa quod tempus primum instituti sint. Consecrabant quidem Pontificem Romanum Episcopi septem ejusdem Suffraganei & Urbi Romanæ finitimi, nimirum: Ostiensis, Portuensis, S. Ruffinæ, Tusculanus, Prænestinus, Sabinensis, Albanensis & dicebantur ante Leonis IX. tempora *Cardinales Episcopi*, hoc est Primarii, sivè Principales Episcopi, eo quod essent cæteris Episcopis celebriores & insigniores;

4. Sed ad electionem novi Pontificis non admittebantur, cui primum tanquam Electores intervenerunt tempore Alexandri III. *Barb. l.* 1. *Jur. Eccl. c.* 3. *n.* 45. *Lunador. in Relat.*

5. Neque etiam ante annum 891. electus fuit in Summum Pontificem alterius Diœcesis Episcopus, quod prin sæculis prohibita esset, & inconvenie judicaretur translatio Præsulis de ur in alterum Episcopatum; Primus fu Formosus Episcopus Portuanus, qui translatus & evectus est ad sedem Ro-

manam, nam antea eligebatur Pontifex ex Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, ut notavit Onuphrius *in annot. ad Platinam in vitâ Formosi.*

6. De Presbyteris Cardinalibus actum est superius, de Diaconis hic dicendum. Quemadmodum septem instituti sunt Diaconi ab Apostolis; ita septem permanserunt in primitiva Ecclesia usque ad tempora Constantini M. quorum primus Archi-Diaconus dicebatur; Omnes verò septem curam habebant Eleemosynarum & redituum Ecclesiæ, quos colligebant Subdiaconi, ipsi verò asservabant eos, & ex præscripto inter Clericos Cardinales Presbyteros, & Summum Pontificem distribuebant.

7. Postea cessante persecutione à tempore Constantini Imp. cum non sufficerent septem illi Diaconi, adjuncti sunt alii septem Diaconi Presbyteris Cardinalibus, qui eos adjuvarent & curam haberent redituum Ecclesiæ in Titulis eorum & Regionibus Urbis; Cum autem Regiones fuerint quatuordecim singuli in duabus Regionibus serviebant.

8. Et omnes hi septem *Cardinales Diaconi* dicebantur, ita ut Diaconi Cardinales usque ad annum millesimum & tem-

tempora Sylvestri II. numerum septenarium non excesserint.

9. Subinde juxta quatuordecim Regiones, quatuordecim quoque Diaconi creati sunt, ut singulis Regionibus singuli præfecti essent.

10. Qui (cum jam alii Officiales, in primis Archi-Diaconus, constituti essent pro colligendis distribuendisque reditibus Ecclesiæ) se curæ illorum omninò abdicarunt, & ministrare soliti sunt Papæ, cantareque coram eo Evangelium quisque in Ecclesia suæ Regionis, quando ad eam Pontifex ad cantandam Missam accessit.

11. Unde dicebantur Cardinales primæ, secundæ, vel tertiæ Regionis, prout appellabatur Regio, cui præfecti erant.

12. His adjuncti sunt deinde quatuor alii Diaconi Cardinales, qui *Palatini & Altaris Ministri* dicebantur, quia in Basilica S. Joannis Lateranensis coram Pontifice cantabant Evangelium. Cum verò hi ædes suas contiguas haberent Ecclesiis & Oratoriis, quibus serviebant absque cur[illegible] tamen animarum, quæ incumbebat [illegible]esbyteris, appellare se non à Regionibus amplius, sed ab

ipsis Ecclesiis cœperunt hoc modo: *Petrus Diaconus Cardinalis S. Adriani. Onuph. in lib. de sept. Eccles. Barb. l. c. n. 47. Lunador. Azor. p. 2. l. 4. c. 1. q. 6.*

13. Fuerunt ergo Cardinales Diaconi octodecim quingentis circiter annis a tempore Paschalis II. usque ad Paulum III. qui anno 1545. hunc numerum unc auctiorem fecit, ut essent novendecim & Pius IV. subinde additis Diaconis se ad 25. eum produxit.

14. Verum Sixtus V. *in Const. 55. Religiosa Sanctorum* statuit ut in posterun Cardinales Diaconi solum essent, u olim, quatuordecim, juxta veteren Regionum Urbis numerum, & ne Pres bytero Diaconia, aut Diacono Titulu posthac daretur.

15. Crescente vero auctoritate Cardi nalium Presbyterorum, crevit & Diaco norum auctoritas, cum & nomen omnes prærogativas habeant Cardinalium, & in electione novi Pontificis suffragiun suum ferant.

16. Cardinales Episcopi præcedun Cardinales Presbyteros, hi Cardinale Diaconos. Inter Episcopos præcedit is qui antiquior est in Ordine Episcopali inter Cardinales vero Presbyteros & Diaconos præcedunt illi, qui primi pro mo

moti fuerunt ad purpuram, & si plures simul creati sint, habebit is primas, qui prior nominatus fuit. Cum autem frequenter contingat, ut, qui elevatus fuit ad Cardinalatum, dum esset Diaconus, postea fiat Presbyter, hoc casu transit statim ad locum promotionis suæ, præceditque omnes Presbyteros, qui post eum Cardinales creati sunt. At vero Cardinales Episcopi præcedunt, qui primi acceperunt Characterem Episcopalem, etiam illos qui prius promoti sunt ad Cardinalatum, si posteriores sint consecrati Episcopi. *Franc. Sestini il Maestro c. 5.*

§. 6.

De Ecclesiis & Titulis Cardinalium.

1. *Tituli sunt Ecclesiæ, à quibus Cardinales dicebantur.*
2. *Diaconiæ non appellabantur Tituli.*
3. *Numerus Titulorum paulatim in Ecclesia crevit.*
4. *Honorius II. statuit numerum Episcoporum Cardinalium.*
5. *Quæ eorum nomina & Tituli.*
6. *Nunc solum sex Tituli sunt Cardinal. Episcoporum.*

7. *Inter hos eminet Hostiensis.*
8. *Presbyterorum Tituli quot sint.*
9. *Quot sint Diaconiæ.*
10. *Referuntur Ecclesiæ, Tituli & Diaconiæ Cardinalium.*
11. *Unus Titulus Presbyteralis supernumerarius est.*
12. *Et una Diaconia supernumeraria.*
13. *Olim Diaconus non habebat Titulum Presbyteralem, nec Presbyter Diaconiam.*

1.

QUantum ad Titulos & Diaconias S. R. E. Cardinalium prænotandum est, Titulos olim Urbis templa sive Ecclesias dici solitas fuisse, quibus qui præerant Presbyteri animarum curam habentes & Sacramenta administrantes sic v. g. nominabantur: *Laurentius Presbyter Tituli S. Marcelli*, ac postea, cùm Presbyteri Cardinales, hoc est Principales dicti sunt ad distinctionem aliorum Titulorum sivè in Urbe, sive extra Urbem erectorum, scripserunt se v. g. *Laurentius Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli.*

2. Diaconiæ quamvis essent ædes sacræ in honorem Sanctorum dicatæ, Tituli tamen non dicebantur, quia Diaconi, qui earum præfecti erant, animarum curam non habebant, sed alia de-

man-

mandata sibi munia in sua Regione obibant, & Pontifici sacris operanti præsto erant ut dictum est supra. *Barb. Azor II. cc.*

3. Tituli ab Evaristo, qui anno 112. ad Cathedram evectus est, primum instituti atque dispositi traduntur. *Cellotius de Hier. l. 4. c. 8.* Numerus vero Titulorum paulatim increvit secundum propagationem fidei. Dionysius Papa circa annum 260. quatuordecim definivit, & inter Presbyteros divisit.

4. Marcellus deinde decimum quintum Titulum addidit; Sedente autem Julio viginti octo instituti sunt, qui numerus Titulorum totidem Presbyteros Præfectos habentium perseveravit usque ad Honorium II, qui anno 1125. constituit septem, vel octo Episcopos Cardinales ad utilitatem & splendorem Ecclesiæ, ac specialiter, ut Papæ, solenniter in Lateranensi Ecclesia celebranti assisterent.

5. Nomina verò Episcoporum Cardinalium & Tituli erant: Ostiensis, Veliternus, Sylvæ candidæ, alias Sanctæ Ruffinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, Albanus.

7. Nunc verò sunt sex solummodo eo quod auctoritate Eugenii tertii Ecclesia Veliterna adjuncta sit Ostiensi, & Eccle-

sia

sia Sanctæ Ruffinæ, alias Sanctarum Virginum Ruffinæ & Secundæ tempore Calixti II, conjuncta sit cum Ecclesia Portuensi. *Onuph. lib. de sept. Urbis Eccl. cap. 1.*

7. Inter hos magno in honore est & eminet Hostiensis, cujus est ab antiquo tempore, ut ait Augustinus *Ep.* 165. Romanum Pontificem consecrare, proindeque ipse inter Episcopos solus pallio, quod est Archi-Episcopi insigne, utitur ex Marci Papæ instituto, ut testatur Damasus.

8. Presbyterorum Cardinalium Tituli olim fuerunt viginti octo, postea per cit. Const. 55. Sixti V. *Religiosa Sanctorum* Tituli quinquaginta præscripti sunt.

9. Diaconorum demum veteres Diaconiæ primum fuisse videntur quatuordecim, ac deinde octodecim, ut colligitur ex supradictis *num.* 12. Sixtus V. vero Diaconias ad 14. secundum numerum Regionum Urbis reduxit. *cit. Const.* 55.

10. Barbosa *Jur. Eccl. Lib.* 1. *c.* 3. refert Ecclesias, Titulos & Diaconias S. R. E. Cardinalium à Clemente Papa VIII, & à sacra Rituum Congregatione probatas die 30. Augusti 1602, ac à Paulo V. confirmatas anno 1618, ut in Libello impresso

presso Romæ in Typographia R. Cameræ Apostolicæ eodem anno contentæ fuerunt, & hic subnectuntur:

Ecclesiæ Sex.

Ostiensis.
Portuensis.
Tusculanensis.
Sabinensis.
Prænestinensis.
Albanensis.

Tituli Presbyterales LI.

Sanctæ MARIÆ Angelorum in Thermis.
Sanctæ MARIÆ trans Tyberim.
Sancti Laurentii in Lucina.
Sanctæ Praxedis.
Sancti Petri ad vincula.
Sanctæ Anastasiæ.
Sancti Petri in monte aureo.
Sancti Honuphrii.
Sancti Sylvestri in Campo Martio.
Sanctæ MARIÆ in via.
Sancti Marcelli.
Sanctorum Marcelli & Petri.
Sanctorum duodecim Apostolorum.
Sanctæ Balbinæ.
Sancti Cæsarei.
Sanctæ Agnetis in Agone.
Sancti Marci.

San-

Sancti Stephani in Cœlio monte.
Sanctæ MARIÆ trans Pontinæ.
Sancti Euſebii.
Sancti Chryſogoni.
Sanctorum quatuor Coronatorum.
Sanctorum Quirici & Julitæ.
Sancti Calixti.
Sancti Bartholomæi in Inſula.
Sancti Auguſtini.
Sanctæ Cæciliæ.
Sanctorum Joannis & Pauli.
Sancti Martini in Montibus.
Sancti Alexii.
Sancti Clementis.
Sanctæ MARIÆ de Populo.
Sanctorum Nerei & Achillei.
Sanctæ MARIÆ de Pace.
Sanctæ MARIÆ in Ara cœli.
Sancti Salvatoris in Lauro.
Sanctæ Crucis in Hieruſalem.
Sancti Laurentii in Pane & Perna.
Sancti Joannis ante portam Latinam.
Sanctæ Pudentianæ.
Sanctæ Priſcæ.
Sancti Pancratii.
Sanctæ Sabinæ.
Sanctæ MARIÆ ſuper Minervam.
Sancti Caroli.
Sancti Thomæ in Parione.
Sancti Hieronymi Illyricorum.

San

Sanctæ Susannæ.
Sancti Sixti.
Sancti Matthæi in Merulana.
Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio.

Diaconiæ XV.

Sancti Laurentii in Damaso.
Sanctæ MARIÆ in via lata.
Sancti Eustachii.
Sanctæ MARIÆ novæ.
Sancti Hadriani.
Sancti Nicolai in carcere Tulliano.
Sanctæ Agathæ.
Sanctæ MARIÆ in Dominica.
Sanctæ MARIÆ in Cosmedin.
Sancti Angeli in foro piscium.
Sancti Gregorii ad velum aureum.
Sanctæ MARIÆ in Portico.
Sanctæ MARIÆ in Aquiro.
Sanctorum Cosmæ & Damiani.
Sancti Viti in Marcello.

11. Observandum vero cum Ecclesia S. Laurentii in Damaso perpetuo assignata sit à Clemente VII. Vice-Cancellario pto tempore existenti, sive is Diaconus sit, sivè Presbyter, sivè etiam Episcopus, ideo unus Titulus Presbyteralis supra numerum additus est, ne aliquando alicui Presbytero Cardinali proprius Titulus desit, *cit. Bulla 55. Sixti V.*

12. Et

12. Et Diaconia S. Laurentii in Damaſo ſupra numerum eſt 14. Diaconiarum, ne contingat ut unus Diaconus careat Diaconia. Si enim Vice-Cancellarius conſecratus Epiſcopus eſſet, & inter eos numeraretur, decimus quartus Diaconus ſine Diaconia foret, niſi Eccleſia S. Laurentii in Damaſo, quæ perpetuo conceſſa eſt Vice-Cancellario, ſupra numerum 14. Diaconiarum foret. Rurſus ſi Vice-Cancellario habenti ſolum ordinem Diaconalem conferretur Titulus Presbyteralis, niſi forent Tituli 51. quinquageſimus Presbyter ſine Titulo eſſet.

13. Sciendum namque antiquiſſimam eſſe conſuetudinem quingentorum circiter annorum uſque ad Sixtum IV. ne Diaconus potiretur Titulo Presbyterali, nec Presbyter Diaconiâ, cum committi non poſſit Diacono cura animarum. Sixtus IV. vero primus fuit, qui confudit Titulos cum Diaconiis, concedendo Diaconis Titulos, & Presbyteris Diaconias; Tunc tamen Diaconi non uſurpant nomen *Tituli*, licet Titulum habeant Presbyteralem, & Presbyteri licet Diaconiam ſolum poſſideant hoc nomen *Tituli* adjungunt.

§. 7.

§. 7.

De vestitu Cardinalium.

1. *Habitus Card. primo communis fuit cæteris Presbyteris.*
2. *Innocentius IV. dedit quibusdam pileum rubrum.*
3. *Qui deinde concessus est omnibus.*
4. *Paulus II. vestes purpureas & biretum rubrum aliaque ornamenta addidit.*
5. *Gregorius XIV. promotis ex Regularibus dedit quoque biretum rubrum.*
6. *Qualem hi habitum gestent.*
7. *Et qualem promoti ex Societate JESU.*
8. *Nemo præter Cardinales uti potest pileo rubro.*
9. *Utuntur Cardinales hoc tempore habitu coloris vel rubri vel violacei vel subrubri.*
10. *Ex qua materia sit vestitus eorum.*
11. *Cum toga violacea utuntur quoque pileo violaceo.*
12. *Quo colore utantur in luctu.*
13. *Rubræ togæ jungitur Pileus subruber.*
14. *Quando utantur colore violaceo.*
15. *Et quando rubro.*
16. *In Ecclesiis Titularibus rubris vestiuntur.*
17. *Legati à Latere quo colore utantur.*
18. *Diebus Indulgentiarum & in Jubilæo quem colorem adhibeant Card.*

19. *In*

19. *In equitatione solenni qualem habitum & colorem gestent.*

20. *Et qualem dum Legatum, vel novum Cardinalem excipiunt.*

21. *Si in Ecclesia Titulari cujusdam Card. celebretur Capella, quo colore hic Cardinalis utatur.*

1.

CArdinales ante Innocentium IV. habitu usi sunt reliquis Presbyteris usitato & ordinario, qui accessit ad habitum Monachalem *Lunador*.

2. Innocentius IV. verò tradidit eis cum ad Terras Ecclesiæ regendas mitterentur, rubrum galerum circa annum Domini 1244. ut auctor est Platina, Genebrardus aliique, qui etiam in Concilio generali Lugdunensi primo tredecim Cardinalibus à se creatis rubrum illum pileum concessit ad significandum, eos etiam caput suum, ubi opus, pro Ecclesiastica libertate tuenda offerre debere, præsertim eo tempore, quo Romana Ecclesia à Friderico III. Imp. vehementer oppugnabatur. *Azor. p. 2. l. 3 c. 3. 4. 15.*

3. Post ea tempora omnibus Cardinalibus vel per consuetudinem, vel expressam concessionem galerus rubeus permissus est. *Barb. l. c. n. 8.*

4. Pau

4. Paulus II. deinde vestes purpureas & biretum rubrum omnibus Cardinalibus (non tamen Regularibus biretum) anno 1464. addidit, & ut panno coccineo mulas suas, cum iis utuntur, sternere possint, & uti stapedibus deauratis eisdem concessit.

5. Postea Gregorius XIV. anno 1519. 9. Junii rubra quoque bireta dedit Cardinalibus ex ordinibus Regularium assumptis, qui hucusque usi fuerant bireto ejusdem coloris, cujus erat habitus Religionis, in qua fuerant professi.

6. Investibus verò Religionis suæ colorem observant, excepto caputio, quod rubrum est, & materia formaque similis est illi, qua cæteri Cardinales utuntur, non tamen gestant rochettum, sed loco illius induunt Cottam cum largis manicis.

7. Patres tamen Societatis JESU, cum certum habitum ex regula non gestent, promoti ad Cardinalatum, eodem cum aliis Cardinalibus habitu utuntur, pro ut vidimus in *Joanne de Lugo* & *Sfortia Pallaviçino*.

8. De reliquo ex decreto Pauli II. nemo præter Cardinales sub proposita pœna gestare potest pileum rubrum, & *in cap. Illud. dist. 93.* præcipitur, ne reliqui Cle-

Clerici utantur Cardinalium insigniis absque Pontificis concessione. *Azor. Barb. ll. cc. Lunador.*

9. Utuntur verò Cardinales hoc tempore habitu duplicis coloris ordinarie, rubri & violacei, exceptis Dominica tertia Adventus, quæ est lætitiæ, cum cantetur in Introitu: *Gaudete in Domino semper*, & quarta Quadragesimæ, quia est privilegiata ob benedictionem rosæ, quibus subtanis, mantelletto & mozzetta, & post meridiem pallio utuntur coloris subrubri, seu rosæ siccæ ut vocant qui ex prædictis mixtus videtur.

10. Materia est vel pannus laneus gravior seu levior, quam Sajettam vocant vel camelottum undatum, vel etiam pro subtanis tela serica simplex, ormesinum dictum, non autem holosericum quod rasum aut villutum appellant.

11. Cum toga violacea utendum est. Pileus cum limbis aureis, & spira reliquaque ejusdem coloris sunt, idque ex consuetudine, cum non reperiatur concessum esse privilegium Cardinalibus utendi pileo violaceo.

12. In luctu violaceo quoque colore sed sine omni auro etiam in limbo pileo utuntur, & per decretum Alexandri VI editur

editum 13. *April* 1655. prohibetur Cardinalibus usus nigrarum vestium lugubrium, quo ad ipsorum personas, & injungitur, ut toto anni tempore in pileis communibus & equorum lemniscis, vulgò Floccis, rubeum colorem semper adhibeant.

13. Rubræ togæ, jungitur Pileus subrubri coloris cum consuetis ornamentis. Nam rubro pileo auro ornato solus utitur Pontifex. *Barb. de jure Eccl. l.* 1. *c.* 4. *n.* 86. *Lunador.*

14. Per totum Adventum, excepta Dominica tertia, à septuagesima usque ad tempus Paschale, omnibus feriis sextis, vigiliis, quatuor temporibus, die commemorationis animarum, & in exequiis, quibus assistunt, violaceo utuntur colore, nec subtanam seu tunicam ex filo serico gestare permittitur. Excipiuntur tamen ab hac regula quatuor tempora proxime post Pentecosten: Festa duplicia, quæ in feriam sextam incidunt extra Adventum & Quadragesimam: Festum Annunciationis, cum in quadragesimam incidit, & Vigilia Nativitatis Domini, quando rubro utuntur vestitu.

15. Coloris verò rubei usus est omnibus anni diebus in supra dicta regula non

contentis, atque etiam quotidie à vigi-
lia Nativitatis Domini usque ad octavam
trium Regum, à Dominica Paschatis
usque ad Festum SS. Trinitatis, per to-
tam octavam Corporis Christi, & As-
sumptionis DEIparæ, omnium Sancto-
rum, Patroni Urbis Romæ, & Eccle-
siarum Titularium; Die creationis &
coronationis Papæ; Festo Cathedræ
S. Petri, aliisque solennioribus, ac die-
bus publicæ lætitiæ dedicatis, in quod-
cunque tempus aut feriam inciderint
extra septimanam Sanctam, quando
ejusmodi solennitates instituì non solent.

16. Præterea cum in Ecclesia sua Ca-
thedrali vel Titulari officio divino assi-
stunt, aut intersunt processionibus publi-
cis rubro vestiuntur, licet Collegæ for-
te præsentes violaceo induti essent, dum
modo non sint dies exempti juxta supe-
rius dicta.

17. Legati à Latere extra Italiam quo-
libet die pro arbitrio suo uti possunt co-
lore, vel purpureo, vel violaceo.

18. Diebus jejunii & indulgentiarum
in forma Jubilæi etiam extra Adventum
& Quadragesimam prima septimana
violaceus habitus adhibetur. Et in Ju-
bilæo anni Sancti visitantes quatuor Ur-
bis Ecclesias extra tempus Paschale vio-
lace

laceo utuntur, cum actus sit pœnitentiæ.

19. Quando Pontifex equitat ritu solenni, ut in Festo Annunciationis DEIparæ, Cardinales mulis vecti cappa seu tunica rubra vestiuntur. Extra solennem equitationem pallij & mozzetti supra rochettum usus est cum pileo simplici, non Pontificali coloris illius, quem tempus exigit.

20. Cum Legatum aliquem Cardinalem, vel recenter creatum deducunt, habitu utuntur violaceo, quem etiam gestant cum mulis vehuntur ad Consistorium publicum, rubrum vero quando ad Capellam solennem deferuntur, licet sint in luctu, extra tamen Adventum & quadragesimam: Muli quoque pro temporum diversitate sternuntur lacerna vel rubra vel violacea.

21. Si in Ecclesia aliqua Titulari celebretur consueta Pontificis Capella, puta, die Cinerum in S. Sabinæ: Aut ad S. MARIAM de Minerva in festo Annunt. B. M. V. Vigiliis, vel exequiis Principum Sæcularium, Cardinalis Tituli illius Ecclesiæ, etiam Pontifice absente eodem cum reliquis colore utetur, tenebitque locum sibi debitum ratione promotionis.

§. 8.

De Cardinalium dignitate, officiis & honorum Titulis.

1. *Ex quibus colligatur dignitas Cardinalium*
2. *Digniores sunt Prælati Ecclesiastici, quam Officiales politici.*
3. *Cardinales æquiparantur Regibus.*
4. *Officia denotant eorum dignitatem.*
5. *Eligunt Pontificem.*
6. *Expellere possunt Papam Simoniace electum*
7. *In Schismate possunt convocare Concilium.*
8. *Sede vacante regunt Ecclesiam.*
9. *Assistunt in regimine Summo Pontifici.*
10. *Legatione funguntur Apostolica.*
11. 12. 13. 14. & 15. *Variis honorum Titulis ornantur.*

1.

Dignitatem Cardinalium æstimare licet primò ex comparatione cum dignitate sæculari & politica. Deinde ex officiis, quibus funguntur Cardinales; Demum ex honorum titulis quibus iidem decorantur.

2. Cum enim multo dignior & nobilior sit Hierarchia Ecclesiastica, quam status politicus, digniora quoque erunt membra ejus & Prælati, qui in ea præfulgent.

3. Hi

3. Hinc Regibus æquiparantur Cardinales. *Jacob. de Conc lib. 1. art. 1. n. 1.*

4. Officia quoque Cardinalium summam eorum dignitatem denotant.

5. Nam in locum defuncti Pontificis alium eligunt, & subrogant in Sede Apostolicâ Successorem. *c. In nomine 1. dist. 23. c. Licet 6. de Elect.*

6. Potestatem habent Pontificem pecunia, metu, aut favore intrusum expellendi & alium substituendi. *c. Si quis pecunia, dist. 71.*

7. In Electione plurium & schismate licet illis Concilium cogere & decidere controversiam. *Const. Nicolai II. Barb. Collect. Decis. Apost. 131.*

8. Pontifice è vivis sublato ipsi regunt Ecclesiam, usque dum alius in Sede Apostolica surrogatus fuerit. *c. Licet, de Elect. c. Ubi periculum eod. in 6. c. In nomine dist. 23.* Non tamen possunt novas præscribere leges toti Ecclesiæ, sed ea tantum ordinare, quæ ad electionem Pontificis, defensionem Ecclesiæ, & avertenda pericula pertinent. *Clem. Ne Romani de Elect. c. C. Ubi periculum eod. in 6.*

9. Assistunt Summo Pontifici, eumque in Ecclesia universali gubernanda adjuvant. *c. Fundamenta §. decet, de Elect. in 6.* Ideoque judicant totum Orbem, ipsi

vero non nisi à Papa judicantur. *c. Pe Venerabilem, qui fil. sint legit.*

10. Ipsis solis committuntur Legatio nes Apostolicæ cum multis gratiis & privilegiis, de quibus infra §. *de Legatis.*

11. Ob hanc Officiorum eminentiam variis quoque & eximiis titulis hono rantur, dicunturque Cardinales, qua Càrdines Ecclesiæ. *Sixtus V. Const. 50.* su per quibus universi Orbis machina vol vatur.

12. Collaterales & Coadjutores Sum mi Pontificis. *S. Bern. l. 4. de Consid. c. & penul. de offic. Legati in 6.* Principale Assessores, Consiliarii, & in execution principalis officii Cooperatores. *Tit. Elect. in 6.* Ut de iis dici possit illud *1. Reg. Domini sunt Cardines terræ, & posu super eos Orbem.*

13. Ideoque Pontifex Cardinales Epi copos *Fratres* appellat, etiam Diacon & Presbyteros, si eos cum Episcop conjunctos alloquatur. *Glos. in c. 1. V. Fr tres de renunt. in 6. & Glos. in Extrav. Execr bilis V. Cum Fratribus de præb.*

14. Carolus Magnus: *Reverendiss mos Clericos* eos compellavit, dum a in Edicto suo: *Viris diversi Ordinis Re verendissimis Clericis S. R. E. servien tib*

tibus illud culmen singularis potentiæ, & præcellentiæ habere sancimus, cujus amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est Patricios & Consules effici: nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari & sicut imperialibus extat decorata militia, ita Clerum S. R. E. adornari decernimus.

15. Demum Urbanus VIII. 1650. 10. Jun. in Consistorio secreto *Eminentissimi & vestræ Eminentiæ titulo* eosdem auxit.

§. 9.

De privilegiis Cardinalium.

1. *Cardinales plurimis gaudent Privilegiis.*
2. *Habent jurisdictionem Episcopalem & possunt conferre ordines minores in Ecclesiis Titularibus.*
3. *Etiam Cardinales Archi-Presbyteri, in Patriarchalibus suis.*
4. *Lædentes Cardinalem excommunicati sunt.*
5. *Cardinalis reus à quot condemnari debeat.*
6. *Non tenentur regulis Cancellariæ*
7. *Liberant reos obvios qui ad supplicium ducuntur.*
8. *Ab eorum sententia non appellatur.*

9. As-

9. *Asserenti se Legatum esse creditur.*
10. *Habent reditus ex Camera.*
11. *Sententiis in Constit. genetali latis non com-prehunduntur.*
12. *Liberati sunt à patria potestate.*
13. *In Ecclesiis suis exercent jurisdictionem an-te captam possessionem.*
14. *In testamentis non servant solemnia.*
15. *Asserenti aliquid actum coram Papa creditur.*
16. *Quando Concilium congregent.*
17. *Lites inter illos à Papa deciduntur.*
18. *Assistentes Pontifici habentur residentes in beneficiis.*
19. *Sunt liberi à decimis.*
20. *Fruuntur privilegiis Episcoporum.*

1.

QUam plurimis gaudere privilegiis Cardinales notum est; Sunt qui du-centa enumerent, alii paucioribus con-tenti; Præcipua referemus ex Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. c. n. 33. & seqq.* aliisque.

2. Jurisdictionem habent Episcopa-lem in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, aliisque eorum Titulis subjectis *c. His qui 11. de majori. & obed.* Possunt quoque etiamsi Episcopi non sint, conferre omnes ordines minores in propriis Titulis, suis subditis & Familiaribus.

3. Etiam Cardinales Archi-Presbyteri trium

tium Ecclesiarum Patriarchalium: S. Joannis Lateran. S. Petri, & S. MARIÆ majoris in Urbe ex privilegio, & consuetudine iisdem gaudent prærogativis in Ecclesiis suis, quibus alii Cardinales in suis Titularibus.

4. Qui Cardinalem offenderint in Persona, aut ad hoc consensum vel auxilium præstiterint, ut rei læsæ Majestatis puniuntur, & ipso jure excommunicati sunt. *c. Felicis de pæn. in 6. Bulla cœnæ Dom.*

5. Episcopus Cardinalis, si graviter labatur nonnisi 72, Presbyter 64, Diaconus 27, testibus, qui non sint infames convictus condemnari potest. *c. Præsul. 2. q. 5.*

6. Non tenentur regulariter Regulis Cancellariæ, nec aliis Constitutionibus generalibus, odiosis & pœnalibus. *Reg. 67. num. 68. Cancell.*

7. Privilegium ex consuetudine habere dicuntur, ut si reo ad patibulum ducto occurrant, eumque veste aut pileo tegant immunis dimittatur. Excipiuntur damnati ob crimen falsi, hæresis, læsæ Majestatis, & quodlibet crimen atrox. *Duen. Reg. 81.* Julius Clarus tamen nunquam id à se visum testatur. *l. 5. §. fin. cap. 98.*

8. A

8. A Sententia ex voto Cardinalium lata non datur appellatio.

9. Cardinali asserenti se esse Legatum creditur, etiamsi litteras suæ Legationis non exhibeat. *c. Nobilissimus dist.* 91.

10. Cardinales habent partem reddi tuum Cameræ Apostolicæ. *c. ubi periculum §. Provisiones de elect. in* 6. Cardinales inopes à Summo Pontifice alendi sunt, quia convenit membris à capite succurri *Azor p.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. 4. 20. Tales fere sunt promoti ex Ordinibus mendicantium, & qui carent reditibus commendarum & Episcopatuum.

11. Sententiâ suspensionis vel interdicti motu proprio, vel in Constitutione generaliter promulgatâ Cardinales non afficiuntur, nisi specialis eorum mentio facta sit.

12. Electus in Cardinalem, eo ipso à patriâ potestate est liberatus.

13. Cardinales in commissis sibi Ecclesiis à Sede Apostolica possunt beneficia conferre, & jurisdictionem exercere ante captam possessionem & ostensionem literarum.

14. Cardinales in testamentis condendis gaudent militum privilegio: nec legibus civilibus, quæ certam formam præscribunt, obstricti sunt. *Azor. l. c.*

15. Car

15. Cardinali asserenti aliquid actum in præsentia Papæ, vel sibi vivæ vocis oraculo à Papa mandatum fuisse, credi debet.

16. Cardinales orto schismate Concilium congregare possunt.

17. Lites & causæ inter Cardinales à Summo Pontifice appellatione remota decidendæ sunt. *Paulus IV. Const. Cum sæpius.*

18. Cardinales, qui in Curia Romana Pontifici assistunt, non tenentur residere in beneficiis, nisi illis adjuncta sit cura animarum, quia agnoscuntur pro residentibus. *Azor. l. c. lib. 3. c. 4. q. 3.*

19. Sunt liberi à solutione decimarum, & obsequio charitativo à Papa imposito. *Lancel. l. 2. c. 2.* Tenentur tamen contribuere de fructibus beneficiorum pro Seminario in Diœcesi, ubi erigitur. *Trid. Remiss. Sess. 23.*

20. Privilegia omnia, Episcopis ob status dignitatem concessa, ad Cardinales extenduntur. *c. Quia periculum, de sent. Excomm. in 6.*

§. 10.
De sacro Collegio Cardinalium.

1. *Cardinales constituunt sacrum Collegium.*

2. Com-

2. Comparatur supremo Senatui Romanorum.
3. Decanus ejus olim erat antiquior in Ordinatione.
4. Nunc est antiquior præsens in Curia tempore vacationis.
5. Decanus præcedit cæteros.
6. Traditur ei una Clavis ærarii Ecclesiæ.
7. Quam discedens longius ab Urbe tradit Secretario.
8. Unus Card. est Camerarius Collegii.
9. Ejus Officium.
10. Est in hoc Collegio Secretarius Clericus Italus, quod ejus Officium.
11. Idem quoque est Secretarius Congregationis super provisionibus Consistorialibus.
12. Estque familiaris Pontificis.
13. Et interest Congregationibus Cardinalium.
14. Asservat registra Consistoriorum Secretorum.
15. Quibus ipse quoque interest.
16. Quid pro emolumento accipiat à Cardinalibus.
17. Clericus Nationalis ex quibus eligatur.
18. Ejus Officium.
19. Quod durat ptr annum.
20. Quid pro emolumento suo habeat à Cardinalibus.
21. Computistæ officium, & quid percipiat.
22. Ex Collegio Cardinalium primarii Officiales eliguntur.

23. Qui

23. *Qui tamen ob officia illa non habent prærogativam in Collegio.*

24. *Ex hoc Collegio nominantur quoque Legati de Latere.*

1.

EX Cardinalibus, de quibus hucusq; actum, constituitur supremus ille Senatus, qui *Maximus* dicitur, & *Sacrum Collegium*, quod gremium Romanæ Ecclesiæ. *c. In nomine Domini dist.* 23. Summum & excelsum à Romano *Consil.* 448. *n.* 11. & Membrum honorabilius, quod habet Ecclesia DEI à Card. Tuscho *lit.* C. *concl.* 100. *n.*1. appellatur.

2. Ita ut de eo merito dicatur, quod olim interroganti Pyrrho Epirotarum Regi de Ethnico Romanæ tunc supremæ Reip. Senatu respondit: *Urbem Romanam Templum sibi visum, Senatum Regium, Senatores quot, tot Reges.*

3. Hujus Collegii Caput olim erat antiquior ratione suæ ordinationis inter sex Cardinales Episcopos, & *Prior*, deinde *Decanus* Collegii Cardinalium dicebatur.

4. Nunc per Pauli IV. Constitutionem quintam: *cum Venerabiles* Decanus Collegii S. R. E. ad Episcopum Cardinalem

lem antiquiorem in Curia tempore va- quc
cationis præsentem, aut ex causa pu- Ab
blica absentem, & à Summo Pontifice ab- an
legatum pertinet. cip

5. Præcedit Decanus cæteros in ses- Se
sionibus, functionibus & actibus publi- co
cis. *Cit. Const. cum Venerabiles* §. 4. cu

6. Traditur novo Decano altera Cla- eli
vis portarum ærarii in Arce S. Angeli cu
constituti, altera Thesaurario Secreto pt
Summi Pontificis, præstito juramento de tiu
non extradendis clavibus, nec extra- O
henda pecunia, nisi in casibus præscriptis Pa
& tunc nisi consensu duarum partium ad
Cardinalium sub pœna excommunica-
tionis. *Sixtus V. Const.* 31. *Ad clavum.*

7. Si contingat, ut Decanus discedat *Ad*
ab Urbe ultra 40 miliaria, vocare ad se cre
debet Secretarium, qui claves accepta Se
statim deferat alteri in ordine succeden- sup
ti. *Urbanus VIII. in decreto* 1626. *edito.* pu

8. Unus è Cardinalibus semper est nis
Camerarius sacri Collegii per annum, Co
quo decedente succedunt alii præsentes no
in Curia ordine antiquitatis; Estque di-
stinctus à Camerario S. R. E. seu Pon- tar
tificis. Co

9. Officium illius est curam habere adi
isto anno redituum sacri Collegii, ex po
quibus, dum officio decedit, suam cui lat
qu Con

que Cardinali distribuit portionem; Absentes verò reditus dimidii tantum anni, postquam Roma discesserunt, percipiunt. *Lunador in rel.*

10. Habet præterea Collegium hoc Secretarium Clericum Nationalem & computistam. Secretarius qui & Clericus Italus dicitur per fabarum suffragia eligitur nonnisi ex Natione Italica; Hic curam habet librorum omnium & scripturarum ad hoc Collegium pertinentium, easque conficit ac duplicat, & Originalibus in Archivio, quod est in Palatio Apostolico, repositis, duplicatum ad usum quotidianum penes se retinet.

11. Urbanus VIII. ordinavit *const.* 53. *Admonet nos* ut hic Clericus Italus & Secretarius exerceat quoque Officium Secretarii Congregationis Cardinalium super provisionibus Consistorialibus deputatorum, & acta ipsius Congregationis describat, reponatque in Archivio Collegii Cardinalium in Palatio Vaticano erecto.

12. Est hic Clericus Italus & Secretarius Pontificis familiaris & continuus Commensalis, ideoque vestes violaceas adinstar Cubiculariorum honoris gestare potest, eique portio quotidiana ex Palatio Apostolico datur. *Urbanus VIII. cit. Const.*

13. In-

13. Intereſt quoque Secretarius Con gregationibus Generalibus, cum omnes Cardinales præſentes conveniunt, aliisque particularibus, cum Capita ſolum Ordinum congregantur, & annotat Decreta, quæ in iis formantur.

14. Aſſervat quoque Regiſtra Reſolutionum, quæ fiunt in Conſiſtoriis ſecretis, eiquc traduntur à Cardinali Camerario ſacri Collegii.

15. Intrat vero & ipſe Secretarius Conſiſtoria ſecreta in habitu rubro & oblongo ab terram uſque ex lanâ con fecto. Sed cum dicitur *Extra omnes* exit & ipſe è Conſiſtorio *Lunador. in rel.*

16. Pro emolumento ſuo accipit Secretarius à ſingulis Cardinalibus in promotionibus eorum viginti quinque Ducatos auri de Camera, totidemque in obitu Cardinalium ab hæredibus eorum *Paulus V. conſt.* 112. *Fides.*

17. Clericus Nationalis eligitur quoque per ſuffragia fabarum. *Urbanus VIII. cit. conſt.* 53. ex quatuor Nationibus, pervices, videlicet Germanicâ, Hiſpanicâ Gallicâ & Anglicâ, quamvis à tempore Schiſmatis & hæreſis Anglicanæ ex Natione Anglica nemo fuerit.

18. Eſt ſubſtitutus Secretarii, ho

enim

enim impedito ipse supplet. Assistit in Consistorio simili vestitu, quo Secretarius.

19. Officium illius durat per annum, quo evoluto succedunt reliqui per ordinem ex dictis Nationibus. *Urbanus VIII. l. c. Lunador in rel.*

20. Percipit quoque in promotione novi Cardinalis viginti quinque ducatos auri de Camera, totidemque, cum Cardinalis moritur, ab hæredibus illius. *Paulus V. cit. Const.* 112.

21. Computista rationes init acceptorum, & expositorum de reditibus sacri Collegii, easque reddit Cardinali Camerario. Hic quoque à quolibet Cardinali recenter creato accipit intra mensem à die creationis viginti quinque ducatos auri de Camera, totidemque à Cardinalibus è vivis decedentibus, vel ab hæredibus illorum. *Paulus V. l. c.*

22. Ex hoc Collegio Cardinalium eliguntur, qui primariis in Curia Romana præpositi sunt officiis, ut sunt: Vice-Cancellarius. S. R. E. Camerarius, major Pœnitentiarius, Vicarius Papæ, Bibliothecarius, Præpositus officio sacræ generalis Inquisitionis, aliique, de quibus singulis infra suis locis.

23. Horum tamen Officiorum ratione

non sortiuntur aliquam prærogativam in iis, quæ spectant ad Officium Cardinalium in eorum Collegio *Seraphin. Dec. sis.* 716. *n.* 6.

24. Ex hoc Collegio nominantur quoque Legati, qui de Latere dicuntur *c. Decreto. c. Si quis Episcopus.* 2. *q.* 6. De his ergo hic quædam tradenda sunt.

§. II.

De Legatis & Nunciis Sedis Apostolicæ.

1. *Cur Legati & Nuncii mittantur.*
2. *Aliqui sunt merè Nuncii, & non Judices.*
3. *Aliqui sunt Judices vel cum jurisdictione solum temporali.*
4. *Vel cum jurisdictione Spirituali ad certas solum causas.*
5. *Aut etiam generali, & horum tres sunt species*
6. *Legati à Latere qui? & ad quos mittantur.*
7. *Legati nati qui?*
8. *Talis olim fuit Thessalonicæ & in Africa.*
9. *In Bætica, Lusitania & Francia.*
10. *In Aquitania superiore & inferiore, in Provincia Viennensi, Lugdunensi & Arelatensi.*
11. *Quis in Hispania, Anglia, Scotia, Polonia Hungaria & Germania.*
12. *Legati missi Apocrisarii appellati, non sunt Cardinales, nunc Nuncii Apostolici dicuntur*

13. *Sun*

13. *Sunt tamen cum potestate Legati à Latere.*
14. *Ad quæ loca nunc mitti soleant.*
15. *Rex potest esse Legatus Sedis Apostolicæ.*
16. *In quibus conveniant Legati & Nuncii.*
17. *Et in quibus discrepent.*

1.

CUm ad Sedem Apostolicam universi Orbis causæ & negotia, quæ ad jurisdictionem Spiritualem & Ecclesiasticam spectant, deferantur, nec omnia in Curiâ Romanâ & absentiâ eorum, quorum interest, expediri possint, necesse fuit Nuncios & Legatos ad varia loca pro necessitate ablegare. Mittuntur ergo à Pontifice nunc Cardinales, nunc alii de Clero, aut Curialibus Romanis, qui aptissimi judicantur. *c.* 1. & 2. *Dist.* 84. *c. Decreto.* 2. *q.* 6.

2. Horum aliqui sunt *merè Nuncii, & non Judices*, qui pro aliqua *ambasiatâ*, ut vocant, vel ad aliquod nudum ministerium exercendum mittuntur, v. g. Ad excipiendum aliquem Monarcham. *c. Jus gent. Dist.* 1. *Nobilissimus dist.* 97.

3. Quidam sunt *Legati Judices*, iiq; vel habent jurisdictionem solum temporalem, & *Gubernatores* dicuntur, ut qui ad provincias, vel civitates status Ecclesiastici mittuntur, quales sunt Legati

Avenionensis, Bononiensis, Ferrarien
sis, Urbinatensis & Æmiliæ seu Roman
diolæ.

4. Vel habent jurisdictionem spiri
tualem, eamque vel delegatam ad cer
tas causas & negotia, sivè Spiritualia
sive etiam sæcularia, & à Concilio Sa
dicensi *Can.* 3. & 5. ἐπιγνώμονες, id e
Cognitores appellantur; erantque Com
missarii à Papa delegati ad partes, ut ca
sas controversas, maximè quæ per ap
pellationem ad Sedem Apostolicam d
volutæ erant, inquirerent, aut judic
rent. *Cabassut. Notit. Concil.*

5. Vel generatim habent jurisdicti
nem spiritualem eamque ordinariam,
horum Legatorum tres sunt specie
Alii enim sunt de Latere, alii nati, a
missi. *Glos. in c.* 1. *de Officio Legati & c.*
eod. in 6.

6. Legati de Latere dicuntur Car
nales, qui de Latere Papæ, cui semp
assistunt, mittuntur. *c. Decreto. c. Si q*
Episcopus. 2. *q.* 6. Et tales sæpe missi su
à Pontificibus ad Synodos tum gener
les, tum particulares, ut illis nomi
suo præessent; *Cum enim* inquit L
Papa *epist.* 14. *ad Faustum*, *propter caus*
fidei, quam Eutiches perturbare te
tav

tavit, de Latere meo mitterem, qui defensioni veritatis assisterent. Aliquando etiam mittuntur Legati à Latere ad Imperatorem, Reges, magnosque Principes, pro pace inter eos reducenda, aut rebus Ecclesiæ procurandis, juribusque Romanæ Ecclesiæ defendendis.

7. Legati nati sunt, qui Legationis Titulum & officium habent ex Privilegio Apostolico vigore dignitatum & Ecclesiarum, quas obtinent. Dicuntur NATI, quia statim, ut Ecclesiis suis præficiuntur, hic Titulus cum officio illis adnascitur.

8. Ejusmodi Legatum seu Vicarium constituit olim Leo Papa *Epist.* 84. Anastasium Thessalonices Episcopum per Asiæ Provincias, addens Anastasii Prædecessores fuisse similiter Prædecessorum Romanorum Episcoporum Vicarios seu Legatos. In Africa olim fuit Legatus Episcopus Carthaginensis. *Azor. p. 2. l. 5. c. 27.*

9. Hormisda *Epist. ad Salustium* constituit Hispalis Episcopum per Bœticam & Lusitaniam Vicarium seu Legatum Apostolicum. In Francia Legatus natus constitutus est ab eodem Hormisda, teste Cabassutio, Archi-Episcopus Rhemensis,

cujus est Regem ungere, de quo *in cap. per Venerabilem* §. *verum, qui fil. sint Legit.*

10. In Aquitania superiori est Archi- Episcopus Bituricensis, de quo *in c. ult. de major. & obed. & c. Exposuit de dilation.* In Aquitania inferiori Archi-Ep. Burdegalensis. In Provincia Viennensi Archi- Episcopus Viennensis: In Lugdunen Archi-Episcopus Lugdunensis, de qui bus *c. Novit. de off. Leg.* Tempore Bonifa cii I. & Gregorii I. Arelatensis Episcopu fuit quoque in Provincia sua Legatu Apostolicus, proindeque à Romano Pon tifice pallium accipere consuevit *c. Galliarum 25. q. 2. c. Artaldus 8. q. 3.*

11. In Hispania Legatus natus e Archi-Episcopus Toletanus. In Angl Archi-Episcopus Cantuariensis, de qu *c. 1. de offic. Leg.* Talem se quoque prof tetur Archi-Episcopus Eboracensis, de quo *c. 1. de appell.* In Polonia Gne nensis Archi-Ep. In Hungaria Strigo niensis. In Germania olim Magdebur gensis, nunc Salisburgensis. In Scotia Archi-Episcopus S. Andreæ. Qui omne in suis Provinciis tanquam Primate erant, & à Romano Pontifice pallium accipiebant.

12. Legati missi, olim Apocrisar græce, quasi Secretarii *Glos. in c. Significa*

sti

sti de Elect. &c. Septuaginta dist. 16. appellabantur, & ordinarie non erant Cardinales, nuncque recepto usu *Nuncii Apostolici* dicuntur, qui mittuntur ad Reges, Principes, Remp. aut aliquam Provinciam, vel ad negotia expedienda, vel jura Romanæ Ecclesiæ tuenda. Differunt ergo Nuncii & Legati à Latere, quod hi Cardinales sint, non isti. *Glos. in c. de offic. Leg.*

13. Adjicitur tamen plerumque in eorum facultatibus hæc clausula: *Cum potestate Legati à Latere*, quæ juxta stylum Curiæ Romanæ additur mandatis eorum, qui fimbriam vestimenti Papæ attigerunt, seu qui ab eo mandatum vivæ vocis oraculo receperunt. *Hostien. in Summa de Legato.*

14. Tales Nuncii Viennæ in Germania, in Hispania, Francia, Polonia, Venetiis, Neapolis, in Sabaudia, Florentiæ, Coloniæ ad Rhenum, & Lucernæ in Helvetia residere solent. In iis vero Regnis & Principatibus in quibus ipse Princeps non residet deputatur à Papa Officialis aliquis sub nomine Collectoris, vel Internuncii seu Residentis, qui aliquam Nuncii speciem præsefert, eique facultates majores, vel minores pro diverso

stylo

stylo communicari solent. *De Luca Re Rom. Disc 4 n. 16.*

15. Rex quoque esse potest Legatu Sedis Apostolicæ, quemadmodum fui S. Stephanus in Regno Hungariæ. *In noc. in c. Veniens V. Regis de præscript.*

16. Porro in multis conveniunt Le gati à Latere, Nati, & Nuncii, & in mul tis differunt.

Conveniunt I. Facta unius loci possun in alio loco suæ legationis explicari *c. Novit. 7. de off. Leg.*

II. Statuta eorum perpetuo duran etiam Legatione finita, donec revocen tur. *c. fin. Nemini eod.*

III. Legatione eorum finita, exspi rat jurisdictio delegati à Legato, ve Nuncio, si citatio non præcessit. *Cit. Nemini.*

IV. Habent jurisdictionem ordina riam; Ideo morte Papæ non finitur. *c. in 6. De offic. Leg*

V. Collatio beneficii ab iis facta null est, si non fuerit facta mentio benef cii, quod impetrans obtinebat. *c. fin in 6.*

VI. Subdelegare possunt *c. fin. §. Ca terum de offic. Deleg.*

VII. Pœnas & mulctas ex delicti provenientes Thesaurario tradere te

nentur, nec possunt Reis condonare. *Pius IV. Const. 43. Decet. Sixtus V. Const. 93. Ad Romanum.*

VIII. Non possunt concedere facultatem deferendi sclopeta manualia duobus palmis breviora. *Pius IV. Const. 49. Cum vices.*

IX. Non possunt adiri in prima instantia, nisi pro causis ei specialiter delegatis. *Trid. Sess. 24. c. 20.*

X. Non possunt se intromittere in causa alteri à Papa specialiter delegata. *c. 2. de offic. Leg.*

XI. Non possunt Episcopos transferre, unam Cathedralem alteri subjicere, jus primatiæ alicui concedere, duos Episcopatus unire, vel unum dividere *c. 3. & 4. De offic. Leg.* Nec possunt Cathedrales reservare, vel conferre, *c. 4. in 6. de offic. Leg.*

XII. In causam remissam ad Sedem Apostolicam non possunt se intromittere. *c. 5. de offic. Leg.*

XIII. Non possunt alicui committere, ut recipiat resignationem beneficii, quod postea conferat. *c. pen. §. fin. in 6.*

XIV. Non possunt delegare causas non habentibus Canonicatum in Cathedrali, vel dignitatem aliquam, aut personatum, nec sint designati Judices Synoda-

nodales contra *c. statutum* 11. *de rescript. in* *Clem.* 2. *eod. Trid. Sess.* 25. *c.* 10. *& Const.* *Greg XV. Sanctissimus.* Quia coarctantu à Constitutione majoris. *Glos. fin. c.* *Clem.* 2.

17. Discrepant vero Legati à Latere & reliqui Legati, vel Nuncii.

I. Præsente Legato à Latere, reliqui Legatis executio officii inhibetur. *c.* *de offic. Leg.*

II. Legati à Latere possunt Archi-Episcoporum, Episcoporum, & exempto rum electiones confirmare ex officio, im & Patriarcharum, quod reliqui Lega nequeunt. *c.* 36. *De Elect. in* 6. *& ibi* *Andr. & Franc. n.* 2.

III. Possunt in suis Provinciis omni imo plus, quam Episcopi in suis Diœcesi bus etiam potestate ordinaria. *Abb.* *c.* 1 *de offic. n.* 2.

IV. Ideoque concurrunt cum quovi Ordinario, etiam cum Patriarcha in con ferendis beneficiis, quod alii Legati non possunt, nec faciunt. *c.* 6. *De offic. Legati &* *ibi Abb. c.* 1. *De offic. Leg. in* 6.

V. Possunt beneficia etiam Patronati conferre, si Patronus sit Ecclesiasticus & jus aliunde habeat, quam ex titulo pa trimonii, non autem, si Patronus sit Lai cus, aut si Ecclesiasticus id habeat titulo

pa

patrimonii. *c. 6. De offic. Leg. c. cum Dilectus de jur. Patron.* Hæc vero potestas conferendi beneficia non extendit se ad ea, de quibus specialiter disponitur in concordatis Germaniæ, vel aliorum Nationum. Alii Nuncii sine speciali mandato conferre non possunt beneficia ; Nuncius tamen Hispaniarum habet facultatem conferendi beneficia, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum auri de Camera annuorum, vacantia in mense Apostolico *Othobon. decis.* 221.

VI. Semper & ubique Legatione durante absolvunt excommunitatos ob manuum injectionem *c. Quod translatione 5. & c. Excommunicatis* 9. *de offic. Leg'* Nuncii in sua tantum provincia, & eos qui aliunde veniunt in provinciam ; Legati verò nati ratione Legationis neminem ob manuum injectionem excommunicatum absolvere possunt. *cit. c. Excommunicatis.* 9.

VII. Exercent jurisdictionem in Regulares exemptos. *Diana de immunit. Eccl. c.* 16. Non vero Nuncii, nisi habeant facultatem Legati de Latere, ut habent Nuncii Ultramontani. Nuncius Neapolitanus habet jurisdictionem per consuetudinem confirmatam per breve Pauli V. cognoscendi causas civiles, quæ moventur

venrur à ſecularibus contra Regulares *Cong. Epiſc.* 1616. 23. *Jan. apud Nicolaum Can lib.* 1. *Tit.* 30. *de off. Leg.*

VIII. Poſſunt Archi-Epiſcoporum Epiſcoporum & exemptorum electione confirmare, non verò alii Legati. *c. S Abbatem* 36. *Hujusmodi de Elect. in* 6. De mum præeminentiam habent in loco Le gationis ſuæ ſupra Prælatos omnes, etiam Cardinales, quam cæteri Nun cii non habent. *De Luca, Relat. Cur. Rom Diſc.* 4. *n.* 11.

CAPUT II.

De Concalvi & Electione Summi Pontificis.

INter omnes Conventus & Con gregationes quas S. R.E. Cardi nales celebrant, præcipua & celeberrima eſt, in qua Purpurati hi Pa tres Sede Apoſtolica vacante eligunt Ro manum Pontificem, & Eccleſiæ univer ſalis Paſtorem. Hujus ergo Congrega tionis, ſeu Conventus deſcriptio reliqui meritò præmittenda eſt. Dicetur ergo primo de variis modis eligendi Papam alias in Eccleſia uſitatis; Tum de for ma, quæ nunc in Electione obſervatur; Deinde deſcribetur Conclave ſeu locus

electio

electionis, quidque fiat antequam eum ingrediantur Cardinales; Demum quid in ipso Conclavi, & quid electo Pontifice fieri soleat.

§. I.

De forma eligendi Papam sœpè variata.

1. *Visibilis Ecclesia semper regitur à visibili capite.*
2. *Cujus electio variis modis facta est.*
3. *Primo ut Pontifex nominarit in vita Successorem.*
4. *Secundo per 24. Presbyteros vel Diaconos.*
5. *Tertio & simul per Clericos. Quarto ita ut accederet & populus sine suffragiis.*
7. *Sexto ex auctoritate Regum vel Imperatorum.*
8. 9. 10. *Quam auctoritatem confirmatam esse à Pontificibus nonnulli volunt.*
11. *Sed hæc non fuit auctoritas pro arbitrio creandi, sed tantum approbandi rite electum.*
12. 13. 14. 15. *Et exempla in contrarium adducta nullius sunt roboris.*
16. *Septimò elegerunt soli Cardinales accedente consensu Cleri & Populi.*
17. *Octavo excluso horum consensu soli Cardinales totum negotium confecerunt, qui modus hodiedum observatur.*

1.

1.

CUm visibilis DEI Ecclesia semper permansura sit, contra quam nec portæ inferi prævalere poterunt. *Matt.* 16. necesse quoque fuit, ut à visibili sempet regeretur capite. *c. Ita Dominus dist.* 19. Quare ita ineffabili sua sapientia disposuit Dominus, ut è vivis decedenti Petro alius sibi Vicarius & Petri Successor, & post obitum hujus alius iterum & alius usque ad consummationem seculi surrogaretur *c. Factus* 7. *q.* 1. nam, ut inquit Hieronymus *super Matt. c.* 28. *Qui usq; ad Consummationem seculi cum Discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros* (nimirum in Successoribus) *& se nunquam à credentibus recessurum.*

2. Modus vero, quo successio Vicariorum Christi & Summorum Pontificum facta est, varius & multiplex fuit, ita ut sint, qui tradant intra mille centum quinquaginta novem annos usque ad electionem Alexandri III. creati anno 1159. decem & septem mutationes in forma eligendi Pontificem Romanum factas esse.

3. Primus modus eligendi visibile Caput Ecclesiæ fuit, ut Pontifex per se ele-

elegerit Succeſſorem ſuum, pro ut S. Petrum feciſſe & Succeſſorem ſibi Clementem eligiſſe habetur *ex cap ſi Petrus.* 8. *q.* 1. Verum id ſolus ſine imitatore fecit Petrus, qui immediate à Chriſto plenam jurisdictionem, multaque privilegia ex ſpeciali Commiſſione, & divina inſpiratione acceperat ; Ne tamen poſteris relinqueretur exemplum, ut quisque Succeſſorem ſibi deligeret, quod ſucceſſu temporis vergere poſſet in detimentum Eccleſiæ, ſi nimirum Papatus ſucceſſione potius, quam electione deferretur, aut quod imparem ſe judicarit tanto muneri, Clementem renuntiaſſe Pontificatui, ac deinde iterum poſt Linum & Cletum electum eſſe adnotavit *Gloſ. V. aut ligandi in cit. c. Si Petrus & V. Succederet in c. Non autem* 7. *q.* 1. *Jacobat. de Conc. lib.* 10. 22. *T. aliisque.*

4. Alter modus eligendi Pontificem poſt obitum S. Petri fuit, quem refert Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccl. c.* 1. 2. 46. nimirum quod XXIV. ſelecti à S. Petro ex omnibus Urbis Romanæ Presbyteris & Diaconis, tanquam Coadjutores ac Conſiliarii ejus poſt diſperſionem Apoſtolorum, qui deinde Cardinales dicti ſunt, Pontificem Romanum elegerint.

5. Tertius modus fuit, quem introductum

ductum esse tradit Franciscus Carriere fidei Catholicæ Digesto *de Rom. Ponti quæst.* 6. anno Christi 102. post obitu Clementis, ut non tantum supradicti 2 sed alii etiam extra Urbem commora tes Clerici, audita morte Pontificis R mæ Congregati alium subrogarint, & electum esse Anacletum refert ibide Carriere.

6. Quartus modus fuit, ut Popul etiam introduceretur ad electione non ut votum, sed ut testimonium lum vitæ morumque eligendi ferret, tu ad impediendas seditiones Clericoru tum ne Populus invitus, & non opt tum Præsidem acciperet. *c. Nullus vitis dist.* 61. *c. si forte, dist.* 63.

7. Quintus modus fuit, ut Popu in quibusdam locis jus quoque suffra in electione Prælatorum usurparet si Sed ob confusionem exinde ortam h jure suffragii sublato remansit illi solu jus testimonii ferendi.

8. Sextus fuit quod ad sedandos multus, & schismatis tollendi causa electione Pontificis interposuerint a ctoritatem suam Imperatores, qui usque processerunt, ut nullus Canon electus putaretur, nisi à Rege aut Imp tatore confirmatus esset, & priusqu

hanc confirmationem obtinuiſſet Pontifex, non poterat obire munia Pontificalia, ſed cura Romanæ & univerſalis Eccleſiæ demandabatur interim Archi-Presbytero, Archi-Diacono, Primicerio & Pontifici electo, qui in hunc modum ſubſcribebant expeditiones: *Hilarius v.g. Archi-Presbyter & ſervans locum Sedis Apoſtolicæ. Joannes Diaconus, & & in nomine DEI electus. Joannes Primicerius, & ſervans locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Martinus ſervus DEI Conſiliarius Sedis Apoſtolicæ*, pro ut colligitur ex reſponſione ipſorum ad literas Epiſcoporum Scotiæ ſcriptas ad Severinum Papam defunctum electoine jus locum Joanne IV. ſed nondum confirmato circa annum 638. *Carriere l. c.*

9. Tradunt nonnulli hoc jus Principum expreſſa Pontificum auctoritate roboratum eſſe. Nam Adrianum I. convocata Synodo Lateranenſi jus eligendi Ponticem conceſſiſſe Carolo Magno ob pulſos Italia Longobardos. *c. Adrianus diſt. 63.*

10. Leonem VIII. Romanum Pontificem, poſtquam Ludovicus Pius Caroli Filius renunciâſſet huic juri. *c. Ego Ludovicus diſt. 63.* iterum conceſſiſſe jus illud

eligendi Romanum Pontificem Ottoni I Imperatori. *c. In Synodo ead. dist.* 63.

11. Et Paschalem II. cum ante ade misset justissimis de causis hoc jus eli gendi Imperatoribus Gregorius VII. ite rato permisisse illud Henrico V. Impe ratori.

12. Verum per hoc jus Principibu concessum, non est illis data potestas ple na & absoluta pro arbitrio suo creand Summum Pontificem, quia ejusmod utpote Spiritualis & Ecclesiasticæ no sunt capaces. *c. Nullus Laicorum dist.* 6 Sed solummodo honoris & pacis cau delatum est illis, ut consensu suo, a probatione & confirmatione electione firmarent, ideoque mittere etiam sol bant Visitatorem, qui electioni ad rix & altercationes sedandas adesset.

13. Ad hæc plures gravissimique au ctores ut Azor *p. 2. l. 4. c. 2. q. 3.* Baro nius ad annos. 526. 555 774. & 96 Bellarminus *in Apolog. ad lib. Reg. Ang. c.* aliique asserunt citatos Canones fictitio esse & commentitios. Solus namque S gebertus in Chronico suo anno 111 ultra 30. annos post Adrianum & Car lum M. scripto refert Pontificem illu dedisse huic Imperatori captâ Papiâ j eligendi Papam, idque creditur in gr tia

tiam Henrici Imp. Schismatici, cujus partes fovit, ideoque hæc narratio pro figmento habetur, cum nullus antiquioris sæculi auctor, nequidem ii, qui scripserunt res Caroli, hujus potestatis Carolo concessæ meminerint; Quinimo constat Carolum legem sanxisse anno 813. ut electio Episcoporum à Prædecessoribus suis usurpata libera esset, fieretque secundum Canones per electionem Cleri & Populi Diœcesani; Gratianus ergo incautus nullo de impostura facto examine inseruit hoc commentum Decreto suo. *c. Adrianus dist. 63.*

14. Jam vero factum Leonis VIII. nil probat, & constitutio ejus nullius est roboris, quia cum hæc ageret Leo, Pseudopapa erat, & nonnisi post mortem Joannis XII. legitimus fuit Pontifex, ejusque constitutio in Pseudo-Synodo procusa à nullo legitimo Papa promulgata fuit, ex qua Gratianus citatum num. 9. Canonem desumpsit.

15. Demum quam potestatem Henricus V. subreptitiè per insidias & fraudem obtinuit à Paschali II. ipse Paschalis congregata Synodo Lateranensi denuo revocavit. *Azor. l. c.*

16. Septimus modus fuit inductus à Nicolao II. in Concilio Lateranensi, in

quo legem edidit de electione Romani Pontificis à sacro Cardinalium Senatu peragenda, ita ut reliquus Clerus ac Populus, ad eam comprobandam accederet, salvo tamen honore & reverentia Henrici *c. In nomine 1. dist. 23. Barb. Jur. Eccl. l. 1. c. 1. n. 55.* Suffragia vero Cardinalium eligentium numerabantur non per singulorum capita, sed per corpora trium ordinum, Episcoporum, Presbyrorum & Diaconorum *Andr. Gambar. in Bullam Julii II. num. 145.*

17. Octavus demum modus statutus est ab Alexandro III. in Concilio generali, ut ille Canonicè electus censeretur, in quem duæ ex tribus Cardinalium præsentium partes consensissent, excluso Cleri & Populi consensu *c. Licet 6. de elect.* adeoque tota Pontificis electio ad solum Cardinalium Collegium reducta est. Qui modus eligendi postmodum confirmatus fuit & plenius statutus *c. ubi periculum, eod. in 6. & in Clem. Ne Romani. eod.* & hodiedum observatur.

18. Ita quidem, ut si Sedes Apostolica vacet tempore, quo Concilium generale legitime congregatum est, nihilominus ad solos Cardinales & non ad Concilium electio novi Pontificis pertineat, prout servatum legitur in electione Leo-

nis

nis X. tempore postremi Concilii Lateranensis, & dum Synodus Tridentina congregata esset in electione Julii III, Marcelli II, Pauli IV, & Pii IV.

19. Contra electum verò à duabus partibus Cardinalium nulla opponi potest exceptio præter hæresim, aliamvè quæ in jure divino consistit. *c, Licet 6. de elect.*

20. Hinc si quis extra Collegium Cardinalium in Pontificem eligeretur, valebit electio *Barbosa l. c.* pro ut ipsa quoque docet experientia; Multi namque sanctissimi Pontifices assumpti sunt ad Sedem Apostolicam, qui Cardinales non fuerunt, ut Gregorius X. ex Archi-Diacono, Eugenius III. ex Abbate, Cœlestinus V. ex solitudine vocatus & necdum in sactis constitutus, Pontifices facti sunt.

21. Plurima verò ad legitimam Papæ electionem spectantia utiliter statuerunt diversi Pontifices Gregorius X. in Concilio Lugdunensi anno 1274. de quo in *c. Ubi periculum, de elect. in 6.* Clemens V. in Concilio Viennensi anno 1310. habetur *in Clem. Ne Romani eod.* Clemens VII. *Constit. cum Charissimus* anno 1529. Paulus IV. *Const. cum secundum* anno 1554. Pius IV. *Const. In eligendis* anno 1562. Gregorius XV. *Const. Æterni* anno 1621. &

demum Urbanus VIII. *Conſt. ad Romanum*

22. Quorum aliqua ante ipſam electionem, quædam in ipſa electione, & nonnulla poſt illam obſervari ſolent, & neceſſario debent. Ex quibus nos quædam notatu magis digna colligemus.

§. 2.

De iis, quæ ante electionem Pontificis obſervantur.

1. *Pontificem eſſe in agone indicatur Cardinalibus & Legatis.*
2. *Incarcerati ob delicta graviora ducuntur a Caſtellum S. Angeli.*
3. *Defuncto Papa ſignum datur in Capitolio,*
4. *Et Officiales migrant è Palatio, excepto Camerario.*
5. *Cujus officium non expirat morte Pontificis.*
6. *Secretarii deferunt ad Camerarium Sigilla, & franguntur.*
7. *Cum annulo piſcatoris.*
8. *Cadaver defuncti exponitur in templo S. Petri.*
9. *Cardinales conveniunt in aula Conſiſtorii, ut conſtituant præcipuos Officiales.*
10. *Defuncto Papa quomodo incedant Cardinales.*
11. *Abſentes Cardinales monendi ſunt de morte Pontificis, non vocandi.*

12. *Ex-*

12. *Expectandi tamen per decem dies.*
13. *Nisi justæ causæ aliud suaserint.*
14. *Ideoque licet absentes non expectentur, valida erit electio.*
15. *Decendium etiam non est prorogandum.*
16. *Si tamen prorogaretur, valida esset secuta electio.*
17. *Hoc decendio celebrantur exequiæ, & exstruitur Conclave.*

1.

POntifice in agone & extremis constituto, Cardinalis Patronus seu Nepos regnans, ut vocant (qui curam gerit rerum temporalium) mittit Prælatos quosdam ad Cardinales & Legatos in Urbe præsentes, eisque significat Pontificem vitæ metam attigisse.

2. Tunc jussu quoque ejusdem Cardinalis Patroni deducuntur incarcerati ob causas graviores & criminales in Castellum S. Angeli, ne Senatus aut Populus Romanus libertatem illis donare possint, ut solent, januis etiam effractis. Toleratur namque eo casu antiqua consuetudo, ut Conservatores populi Romani ad ostendendam aliquam speciem jurisdictionis cum omnimodâ tamen dependentia à S. Collegio aperiant carceres & carceratis libertatem tribuant.

3. Papa

3. Papa defuncto luſtrat cadaver Cardinalis Camerarius in præſentia Tribunalis Cameræ, & publicum deſuper conficitur inſtrumentum, ac ſignum datur lugubre campana majore in Capitolio, ut mors cunctis in Urbe innoteſcat.

4. Etiam Cardinales reliquusque Magiſtratus, qui in Palatio Pontificio domicilium habebant, abſcedunt, excepto Cardinali Camerario, qui de jure remanere debet, & incolit conclavia, in quibus Pontifex morari ſolet.

5. Ipſius namque uti, & Cancellarii ac Pœnitentiarii majoris officia non vacant per obitum Pontificis.

6. Auditâ morte Pontificis Secretarii Datariæ omnesque alii, qui Sigilla habent Pontificia, deferunt illa ad Card. Camerarium, qui ea coram Auditore aliisque Cameræ miniſtris, ac generali Quæſtore frangi jubet.

7. Uti & annulum Piſcatoris aureum pondo circiter centum nummorum, cujus fragmenta pertinent ad Magiſtrum Cæremoniarum, qui proinde illa colligit.

8. Eleemoſinarii Papæ & Pœnitentiarii S. Petri lavant cadaver defuncti, & diſponunt, ut exponatur populo in templo S. Petri. Crux argentea ponitur ſu-

pra

pra vestes Pontificias ad pectus, & duo pilei Cardinalitii ad pedes, quibus gemina auctoritas Papæ Temporalis & Spiritualis designatur, ut inquit Carriere *de Rom. Pont. quæ.* 8.

9. Interim Decani & Capita Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium reliquos inferiores moneri curant, ut conferant se ad Aulam Consistorii ipso die, quo Papa decessit circa vesperam, vel altero subsequenti, ut primariis vacantibus officiis præficiantur Rectores & eligatur Gubernator Conclavis, & Castelli S. Angeli.

10. Defuncto Pontifice incedunt Cardinales cum Rochetto discooperto, & Mozzetta, eo modo, quo in signum jurisdictionis incedit Papa per universum Orbem, & Episcopus in propria Diœcesi, vel Cardinalis in Ecclesia titulari ad ostendendam supremam auctoritatem penes illos esse. Utuntur verò vestibus violaceis cum fimbriis & paramentis rubris, si à defuncto Pontifice creati non sint; Creaturæ verò illius fimbrias quoque habent violaceas.

11. Absentes Cardinales monendi solum sunt de obitu Pontificis per literas particulares à Secretario sacri Collegii subscriptas *Lavor. var. Lucubrat. Tom. 1. Tit. 4.*

Tit. 4. *c.* 7. non verò vocari seu citari de bent *Gloss. ver. decem dier. in c. ubi periculu de elect. in* 6. *Mandos. in Reg.* 32. *Cancell. quæs* 8. *n.* 8. quod speciale est in election Papæ, cum ad alias electiones absente vocari debeant *Lavor. l. c. n.* 7.

12. Moniti Cardinales absentes expe ctandi sunt per decem dies *cit. cap. ubi p riculum Const. Pii IV. in eligendis.* Qui die computandi sunt à die mortis Pontifici *Archid. in cit. cap. ubi periculum n.* 5. expe ctandi verò sunt, etiamsi sciatur eos ve nire non posse *Archid. ibid.* quia expec tio requiritur non solum propter absen tes, sed etiam propter præparatione eorum, qui sunt includendi *Lavor. l.* & propter exequias defuncti, ac extr ctionem Conclavis.

13. Si tamen justæ subsint causæ, no est necesse expectare absentium adve tum integro decendio; Quales sun Gravis Ecclesiæ necessitas ita exigen seditiones repentè exortæ, timor aër inficiendi, aliaque similia, quæ judic prudentum relinquuntur, *Bonac. de l Sum Pont. elect. disp.* 1. *q.* 3. *n.* 1. *& seq.*

14. Hinc electio facta communi Ca dinalium omnium præsentium vel duar partium consensu, licet expectati no sint absentes decendio, secundum pr

bab

babiliorem valida est, cum locus & tempus non pertineant ad substantiam electionis. *Azor. Inst. mor. p. 2. l. 4. c. 2. q. 5.*

15. Sed neque decendium prorogandum est, nisi gravissimâ de causâ *Const. Pii IV. in eligendis* §. *lapsis* etiamsi aliqui Cardinales abessent publicâ de causâ, & de licentiâ Romani Pontificis *ibid. §. declarandis* ideoque nec oppugnari poterit electio prætextu cujuscunque impedimenti Cardinalium absentium.

16. Si tamen, hoc non obstante, dictum tempus decem dierum prorogaretur, non ideo electio secuta irrita foret, dummodo à duabus partibus facta sit, quia non videtur in *cit. cap. ubi periculum.* præscribi, non posse expectari ultra decem dies, sed solum non teneri Cardinales expectare *Gambar de offic. Leg. à Latere l. 6. n.* 108. *&* 110. ideoque si major pars expectare vellet ultra decem dies, minor vero intrare conclave neglectis absentibus, audiri quidem hæc posset, sed attentare id pars minor, contradicente majore ad Schismata evitanda, non deberet *Lavor. var. lucub. Tom. 1. Tit. 4. c. 7. n. 9.*

17. Durantibus his decem diebus celebrant Cardinales præsentes exequias defun-

defuncti Pontificis & fabricatur co clave; De hoc ergo §. sequente, de is postea.

§. 3.

De structura Conclavis.

1. *Inventor Conclavis.*
2. *Curat id extrui Camerarius in Palatio V ticano.*
3. *Nunc cellulæ clauduntur panno.*
4. *Sunt hæ perquam angustæ, & Sorte dist buuntur.*
5. *Conclave undique est concluſum, relict solum rotis quibusdam, per quas cibus infe tur.*
6. *Quæ à diversis custodiuntur.*
7. *Extra Conclave in diversis locis excuba Helveti.*

1.

INventio Conclavis, in quo novi Pon tificis fit electio, adscribitur cuidam è nobilissima & pervetusta Familia Sabe lorum, qui nunc Principes sunt Alban ad accelerandam electionem Pontificis ne Ecclesia longo tempore viduata Pa store in schismata, ut aliàs, tam facil & frequenter discinderetur, variisqu malis & incommodis affligeretur. I

pra

præmium hujus inventionis concessum Excellentissimæ Familiæ, ut Caput illius jure hæreditario sit Mareschallus Conclavis, de cujus munere infra nonnulla dicemus. *de Luca Rel. Rom. Cur, disc. 3. n. 14. & 15.*

2. Spectat verò ad Cardinalem Camerarium defuncto Pontifice curare, ut extruatur conclave juxta formam à Collegio Cardinalium præscriptam. Fabricatur id in Palatio Pontificis Vaticano nullo olim intermedio pariete, seu alio velamine *cap. ubi periculum de elect. in 6. §. eod.* ut puta festoriis vel cortinis *Gloss. ib. ver. velamine*, ita ut omnes in communi habitent, & liberè ad se commeare possint, reservato tamen àditu ad secretam Cameram.

3. Sed Clemens VI. *Const. 5. Licet* indulsit postea Cardinalibus, ut liceat illis ex decentia honestatis, cum in lectis quiescendi causa, vel dormiendi esse voluerint, habere duntaxat intermedia velamina simplicium cortinarum, & cellulæ hoc tempore, ut vidimus, panno viridis coloris clauduntur, vel violacei pro Cardinalibus à defuncto Papa creatis.

4. Cellæ, quæ per sortem sine discrimine personarum inter Cardinales distribuuntur, sunt perquam angustæ

36. palmorum latæ, ut, non nisi lect
lum, mensulam & unam alteramvè s
dem capere possint; singulæ habent ex
guam fenestram, quatuor vel quinqu
palmorum, eamque linteo obductam
ut necesse sit, etiam per diem candel
aut lampade ad legendum uti.

5. Cæteræ verò fenestræ & Januæ u
dique muro ex lateribus sunt occlusæ,
nemo conclave ingredi, nec inclusos v
dere, aut alloqui, nec quicquam latent
transmitti possit *cit. cap ubi periculum* §. *h*
sacro relictâ solum aliquâ fenestrâ *ibid.*
in conclavi. nunc pluribus in diversis pa
tibus, per quas cibus pro unoquoque
feratur, ita tamen ut nullus per eas
trare, vel exire possit, ideoque vel
tæ in iis circumaguntur, ut in Claust
Monialium, vel clathris ferreis muni
sunt.

6. Ad Rotas excubant exterius die
nocte custodes constituti à Mareschal
Principe Sabelli tanquam custode Co
clavis, & assistunt Prælati quidam, q
lustrant ea, quæ per Rotas immittuntu
Adest quoque è Cursoribus unus in h
bitu violaceo cum clava argentea, q
immissis cibis denuo obserat Rotam,
aliquis Prælatorum appositâ chartâ ea
dem Sigillo obsignat; Quod pariter

à M

à Magistro Cæremoniarum in interiore parte Conclavis.

7. Ad Scalam Palatii Apostolici versus aream exteriorem, uti & ad primam januam inferioris atrii, atque etiam ad Scalam, per quam descenditur ad Basilicam S. Petri septum ex asseribus exstruitur, quod Helveti Excubitores Summi Pontificis custodiunt.

§. 4.

De Exequiis defuncti Pontificis, iisque quæ ante Clausuram Conclavis fiunt.

1. *Exequiæ celebrantur novem diebus. Qui sumptus in iis fieri possint.*
2. *Tempore exequiarum exponitur cadaver.*
3. *Quotidie habetur Congregatio in Sacristia S. Petri.*
4. *& 5. In qua diversi eliguntur Conclavistæ.*
6. *Eorum aliqui per secreta suffragia.*
7. *Et in majori numero quam olim.*
8. *Nono die dicitur panegyricus defuncti.*

1.

PEr novem continuos dies celebrantur Exequiæ pro defuncto Pontifice in Basilica Vaticana, quibus intersunt. Cardinales Romæ præsentes, qui impediti non

non fuerint. Si forte in illis novem diebus festum aliquod ex præcipuis incidat, ob quod exequias intermitti debere Cardinalibus videretur; hoc casu in numero quidem novem dierum exequiarum intermissarum dies computantur: verum impensæ, quæ in omissis exequiis faciendæ essent, in pauperes Christi juxta Pii IV. Constitutionem distribuendæ sunt. *Cæremoniale.* Impensæ hæ novem dierum in exequiis faciendæ excedere non debent summam decem millium ducatorum computatis omnibus, præter Regalia populo Romano præstari solita; Et ut impensarum distributio justè fiat, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni scilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. Camerario committitur.

2. Hoc tempore exequiarum expositum manet corpus defuncti in Sacello Sanctissimi Sacramenti, quod clathris ferreis occlusum est, ut per eos quidem conspici, sed non proprius ad id accedi possit.

3. Ante vel post sacrum funebre, quod cantatur, celebrant quotidie Cardinales Congregationes in Sacristia sancti Petri, in quibus eligunt Conclavistas, constituunt ea, quæ necessaria sunt pro bono regimine Urbis, & status Ecclesiastici

& a

& ad alloquium admittunt Legatos Principes, Præfectum, Gubernatorem Urbis, Gubernatorem Burgi, & Conclavis, Conservatores Urbis Romanæ, aliosque quos omnes genuflexos audiunt, ut appareat eos Pontificæ dignitatis imaginem repræsentare. *De Luca, Rel. Cur Rom. disc. 3. n. 12.*

4. Conclavistæ, qui eliguntur, sunt inprimis duo, sive Clerici, sive Laici pro unoquoque Cardinali, qui ei sint à servitio; Senibus tamen, & infirmis, atque etiam iis, qui de Principum genere sunt, tertius indulgetur, qui familiares, domesticos, & continuos commensales ipsius Cardinalis per annum fuisse, & tunc esse debere statuit Pius IV. *Const. In eligendis §. qui servientes.* nec hos esse debere mercatores, ministros Principum, jurisdictionem aut dominium habentes temporale, neque Fratres aut Nepotes Cardinalium, etiamsi propriis expensis viverent.

5. Deinde pro communi servitio Cardinalium constituuntur: Unus sacrista cum Clero Coadjutore, duo Magistri Cæremoniarum, qui celebranti assistant, unus Religiosus pro confessionibus audiendis; Unus Collegii Secretarius cum uno tantum famulo; Duo Medici, unus

Chirurgus, cum uno aut duobus famu- 1.
lis; Unus Faber lignarius, unus C.
mentarius, duo Barbitonsores, cum un 2.
aut duobus famulis, demum octo au 3.
decem Bajuli, qui publicæ utilitati &
commoditati omnium, veluti pro ligni 4.
portandis, serviant *Pius IV. cit. Const. I*
eligendis. §. *Sacrista.* 5.

6. Hi omnes à Collegio Cardinalium
non tamen ex familiâ alicujus Cardina
lis, eligi debent per secreta suffragi 6.
usque ad Confessarium inclusive, & q 7.
plura tulerint vota, ii inter conclavist 8.
censentur, eisque salaria de publico so
vuntur. 9.

7. Admittuntur verò hoc tempore 10
ut praxis docet majori numero ministran
tes, quàm dicta constitutio Pii IV. pra 11
scribat, verum id necessitate ita ex
gente permittitur, postquam auctus e 12
numerus Cardinalium sub Sixto V. 13

8. Porro nono & ultimo die exequia 14
rum post sacrum funebre habetur ora
tio in laudem defuncti Pontificis, & exe
quiæ concluduntur. 15

§. 5.

De ingressu in Conclave; D 16
Clausura; iisq; quæ electioni præ 17
mittuntur; de qualitate eligen-
tium & eligendorum.

1. *Peractis exequiis, quo ordine ingrediantur Conclave Cardinales.*
2. *Intrant Capellam Sixti IV.*
3. *Leguntur Bullæ Electionem concerrentes & Cardinales juramentum deponunt.*
4. *Sumpto prandio, ad Capellam revertuntur, ubi juramentum præstant primarii Officiales.*
5. *Admittunt ad alloquium in cellis suis Legatos & Curiales. Postea dato signo omnes, qui eo non spectant, egrediuntur.*
6. *Et clauditur Conclave.*
7. *Constituunturque Custodes ad Rotas.*
8. *Nec ullus externus sub gravissimis pœnis admittendus est.*
9. *Præter Cardinales ad Urbem accedentes.*
10. *Neque ulli licet literas vel Nuncium transmittere, aut recipere.*
11. *Si tamen literæ non sint traditæ, non incurritur pœna.*
12. *Electio fieri debet in Conclavi clauso.*
13. *Et à solis Cardinalibus; Nec ulli præsentes ab ea excluduntur.*
14. *Licet os illis nondum fuerit clausum vel apertum, nec insignia receperint.*
15. *Si plures moriantur, ad superstites, licet is unicus foret, pertinet electio.*
16. *Ad quos pertineat electio mortuis omnibus Cardinalibus.*
17. *Quid actum fuerit, cum tempore Concilii vacavit Sedes.*

18. *Probabilius eo casu ad solos Cardinales pertinet electio.*

19. *Eligi potest omnis mentis compos & fidelis qui non sit notoriè criminosus. Etiam Laicus.*

20. *Ee Uxoratus.*

21. *Ac cæcus.*

22. *Fœmina tamen in Papam eligi nequit.*

23. *Ideoque fabula est, fœminam fuisse Papam.*

1.

PEractis exequiis decimo subinde die cantatur in eadem Basilica S. Petri à Collegii Decano, vel eo impedito, ab alio Cardinali sacrum de Spiritu sancto quo finito habetur ab aliquo ad hoc constituto oratio de eligendo Pontifice; at deinde præcedente Magistro Cæremoniarum cum cruce Papali ante musicos Capellæ Pontificiæ cantantes hymnum *Veni creatur Spiritus* &c. sequuntur ordine bini ac bini Cardinales præeunte Collegii Decano, primùm Episcopi, deinde Presbyteri, postremò Diaconi cum suis cappis violaceis, & conclave ingrediuntur.

2. Quod cum intrant rectà se conferunt ad Capellam Sixti IV. ubi recitatis quibusdam precibus ab Eminentissimo Collegii Decano, quisque Cardinalium suo considet loco & jussis exire omni-

bus

bus aliis à Magistris Cæremoniarum præter Secretarium sacri Collegii, & eosdem Cæremoniarum Magistros porta dictæ Capellæ occluditur.

3. Quo facto leguntur à dicto Secretario & Magistris Cæremoniarum altâ voce Bullæ Pontificiæ electionem novi Pontificis & Conclave concernentes, & post singularum lectionem jurant Cardinales se observaturos ea, quæ illis continentur.

4. His præstitis, & sermone per Decanum habito, quo eos ad Electionis negotium ritè & rectè peragendum hortatur, recipiunt se Cardinales quisque in cellulam suam, & sumpto prandio ad signum campanæ revertuntur ad Capellam Sixti, ubi tunc in manus Eminentissimi Decani juramentum deponunt: Princeps Savelli Marischallus perpetuus S. R. E. & Conclavis Custos, Gubernatores Burgi, & Conclavis, aliique Præfecti, qui pro custodia Rotarum electi sunt.

5. Deinde conferunt se iterum Cardinales ad cellas suas, & admittunt ad alloquium Legatos aliosque Curiales usque ad horam tertiam post solis occasum: Tunc unus è Magistris Cæremoniarum signum dat campanula, & omnes,

qui ad Conclave non spectant, egredi untur.

6. Exclusis omnibus externis ostia, omnesque in Conclave aditus muro clauduntur, quo facto lustrant Eminentissimi Cardinales Decanus & Camerarius adhibitis facibus omnes angulos & latebras, ne quis ultra constitutum, & electum numerum incluſus maneat. Clausura hæc constituta est in Concilio Lugdunensi anno 1275.

7. Sunt præterea alii quidam Prælati & Conservatores Populi custodientes Rotas, per quas victualia, aliaque necessaria immittuntur, qui Custodes quotidie per turnum & ordinem constitui solent, ut invigilent, ne contra Apostolicas Constitutiones quicquam vel per allocutionem, vel literarum transmissionem committatur.

8. Quapropter exinde Cardinales nullos externos ad se venientes admittere possunt, nisi eos, qui ex consensu & voluntate præsentium Cardinalium, pro his tantum, quæ ad electionis negotium pertinent, vocarentur. *cit. cap. ubi periculum* §. *Hoc sacro,* Si quis vero clam ipsum Conclave, & aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu & officio, ac beneficio ipso facto priva-

tus

tus existit, & tradendus est Curiæ sæculari acerrimis pœnis puniendus. *Const. Gregorii XV. Æterni.*

9. Admittuntur tamen ad Conclave Cardinales etiam post clausuram ad Urbem accedentes, quamdiu electio adhuc integra fuerit.

10. Nulli etiam externorum licet alicui Cardinalium in Conclave, aut ulli in Conclavi existenti ad eos, qui foris sunt, nuntium vel scripturam, signum notamvè mittere seu recipere, etsi non agat de S. Pontificis electione, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, absolvendi facultate, præterquam in mortis articulo, soli Pontifici reservata *cit. cap. Ubi periculum §. Hoc. sacro Pius IV. cit. Const. §. Litteras vero Bonac de elect. Pont disp. 2. q. 4.*

11. Si vero literæ missæ in Conclave ad Cardinalem non pervenerint, non ligatur mittens excommunicatione. Neque ligantur illâ Cardinales secretè in Conclavi inter se loquentes, aut nuntium, & literas ad se mittentes. *Bonac. l. c.*

12. Occluso Conclavi altero subinde die ad electionem proceditur, quæ ex citatâ Constitutione Gregorii XV. alibi fieri nequit, quam in conclavi clauso, & si

alibi

alibi celebratur, electio nulla est & invalida absque ulla declaratione. *Bonac. de Pont. elect. disp. 1. q. 3.*

13. Peragenda vero est à solis Cardinalibus juxta Decretum Nicolai *in c. In nomine Domini 1. dist. 23.* qui omnes in Conclavi existentes ad electionem admittuntur, nulla excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti obstante exceptione *Const. Greg. XV.* ut nimirum vitentur dissensiones & schismata. *Clem. Ne Romani §. Cæterum, de elect. Pius IV. cit. Constit. §. Et ne dissensiones.* Et quamvis idem Pius IV. ibidem, Sixtus V, & Gregorius XV. specialiter statuerint, ne Cardinales non Diaconi in electione Pontificis vocem habeant, illis tamen Constitutionibus derogare solent Summi Pontifices, quando Cardinales creant, & de hoc breve particulare expedire jubent teste Jul. Lavor. *to. 1. tit. 3. c. 6. n. 22.* Existentes autem extra Conclave, quamvis in Urbe præsentes, & legitimè impediti sint, votum non habent, nec Procuratorem constituere possunt. *De Luca Rel. Cur. Rom. disc. 3. n. 18.*

14. Ideo Cardinales recenter creati & publicati, licet insignia Cardinalatus nondum acceperint, neque os clausum, vel apertum fuerit, in electione Pontificis

ficis suffragium ferre possunt, ut peculiari Decreto statuit Pius V. die 26. Jan. 1651. apud Jul. Lavor. tom. 1. tit. 4. c. 6. num. 21. & Gregorius XV. Licet antea Eugenius IV. Const. *In eminenti* contrarium decreverit.

15. Quod si plures è vivis decedant, ad solos superstites pertinebit electio, quamvis duo tantum remanserint, quia unus poterit eligere alterum. *Sylvest. V. Excommunicatio* 9. *n.* 2. Imo etiamsi unus solum superstit ad illum spectabit electio. *Glos. V. omnes in Clem. Ne Romani de elect.* jus enim & nomen universitatis in uno servatur. *l. sicut ff. in Decurionibus.*

16. Casu vero quo omnes Cardinales vita fungerentur, dixi alibi, electionem spectare ad Concilium, & ita sentit Hostien. in *c. Licet de Elect.* quia Pontifex non solum est Urbis Romæ, sed etiam totius Ecclesiæ Pastor. Non improbabile tamen est electionem eo casu spectare ad Canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est, propria Sedes Pontificis & Mater omnium Ecclesiarum. Ita S Antoninus *p. 3. summ. tit.* 22. §. 2. *num.* 4. Jul. Lavor. *tom. 1. tit.* 4. *c.* 6. *n.* 27. Barbosa *Jur. Eccl. l.* 1. *c. n.* 75.

17. Quæstio vero ad quem pertineat electio Pontificis, ad Cardinales, an ad Con-

Concilium si Pontifex à Concilio legiti
mè congregato depositus sit, agitata pri
mum fuit in Concilio Pisano, in quo cum
de sede dejecti fuissent Gregorius XII.
& Benedictus XIII. Cardinales auctori
tate à Concilio in ipsos translata pro illa
vice tantum tam ex parte propria, quam
Concilii Alexandrum V. elegerunt. *Abb.
in c. Licet num.* 8. Deinde pluribus hæc
quæstio discussa fuit in Concilio Con
stantiensi, & tandem concordiæ causa
statuerunt, ut Cardinales tam propria
auctoritate, quam Concilii potestate
Pontificem eligerent: Ita tamen ut Car
dinalibus quælibet Natio sex adjungeret
cum jure suffragii & auctoritate eligen
di Romanum Pontificem, & is qui à
duabus partibus Cardinalium, & illis
adjunctorum electus esset, verus & le
gitimus Pontifex haberetur, ideoque ex
quinque Nationibus: Italica, Gallica
Germanica, Hispanica & Anglica ex sin
gulis sex, universim triginta delecti
sunt, omnes sacris initiati, & in Con
clave ingressi, quarta post ingressum die
elegerunt in S. Pontificem Othonem Co
lumnam, postea Martinum V. appella
tum. *Acta Concilii Azor p.* 2. *l.* 4. *c.* 2
q. 13.

18. Pro

18. Probabilius tamen videtur, de jure ad solos Cardinales dicto etiam casu electionem Pontificis pertinere, quia Cardinalibus absolute concessit Jus potestatem eligendi Pontificem, ubi vero jus nihil distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec potest solum Concilium potestatem hanc Cardinalibus auferre, quia potestas hæc data est Cardinalibus auctoritate Pontificis & approbante generali Concilio ut patet *ex cap. Licet de elect. & cap. ubi periculum de elect. in 6.* Ergo sola Concilii auctoritate potestas hæc auferri illis nequit, si Pontificis non accesserit consensus, nisi justa subsit causa, ut si Cardinales quoque participes essent hæresis seu criminis, vel alia de causa suspecti forent. *Azor l. c.*

19. Quod vero ad personam eligendam attinet, generaliter quilibet mentis compos & fidelis, qui hæresis labe non sit notatus, nec tam notoriè criminosus ut scandalum daret toti mundo, est elegibilis, ideoque etiam si Laicus in Pontificem eligatur, electionem esse validam, ostendit exemplum Cœlestini V. & colligitur ex Cæremoniali Ecclesiæ Romanæ, quod formam habet ordinandi eum, qui ex Laico assumptus fuerit,

idem

idem tenet *Glos. V. Non Apostolicus in c. s quis pecunia dist.* 79. Licet enim Pontificatus Beneficium sit Ecclesiasticum, *c. 1. de maled.* potest tamen conferri Laico, si intra congruum tempus promoveatur interim tamen solum habebit, quæ sunt jurisdictionis, non ea quæ sunt Ordinis *Anton. de Rosellis de potest. Imp. & Pap. n.* 48.

20. Si uxoratus quoque eligatur in Summum Pontificem, valida erit electio; Si tamen id fieret absque licentia uxoris, potest ab ea revocari, ut ei teneatur reddere debitum, cum hoc sit jus justitiæ, quod lædi non potuit per Pontificatum, quantumvis bona fide assumptum, eo quod uxor mortua crederetur. *Abbas in cap. constitutus n. ult. de conversi. conjug. & in Uxoratus num.* 1. *eod. Sanchez. de Matr. l.* 7. *disp.* 38. *n.* 12. Si vero uxore sciente hoc fiat, videtur illa cogi posse ad conversionem. *arg. c. Qui uxorem* 33. *q.* 5. *Bonac. de elect. Pont. disp.* 1 *q.* 2. *n.* 4.

21. Etiam cœcum non esse incapacem promotionis ad Papatum, tradunt Passerinus *tract. de elect. Pontif. q.* 30 & Parisius *de resign. l.* 5. *q.* 9. *n.* 45. Nam licet DD. de capacitate cœci ad publica munera cum distinctione loquantur

ut cœcitas superveniens munera, vel officia jam adepta non tollat, impediat vero ne alia de novo conferantur. Attamen electionem cœci ad Pontificatum validum esse sustinent supra citati Auctores. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 3. num. 22.*

22. Fœmina in Papam eligi non potest, adeo quidem ut nec Christus B. Virgini MARIÆ, Matri suæ à se supra omnes mortales dilectæ Pontificatum, vel claves Ecclesiæ commiserit. *cap. Nova de Pœnit. & remis.* Et Hæresis jam pridem damnata est apud S. Epiphanium hæresi 49. *Posse fœminam ullam esse Sacerdotem*, à potiori Pontificem. Si enim Apostolus *docere mulieri non permittat* 1. *Timoth.* 2. v. 12. Quomodo in Ecclesia DEI tolerabitur, ut mulieris oraculo definiatur, quæ fide divina credenda, quæque rejicienda sint; Et cum idem Apostolus 1. *Cor.* 14. v. 34. dicat. *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit*, certe non est permittendum illis ut doceant ex cathedra, instruant subditos in fide & moribus, eisque præsint in ritibus & functionibus Ecclesiasticis, quod proprium est Pontificis & Christi in terris Vicarii.

23.

23. Hinc tanquam putida fabula rejicienda est, quam nonnulli præsertim Novatores, ut Magdeburgici Centuriatores *Cent. 9. c. 20. Jo. Carion. lib. 3.* Franciscus Junius *Controv. 3. lib. c. ult.* Michael Stifelius aliique plebi obtrudunt, fuisse Romæ fœminam in Summum Pontificem electam; Totam enim fabulæ hujus molem copiosè & valenter dejecerunt Onuphrius in *Platinam*, Bellarminus *l. 3. de Rom. Pontif. c. 24.* Baronius *tom.* 10. Annalium. Florimundus Remundus, Georgius Scherer. Nicolaus Serarius aliique, atque etiam plures hæreticorum Viri doctissimi impostruram hanc confutarunt, ut etiam hæreticos pigeat non tam invecti hujus mendacii, quam quod putide sint convicti, inquit *Possevinus in apparatu.*

§. 6.

De tribus modis eligendi Pontificem, & de ejus Electione.

1. *Certa forma servanda in hac Electione à Jure non est tradita.*
2. *Per Constitutiones verò Pontificias triplex est introducta.*
3. *Prima per inspirationem.*
4. *Secunda per Compromissum.*

5. *A*

5. *Aliquando etiam per Compromissum mixtum cum Scrutinio.*
6. *Tertia per Scrutinium & Accessum.*
7. *Quis illius auctor.*
8. *Modus, quo fiat Scrutinium. Ubi, & in quo habitu id faciant Cardinales.*
9. *Decanus primo die celebrat, reliqui præstito juramento communicant.*
10. *Reliquis diebus celebrat Sacrista.*
11. *Scrutinii actiones sunt tres.*
12. *Ante-Scrutinii qui sint actus.*
13. & 14. *Schedularum magnitudo, & forma.*
15. *Extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum.*
16. *Schedularum scriptio.*
17. & 18. *Schedularum complicatio.*
19 *Schedularum obsignatio.*
20. *Qui sint actus Scrutinii.*
21. *Delatio Schedulæ ad altare.*
22. *Si quis eam deferre ob valetudinem non possit, ultimus Scrutator defert.*
23 *Infirmi in cellis suis, quomodo suffragium ferant.*
24. *Schedularum permixtio.*
25. *Schedularum numeratio.*
26. *Publicatio Scrutinii.*
27 *Schedularum in filum insertio.*
28. *Post-Scrutinii qui sint actus.*
29. *In accessu quæ sint observanda.*

30. 31. 32. 33. *Secutâ electione per ſcrutinium & acceſſum quæ fiant.*
34. *Numeratio ſuffragiorum.*
35. *Recognitio.*
36. *Combuſtio ſchedularum.*

1.

PORro certa forma in electione Romani Pontificis ſervanda à Jure communi non eſt tradita, ideoque ſi quæ ſtatuta in electione non obſerventur, non propterea irritus cenſetur actus, dummodo conſenſus duarum partium adſit, prout recte colligit Innocentius *ex cap. Licet de Elect.* cum ait: *Non eſt hic alia forma ex neceſſitate ſervanda, immo quocunque modo appareat duas partes conſenſiſſe in aliquem tanquam in electum, jus habet, & verus Papa eſt.* Quod etiam plures alii notarunt apud Barb. *Jur. Eccleſ. l. 1. c. 1. n. 84.*

2. At vero per Conſtitutiones Pontificum maxime Gregorii XV. *Æterni Patris* & Urbani VIII. *Ad Romani* & conſenſum Cardinalium eligentium, tribus modis fieri poteſt electio, nimirum: per inſpirationem, per compromiſſum, per ſcrutinium & acceſſum.

3. Primum modum explicat Cæremoniale ex mandato Gregorii XV. compoſitum

situm ab eoque confirmatum his verbis: *Primus modus est, qui quasi per inspirationem vocatur, quando scilicet omnes Cardinales quasi afflati Spiritu sancto aliquem unanimiter, & viva voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum ex Constitutione Gregoriana infra scripta notari possunt. Primo, hæc forma electionis practicari potest solum in Conclavi, eo clauso. Secundò, debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus & singulis Cardinalibus in Conclavi præsentibus. Tertiò communiter & nemine eorum dissentiente. Quartò, nullo præcedente de persona speciali tractatu, & per verbum* Eligo, *intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri. Exemplum autem hujus potest esse hujusmodi: Si aliquis Patrum clauso Conclavi, nullo, ut præfertur, præcedente speciali tractatu diceret:* R. D. perspecta singulari virtute & probitate R. D. N. judicarem illum eligendum esse in Summum Pont. & ex nunc ego ipsum eligo Papam. *Deinde hoc audito, si cæteri Patres, nemine ex-*

cepto,

cepto, ſequentes primi ſententiam, e
dem verbo, Eligo, *intelligibili voce pr*
lato, aut ſi non poteſt in ſcriptis e
preſſo eundem N. de quo nullus ſpeci
lis tractatus præceſſit, communiter el
gerent, ipſe N. eſſet Canonice elect
& verus Papa ſecundum hanc electi
nis formam, quæ dicitur per inſpiratio
nem, *ſeu, ut in ſacris Canonibus ſcri*
ptum eſt, quaſi per inſpirationem.

4. Secundum modum idem Cæremo
niale exponit verbis ſequentibus: *Secun*
dus modus eſt, Compromiſſum, *quan*
do ſcilicet Cardinales ad electionem p
hanc formam, ſeu quia procedere vo
lentes, committerent aliquibus ex Pa
tribus eligendi poteſtatem, ut vi
omnium Eccleſiæ Catholicæ provideat
de Paſtore, cujus formæ praxis potu
eſſe hujusmodi: Primò *omnes & ſin*
guli Cardinales in Conclavi clauſo pr
ſentes, nemine eorum diſſentiente,
aliquo ex Patribus *compromiſſum f*
ciunt, exempli gratia, in hanc formam
In nomine Domini, Amen. Anno
ejusdem, &c. menſe &c. die &c. N
Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R.
Ca

Cardinales omnes & singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (*& sigillatim omnes nominentur Cardinales*) elegimus & eligimus per viam procedere compromissi, & unanimiter, & concorditer neminc discrepante Compromissarios N. N. & Cardinales &c. quibus damus plenariam facultatem & potestatem providendi S. R. E. de Pastore, & sub hac forma, videlicet, (*hic optimum erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum & formam, secundum quam Compromissarii debebunt eligere, & secundum quam electus debet censeri verus & legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres Compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, prius proponere debeant sacro Collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam, seu nominandas ad Pontificatum, an vero absolutè debeant electionem peragere, an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat quod duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, & alia his similia*)

Quibus addi solet tempus quamdiu ve-
lint Cardinales potestatem habere eli-
gendi Compromissarios, & postea sub-
junguntur hæc verba: *Et promittimu-
nos illum pro Romano Pontif. habitu-
ros, quem Domini Compromissarii se-
cundum formam prædictam dixerin
eligendum.*

5. Potest etiam Electio compromis-
soria fieri limitate, hoc est per compro-
missum cum scrutinio mixtum, nimi-
rum si ita Compromissum fiat, ut Com-
promissarii ipsi exquirant vota singulo-
rum, illumque eligant, in quem majo-
& sanior pars consenserit secundum
Constitutionem Innocentii III, de qu
in cap. Cum dilectus de elect. quæ revocat
non fuit per Alexandrum III, in Con
Generali anno 1215, ut declarat Boni
fac. VIII. *in c. Cum expediat 29. de Elect. i
6. & in c. Si cui 37. eod.* Per tale Compro
missum electos esse Clementem IV. an
1265. Gregorium X. an. 1271. & Joan
nem XXII. an. 1316, tradit Barb. *Ju
Eccl. lib. 1. c. 1. n. 96.* & hunc Joannem
XXII. compromisso in ejus personam
facto, ferunt se ipsum elegisse, eam-
que ob causam compromissum deincep
in desuetudinem abiisse.

6. Ter

6. Tertius modus est scrutinium & accessus. Scrutinium est inquisitio votorum eligentium, seu suffragiorum collectio. *Boët. Epo. l. 1. de Regal. n.* 210. ad hoc plura requiruntur juxta *cap. Quia propter de Elect.* 1. Ut Scrutatores sint tres. 2. Ut sint de Collegio. 3. Ut sigillatim & separatò vota exquirant. 4 Ut vota publicentur. 5. Ut omnes eligentes congregentur in unum ; In Camera enim dari non potest votum, nisi ab ægroris *c. In Genesi, de Elect.* 6. Ut tres Scrutatores eligantur qui vota singulorum secretè & sigillatim exquirant, & in scriptis redacta mox publicent. 7. Ut is valide censeatur electus, in quem vel omnes, vel duæ ex tribus partibus consenserint, in quibus tamen electi suffragium non numeretur.

7. Scrutinii & Accessus Author fuit Alexander III. in Concilio Lateranensi anno 1179. Scrutinium autem fieri solet bis de die, semel ante prandium post Missam, & semel vespere dicto Hymno: *Veni Creator Spiritus.*

8. Modus eligendi Papam per Scrutinium, qui nunc ordinariè observari solet, est ejusmodi: Primo die postquam obseratum est pridie Conclave mane

dato signo campanula Cardinales omnes, qui sunt in Conclavi, nisi infirmitate impediantur, induti longis vestibus, seu palliis crocei coloris, anteriore parte apertis & circa collum crispatis, quas *croceas* appellant, in capella Paulina, ubi Eucharistia asservatur, conveniunt.

9. Congregatis omnibus Decanus Collegii Missam celebrat de Spiritu sancto, in qua ordine inter se servato bini & bini cum stolis albi coloris pendentibus ante pectus, si sint Sacerdotes, si vero Diaconi fuerint, defluentibus ab humero dextero versus latus sinistrum accedunt ad altare, & præstito juramento de servandis Bullis juxta formam Concilii Basilienſis *Sess.* 23. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum de manu Decani sumunt; Ac deinde lectis Bullis Pii IV. *in eligendis*, & duabus Julii II. considentes in subselliis suis juxta ordinem consuetum.

10. Reliquis vero subsequentibus diebus usque dum novus Papa sit electus, celebrat sacrum *pro electione Romani Pontificis* mane ante Scrutinium Sacrista, cui serviunt duo Magistri Cæremoniarum, quorum unus debito tempore defert instrumentum pro osculo Pacis

ac

ad Capita Ordinum Collegii præsentis.

11. Considentibus suis locis ordine Cardinalibus proceditur ad Scrutinium, vel ad Scrutinium & Accessum per suffragia secreta. Continet vero tres actiones unam quæ *Ante-Scrutinium*, altera quæ *Scrutinium*, & tertia, quæ *Post-Scrutinium* appellari potest.

12. Ante-Scrutinii actus sunt: Præparatio Schedularum Scrutinii, & Accessus; Extractio Scrutatorum pro votis infirmorum per sortem; Scriptio Schedularum Scrutinii; Earum complicatio, & obsignatio.

13. Schedularum præparatio ad Magistrum Cæremoniarum pertinet, qui eas impressas, vel certe unius manu scriptas tam pro Scrutinio, quam pro Accessu ponent in duobus discis, quos in mensa ante Altare collocabunt.

14. Schedularum longitudo erit unius fere palmi, latitudo vero dimidii palmi. In anteriori earum parte seu facie tria contineri debent. 1. in superiori parte secundum ejus latitudinem, duo hæc verba: *Ego Card.* cum tanta ab invicem distantia, ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, & paulo inferius duo circuli parvi ad loca Sigil-

gillorum indicanda. 4. In medio conti neri debent hæc verba: *Eligo in Summum Pontificem Reverendiſ. D. meum D. Cardin.* 3. In parte inferiori alii duo parvi circuli ad loca ſigillorum ſimiliter demonſtranda. Forma ſchedulæ Acceſſu eadem eſt, quæ Scrutinii, niſi quod loco verborum: *Eligo in Summum Pontifi cem Reverend. D. meum Card.* ponantur hæc verba: *Accedo Reverendiſſ. D. meo Cardinali.* Quæ facilius ex infra ſcripti figuris percipientur.



Exem

Exemplum faciei Schedulæ Scrutinii.

	Ego Card-	
O		O
	Eligo in Summum Pontificem Rev. D. meum D. Cardin.	
O		O

Exemplum faciei Schedulæ Accessus.

	Ego Card.	
O		O
	Accedo Reveren. D. meo Ego Card. D.	
O		O

In exteriori parte Schedularum tam Scrutinii quam Accessus imprimendi sunt duo limbi, quos Itali *Fregi* nominant, quorum uni inscribitur verbum, *Nomen*, alteri verbum *Signa*, quod fit ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet lumen, nomina & signa eligentium conspici possint; Clariora hæc reddit supposita figura.

Exemplum tergi Schedularum Scrutinii & Accessus.



15. Secundus actus Ante-Scrutinii est extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum, quæ extractio sorte facienda est, hoc modo: In sacculo aut vase publicè ponantur tot Schedulæ, vel spherulæ lignæ palàm numeratæ, quot sunt Cardinales in Conclavi cum eorum nominibus: Deinde per ultimum Diaconum extrahantur, primò Scrutatores tres, & postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui infirmarii appellari solent; Quod si in extractione Scrutatorum, infirmariorum, aut etiam Recognitorum, de quibus infra, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus illis satisfacere non possint, alii non impediti loco illorum extrahantur.

16. Tertius actus Ante-Scrutinii est Schedularum scriptio, quæ fit hoc modo: Ad duas vel plures parvas mensas, quæ erunt cum atramento & calamis paratæ in loco Capellæ apto, ut videri ab aliis non possit quid scribatur, accedent Cardinales per ordinem, incipiendo à Decano, ibique sedentes in scabellis paratis, schedulam quisque suam acceptam prius ex disco, scribat hoc modo: Primo in pri-

ma

ma parte in ſpatio inter verba : *Ego Card.* ſcribet proprium nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantum fieri poteſt, alterato, ne manus ſcribentis dignoſcatur ; Caveat vero, ne plures in eadem Schedula ſcribat, quia ſuffragium, juxta Conſtitutionem Gregorianam, eſſet nullum. In tertia vero parte ſigna, hoc eſt numerum aliquem, & ſententiam S. Scripturæ ſeu verbum, vel quid ſimile, prout in ſubjecto exemplo videre licet.

Exemplum Schedulæ Scrutinii ſcriptæ.

	Ego Joannes Card. de Goeſſen.	
O		O
	Eligo in Summum Pontificem Rever. D. meum Card. Anton. Pignatelli.	
O		O
	12. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.	

17. Quar-

17. Quartus Actus Ante-Scrutinii, est Schedularum complicatio, quæ, ut expeditius peragi à Cardd. valeat, poterit a Magistris Cæremoniarum, cum ea præparant, in huc modum fieri: Binæ fiant plicaturæ ex utraque parte cujusque Schedulæ, ita ut nomen eligentis & signa cum fuerint scripta, maneant tecta ex utraque parte à limbis; Deinde quod reliquum est, ita complicetur, ut Schedula fere ad latitudinem pollicis redigatur.

18. Cæterum Magistri Cæremoniarum Schedulas non complicatas, sed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis ponent in discis, & Cardinales postquam iis scribenda inscripserint, eas usque solum plicabunt, quo nomen & signa eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum schedulas obsignaverint.

19. Posttremus actus Ante-Scrutinii est Schedularum obsignatio, quæ facienda est ab unoquoque in tergo Schedularum cum sigillo ad hoc parato in loco parvorum circulorum, ubi cera fuerit posita. Sigillum vero non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud simplex quod facile notari possit, veluti, si in Sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres

lite

literæ, vel literæ & numeri, vel unà tantum imago:

20. Secunda actio est Scrutinium, in qua octo agentur: Delatio schedulæ præstatio Juramenti, positio schedulæ in Calicem, Schedularum mixtio, earum numeratio, Scrutinii publicatio, Schedularum in filum insertio, Earumque depositio seorsum.

21. Delatio Schedulæ fit modo sequenti: Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsigna verit, & complicaverit, duobus primis digitis sumet, & elevata manu palam, deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, in quo est calix magnus ad recipiendas Schedulas paratus, & patena coopertus, ibique genuflexus, aliquantulum orabit, deinde surgens, alta & intelligibili voce, jurabit in hanc formam, quæ in tabella super Altari posita descripta habetur: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum DEUM judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo.* Post hæc Schedulam in patenam ponet, & per patenam mittet in Calicem, quo facto, inclinabit se ad Altare, & ad suum locum revertetur.

22. Si

22. Si ob infirmam valetudinem Car dinalis accedere ad Altare non possit, & præsens sit in Capella, ultimus Scruta tor discum cum Schedulis ad eum defe ret, ex quo Cardinalis infirmus, unam accipiens, eam in loco suo secretè con ficiet, deinde prævio juramento præd cto, schedulam obsignatam, & com plicatam eidem Scrutatori tradet, qu eam palam deferet ad Altare, & sin oratione. & juramento in patenam po net, & per eam in calicem mittet.

23. Si vero aliqui Cardinales infirm sint in suis cellis, tres Cardd. Infirma rii ad eos accedent cum capsula altitu dinis unius palmi, in cujus Superiori pa te sit rima seu foramen, ejus magnitud nis, ut per illud schedula complicat possit per suam latitudinem in capsulam transmitti; Quam capsulam, antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut cœteri Cardinales possint eam inanem, & vacuam conspicere deinde claudent, & clavem ponent su per Altare; Postea Infirmarii cum capsul clausa, & cum parvo disco tot schedu las continente, quot sunt Infirmi Car dinales, ad unumquemque eorum acce dent, & infirmi acceptas ex disco sche dulas secretè scribent, obsignabunt, & com-

complicabunt, & prævio dicto juramento, in capsulam per rimam mittent. Quod si infirmi scribere non possint, alii eorum arbitrio deligendi, præstito de secreto servando in manibus Infirmariorum juramento, prædicta facient; Hi vero non solum juramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latæ sententiæ, si contrafecerint, incurrent. His peractis, Infirmarii ad Capellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, & schedulas in ea contentas, palam numerabunt, & tot repertas, quot sunt infirmi, ponent sigillatim in patenam, & per patenam simul omnes in calicem. Ne autem nimium protrahatur actio Scrutinii, Infirmarii poterunt proprias schedulas post Decanum conficere, & in Calicem ponere, deinde dum cæteri Cardd. Scrutinium agunt, infirmos adire ad accipienda eorum suffragia.

24. Schedularum permixtio fit per primum Scrutatorem, Calice, in quo ipsæ schedulæ positæ fuerunt, patena cooperto, pluries agitato. Deinde fit palam numeratio schedularum per ultimum Scrutatorem, capiendo sigillatim unamquamque schedulam.

25. Numeratio schedularum fit palam per ultimum Scrutatorem, capiendo sigillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium calicem vacuum ad hoc paratum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendæ sunt, & procedendum est ad novum suffragia; Si vero numerus schedularum respondeat numero Cardinalium, publicantur suffragia.

26. Fit vero publicatio Scrutinii per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam hoc modo: Primus Scrutator accipit unam post alteram schedulam, eamque intactis sigillis explicat, & viso electi nomine, schedulam tradit secundo Scrutatori, qui perspecto pariter electi nomine, eandem tradit tertio, qui alta & intelligibili voce legit nomen electi, ut omnes Cardinales præsentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium, juxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Quod si in Scrutinii publicatione, inveniant Scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus & idem in utraque electus fuerit, schedulæ va-

lebunt

lebunt, & notabuntur pro uno ſuffragio, ſi vero diverſi fuerint nominati, neutrum ſuffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana ſtatuitur de illa ſchedula, in qua plures nominati ſunt; Scrutinium tamen neutro caſu vitiatur.

27. Poſtquam ultimus Scrutator unamquamque ſchedulam perlegit, inſerit eam in filum, quod cum acu paratum habet, in loco ubi eſt verbum: *Eligo*, quod ideo fit, ut ſchedulæ cautius conſervari poſſint. Inſertis in filum omnibus ſchedulis, capita fili nodo connectit idem ultimus Scrutator, & ſchedulas ſic colligatas, in alium calicem vacuum, vel in menſa ſeorſum ponit.

28. Tertiæ actionis, quæ *Poſt-Scrutinium* appellata fuit, tres ſunt actus, ſi ſecuta fuerit electio per ſcrutinium, videlicet: Numeratio ſchedularum, Recognitio ſuffragiorum, & ſchedularum combuſtio. Si vero per Scrutinium non ſit ſecuta electio, actus ſunt ſeptem, videlicet: Acceſſus, Sigillorum & ſignorum apertio, eorum annotatio, ſuffragiorum examen, ſuffragiorum Scrutinii, vel Scrutinii & acceſſus numeratio, eorum recognitio, & ſchedularum combuſtio.

29. In Accessu, qui immediate fit p
Scrutinium, si per illud non fuerit cre
tus Papa, omnia servanda sunt à Car
nalibus, quæ in Scrutinio observari d
bent, exceptis his infra scriptis: Prim
quod Cardinales schedulas pro acces
sumere debent ex disco schedularum a
cessus. Secundò in schedularum acces
scriptione, si Cardinalis nemini velit a
cedere, scribit in media Schedul
Nemini, loco nominis Cardinalis, q
scribendus esset, si ad eum fieret accessu
Schedula autem accessus scribi & obsig
ri debet cum eisdem sigillis & signis sc
dulæ Scrutinii, sub pœnâ nullitatis suff
gii ipsius accessus. Tertiò, quod non p
test accessus fieri ad eum Cardinalem, q
in Scrutinio saltem unum suffragium n
obtinuerit, neque ad eum, qui ab ip
met Cardinali fuit in Scrutinio nomi
tus. Quartò quamvis in accessu n
liceat plures nominare, sicut non licet
Scrutinio plures eligere, sub pœna nu
litatis suffragii, tam in accessu, qu
in Scrutinio; Nihilominus licebit acc
dere uni ex pluribus nulliter à se nom
natis in Scrutinio, dummodo ei ab a
aliquod suffragium, non tamen nullit
in ipso Scrutinio datum fuerit. Qu
tò, quod in accessu non præstatur ju
me

mentum, quia in Scrutinio fuit jam præstitum. Sexto, denique Infirmarii deferre debent ad infirmos schedulas accessus, & simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quæ quisque Card. in Scrutinio nominatus, obtinuerit.

30. Porrò Sigillorum, & Signorum apertio, eorum annotatio, suffragiorum examen, qui Post-Scrutinii actus locum solum habent, quando secuta est electio per Scrutinium & accessum, fieri debent hoc modo.

31. Primus Scrutator schedulas accessuum in ea parte solum, quæ signa continet, aperiet, & inspectis earum sigillis & signis, apertas, ac in filo, ut erant, insertas, tradet secundo Scrutatori, & secundus facta inspectione porriget tertio, qui alta & intelligibili voce, sigilla & signa prædictarum schedularum enunciabit, & annotabit in latere sinistro folii impressi sub verbis: *Sigilla & Signa Accessuum*, quam etiam annotationem facient cæteri Card. si voluerint, in simili folio impresso.

32. Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inspicientibus, pro accessuum prædictorum examine capiet schedulas Scrutinii, in iisque quæret si-

gilla singularum schedularum accessuu
eoque aliquo invento, aperiet Scruti
schedulam in ea parte, ubi signa sun
& si non invenerit, signa hujus sch
dulæ concordare cum signis accessu
schedulam illam relinquet, & alia
capiet, si vero invenerit signa conco
dare, ostendet illa secundo & terti
Scrutatoribus, qui post diligens ex
men super identitate sigillorum & signo
rum utriusque schedulæ, Scrutinii scilic
& accessus, simul inspicient, an idem v
diversi in utraque schedula sint nomi
ti; Et si idem nominatus sit, suffragiu
accessus nullum censebitur; Si vero
versi nominati sint, suffragium accessu
pro valido habebitur, & hoc casu, te
tius Scrutator sigillum & signa sched
læ Scrutinii, ac etiam nomen electi, q
in ea continetur, alta & intelligibili v
ce enunciabit, & annotabit in late
dextero prædicti folii impressi, sub verbi
Signa Scrutinii respondentia accessibu
Quam annotationem cæteri quoque Ca
dinales, si voluerint, in simili folio in
presso facient. Sed res elucidabitu
exemplo infra posito.

Ex

Exemplum.

Folii impressi, in quo Accessus, & Scrutinii Sigilla ac Signa concordantia annotantur.

Sigilla, & Signa Accessuum	*Sigilla, & Signa Scrutinii, Accessibus respondentia.*	*Cardinales nominati in Scrutinio.*
A CD. 43. DEUS B R F. 32. Bonitas. R G I. 50. Beatitudo. N S P. 26. Gloria.	B R F. 32. Bonitas R G I. 50. Beatitudo.	Card. S. Eusеb. Card. S. Sixti.

33. Quod si fortasse in ista inquisitione contingat, duas vel plures schedulas Scrutinii, reperiri cum eisdem sigillis, & signis alicujus schedulæ accessus, tunc si in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alius, primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus similiter inspicientibus, Scrutinii schedulas hujusmodi, & schedulam accessus, in ea etiam parte, in qua est nomen eligentis, & accedentis aperiet, ut constare possit secundum Gregorianam Constitutionem, de validitate accessus; Si vero in aliqua hujusmodi schedularum Scrutinii concordantium cum accessu, non sit nominatus electus debent eæ schedulæ omitti, & ad subsequens procedendum erit.

34. Quin-

34. Quintus actus Post-Scrutinii est numeratio suffragiorum vel Scrutinii solius, vel Scrutinii & accessus, quæ fit semper per Scrutatores, ut sciatur an in eo Scrutinio & accessu habeatur Papa nec ne. Fit autem hæc numeratio hoc modo: Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quæ quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, sive in Scrutinio solo, sive in Scrutinio, & accessu simul, & si invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo Scrutinio, sive Scrutinio & accessu. Si vero invenerint aliquem ex nominatis, duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam, etiam in parte, in qua est nomen eligentis, & si quidem in ea suffragatus fuerit alter, electio ejus erit Canonica; Si vero sibi suffragium dederit, ejus electio ex dispositione Gregorianæ Constitutionis nulla erit, ob defectum unius suffragii. Si denique plures duas tertias partes, vel ultra duas tertias obtinuerint, tunc in suffragiorum paritate, nullus erit electus, in imparitate vero, ille est Canonicus Papa, qui superat alium, etiam in uno suffragio.

35. Ex

35. Sextus actus Post-Scrutinii, est Recognitio, quæ per Recognitores, sive secuta sit electio, sive non, fiet, inspiciendo tam schedulas scrutinii & accessus, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per hujusmodi Recognitionem constare possit, an Scrutatores fideliter muneri suo satisfecerint. Recognitores autem extrahentur sorte, uti Scrutatores & Infirmarii, statim quidem post Scrutinium, si secuta sit in eo electio; Si vero non sit secuta, post Scrutinium & accessum, cum scilicet Scrutatores suum impleverint munus per numerationem; Et hæc extractio fiet, sive secuta sit electio in Scrutinio & accessu, sive non.

36. Postremus actus Post-Scrutinii est combustio omnium schedularum, quæ semper & palam per Scrutatores fiet, ac statim post Recognitionem, sive electio sit secuta, sive non. Atque hæc servanda sunt in omnibus Scrutiniis, sive fiant mane post Missam, sive Vespere post Hymnum: *Veni Creator Spiritus*; Suntque Ritus desumpti ex novo Cæremoniali Romano & ex præscripto Constitutionis Greg. XV. in electione Rom. Pontificis observandi; Utrumque & Cæremo-

moniale & Constitutionem Gregorii co. firmavit deinde Urbanus VIII. *Const. 4. Ad Romani.*

§. 7.

Quæ fiant post Electionem Pontificis.

1. *Post electionem petitur consensus electi.*
2. *Priusquam is detur nomine Electi & Cardinalium omnia administantur.*
3. *Non est necessaria Confirmatio.*
4. *Electus imponit sibi nomen.*
5. *Vestitur habitu Pontificali.*
6. *Et præstatur consueta Obedientia.*
7. *Annunciatur electio populo.*
8. *Prandent Cardinales.*
9. *Fit secunda Salutatio in Conclavi, & tertia in templo S. Petri.*
10. *Pontifex benedicit Populo & Collegio Cardinalium.*
11. *Post aliquot dies fit coronatio.*
12. *Et si electus non fuerit Episcopus, consecratur.*

1.

POstquam peracta est ritu supradicto Summi Pontificis electio, accedunt ad electum Decanus Collegii & duo capita Ordinum, vel iis per morbum impeditis

peditis alii tres in Ordine antiquiores, rogantque nomine Sacri Collegii ut Pontificatum acceptare velit ; Consensus enim electi accedere debet. *Bonac. de elect. Pont. q. 2. n. 9.* & si absens sit, pro eo impetrando mittendi sunt à Collegio Cardinalium deputati ; Interim priusquam absens consensum præstiterit, neutiquam consenda est Sedes Apostolica simpliciter vacare, nec liberum erit Cardinalibus, facta unius electione ab ea recedere, antequam constet electum acceptare nolle Pontificatum.

2. Necessaria vero ad rectam gubernationem expedienda sunt à Cardinalibus suo & nominati Pontificis nomine, donec de ipsius consensu constiterit, prout in electione Adriani VI. factum fuisse refert ex Bonacina Barbosa *l. 1. Jur. Eccles. c. 1. n. 112.*

3. Electo vero Pontifici non est necessaria confirmatio. *Lavor. tit. 4. c. 12. n. 19.* quia hæc fieri debet per superiorem qualem Papa nullum in terris habet. *Parisius de resign. benef. l. 7. q. 5. n. 1. & 2.* Ideoque statim ac electus est Papa plenam habet ac liberam administrationem. *Glos. V. & dispensandi in cap. 1. dist. 23.* & dum eligitur, confirmatus esse censetur. *Glos. fin. in c. Licet de vitandæ, de elect.*

4 Post-

4. Postquam electioni consensum præstitit Pontifex, rogatus à Magistro Cæremoniarum, quo nomine appellari placeat, aliud sibi nomen adsciscit, ad instar Principis Apostolorum Petri, qui antea Simon dicebatur. *Böet. Epo. l. 1. de regal. n. 211.*

5. Deinde deducitur electus à duobus Card. Diaconis post altare ejusdem Capellæ, ubi adjuvantibus Sacrista & Magistris Cæremoniarum exuitur vestibus Cardinalitiis, induiturque habitu Pontificali, nimirum: Calceis cum cruce aurea, veste talari, subtana dicta ex serico ormesino, rochetto, mozzetta & bireto ex serico rubro.

6. Postea deductus ante Altare sedens in Cathedrâ suscipit salutationem, vulgo adorationem osculo manuum, pedum & oris.

7. Quo facto Diaconus primus præcedente Magistro Cæremoniarum cum Cruce & Musicis Capellæ cantantibus: *Ecce Sacerdos Magnus* vadit ad pergulam Basilicæ Vaticanæ, ex qua perfracto muro denuntiat populo exspectanti in area electionem novi Pontificis altâ voce dicendo: *Annuncio vobis gaudium magnum: Habemus Papam*

pam Eminentissimum & Reverendissimum D. Antonium Pignatelli qui sibi nomen imposuit Innocentium undecimum. Quod nuncium excipiunt statim faustæ populi acclamationes, bombardarum in areâ explosiones, majorum machinarum in arce S. Angeli fragores, & solennis Campanarum per Urbem compulsatio, mittunturque ad Palatium electi Pontificis aliquot cohortes militum, qui id ab irruptione populi defendant.

8. Interim Pontifex & Cardinales in Conclavi se prandio reficiunt, si electio facta fuerit mane, & Conclave aperitur.

9. Paulo post revertuntur Cardinales ad Capellam, & secundam faciunt salutationem, seu adorationem Papæ habitu pontificali induto. Qua finita statim, si fuerit circa meridiem si vero circa Vesperum, altero mane, præcedente Magistro Cæremoniarum cum Cruce & Musicis Capellæ, portatur in sede Pontificali ad S. Petrum, ponitur-que supra Altare majus, ubi tertia vice salutatur osculo pedis, manus & oris modo supradicto à Cardinalibus. Interim cantatur à Musicis Hymnus Ambrosia-

brosianus ; Peracta adoratione & finito Hymno cantat S. Collegii Decanus versiculos quosdam & orationem.

10. Deinde descendit Pontifex ex Altari & deposita per Diaconum assistentem mitrâ versus ad Populum, dat Benedictionem, atque impositâ iterum per alterum Diaconum assistentem mitrâ descendit ex gradibus Altaris, & data hinc inde Cardinalibus, benedictone deportatur ad Palatium Vaticanum.

11. Post aliquot deinde dies coronatur Pontifex in Basilica S. Petri ab antiquiore Diacono Cardinali ; Ac subinde constituto die possessionem capit Episcopatus in Ecclesia S. Joannis Lateranensis.

12. Quod si Pontifex electus Episcopus non fuerit, consecrari debet à Cardinali Episcopo Ostiensi qui tunc Metropolitani vice fungitur, *c. 1. dist. 23.* assistentibus ei Portuensi & Albanensi Cardinalibus, Episcopis. Sed hoc tempore teste Barbosa *lib. 1. cap. 2. num. 116. Jur. Eccles.* Decanus Collegii Cardinalium id est, primus inter Episcopos, quamvis non sit Ostiensis, hoc munus cum aliis duobus Senioribus Episcopis obire solet.

CA-

CAPUT III.

De Consistoriis.

CONsistorium generali acceptione quævis Congregatio, in qua homines pro publicis negotiis simul consistunt, nuncupari potest. Hic vero significat Congregationem, quam celebrat Pontifex cum Collegio Cardinalium in Palatio suo Apostolico per modum Senatus majoris. Habentur quidem in eadem Curiâ cum Cardinalibus aliæ Congregationes, ut sunt S. Officii, Signaturæ gratiæ, Examinis Episcoporum, aliæque, sed hæ Consistoria non dicuntur, verum sortiuntur nomen à rebus, quæ in iis tractantur.

Consistoria, de quibus hic agimus, alia sunt extraordinaria magisque solennia, ad quæ præter Cardinales admittuntur quoque Prælati ac Ministri, atque etiam Principum Oratores & Magnates quæ *Publica* dicuntur. Alia sunt ordinaria, & minus solennia, ad quæ soli Cardiuales pro negotiis tractandis admittuntur, & *Secreta* appellantur.

§. I.

De Consistoriis Secretis,

1. *Consistorium Secretum quando habeatur.*

2. *Quæ*

2. Quæ in eo tractentur.
3. Indicitur per Cursores.
4. Ipso die Sacerdotes celebrare, reliqui communicare solent.
5. Ideoque sub principium Consistorii non fi oratio.
6. Quo habitu vadant Cardinales ad Consistorium.
7. Quo habitu accedat ad Consistorium S. Pontifex.
8. In Consistorio adhuc januis apertis admitti Pontifex ad alloquium Cardinales.
9. Clauso Consistorio considunt Cardinales.
10. Serovenientes accedunt ad locum suum.
11. Plura vota concludunt.
12. Olim Cardinales promovebantur in quatuor temporibus.
13. Et quis tum modus observatus fuerit.
14. Quo modo nunc creentur.
15. & 16. Præsentes in Urbe accipiunt stati biretum, & visitant Consanguineos Papæ.
17. Absentibus mittuntur literæ de promotio facta.
18. Et biretum per Camerarios Papæ.
19. Hi intra annum accedere debent ad Urbem.
20. Quo habitu veniant.
21. Ubi venerint Romam introducuntur à Ca Nepote ad Papam.
22. Deinde visitatis Consanguineis Papæ se con tinent domi usque ad Consistorium publicum.

23. P

23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. b 32. 33. 35. b 36. 38. 39. c 40. 41. 42. 43.

23. Post quod clauditur illis in Consistorio secreto os.

24. Per hoc tamen non amittunt facultatem eligendi Pontificem.

25. In altero deinde Consistorio aperitur illis os, & conceditur Titulus cum annulo.

26. Pro juribus hujus annuli dantur 500. Ducati de Camera.

27. Hæ Cæremoniæ quandoque etiam fiunt in Congregationibus.

28. Creantur in Consistoriis secretis Legati de Latere.

29. Cum Consilio Cardinalium.

30. Qui solenni equitatione deducuntur.

31. Quando hi uti possint insignibus & juribus suis?

32. Quæ sint eorum insignia?

33. & 34. Quomodo intrent civitates & oppida?

35. Nominantur etiam in his Consistoriis Gubernatores.

36. Committitur illis Legatio per Breve.

38. Et proponuntur Præsules.

39. Tam in partibus, quam habentibus jurisdictionem.

40. Præsules in partibus solo nutu promoventur.

41. Reliqui prævio examine in Italia.

42. Ponens proponit Ecclesiam vacantem, & electum.

43. Qui mittit Summarium processus ad Cardinales.

44. In secundo Consistorio confertur Eccles
aut confirmatur Electio.
45. Aliquando ipse Pontifex personam proponit.
46. Promotus vestitur habita Episcopali.
47. Et accipit rochettum à Pontifice.
48. Ac visitat sacrum Collegium, aliosque.
49. Conferuntur Monasteria Consistorialia
Coadjutoriæ.
50. Solvitur matrimonium spirit. inter Præs
lem & Ecclesiam.
51. Fiunt erectiones, divisiones & union
Ecclesiarum.
52. Et agitur de gravioribus negotiis.
53. Pro quibusdam instituitur Congregatio stat
54. Præmittitur etiam Congregatio Consistorial
55. In quibus omnia contentiosa examinantu
priusquam in Consistorio proponantur.
56. Et alia majoris momenti.
57. Qui intrent Consistoria secreta?
58. De Advocatis Consistorialibus.

1.

COnsistorium secretum olim bis si
gulis septimanis habebatur. Vestri
l. 1. c. 1. nunc rarius pro exigentiâ nego
tiorum, & voluntate Pontificis; O
dinariè vero bis in mense, feriâ secund
tempore matutino; Si dicta dies impe
dita sit, vel necessitas sic postulet, ha
betur alterâ die, & quandoque etia
post prandium. 2. l

2. In hoc Consistorio creat Pontifex novos Cardinales, eisque os claudit & aperit. Nominat Legatos de Latere, & tradit illis signum Crucis. Constituit Legatos Urbium & Provinciarum, nimirum: Avinionensis in Galliâ, Bononiensis, Ferrariensis, Romaniæ, Marcæ Anconitanæ, Umbriæ, Ducatus Urbini, Patrimonii S. Petri, Campaniæ, Maritimæ, & Sabinæ. In Consistoriis quoque secretis electi ad vacantes Ecclesias Episcopales, Archi-Episcopales, Metropolitanas & Patriarchales proponuntur, & instituuntur, si electio per speciale privilegium ad Capitulum, Communitatem, Regem, aliumvè pertineat; Alias ad supremas has Prælaturas tanquam reservatas per Reg. 2. Cancellariæ Innocentii XII. à Pontifice, & sacro hoc Senatu apti eliguntur. Hæc reservatio ad certa quoque Monasteria extenditur, quæ in eodem hoc Consistorio conceduntur, aut commendantur, ideoque *Monasteria Consistorialia* dicuntur. Demum in Consistoriis secretis tractantur omnia, quæ ad cultum DEI, Religionem, pacem publicam Christianorum, & ad conservationem etiam temporalis patrimonii Ecclesiæ Romanæ pertinent.

3. Denunciantur Consistoria, uti & Capella & Congregationes coram Pontifice habendæ Cardinalibus per Cursores vestitos talari violacea, qui statim ac veniunt tanquam missi à Papâ admittuntur. Admissi genibus flexis, ac virgam nigram, quam manu gestant, tenentes erectam ante Cardinales commissionem linguæ latinâ exponunt, exprimendo diem, horam & locum Consistorii vel Congregationis habendæ, quam illi excipiunt tecti bireto, quod deponunt, cum Cursores sermonem absolverunt, & discedunt. Si fortè Cursores veniant, dum accumbunt mensæ Cardinales, datur & ipsis lauta refectio.

4. Indicta ergo die pro Consistorio habendo, quilibet Cardinalis, si Sacerdos sit, celebrare Missam, alii verò Sanctissimâ Eucharistiâ se reficere, aut saltem audito Sacro se colligere, atque Spiritu sancti opem implorare solent.

5. Hinc sub principium Consistori nulla peculiaris oratio ad implorandam divinam gratiam, quemadmodum in aliis Cardinalium & Prælatorum Congregationibus religiosè servatur, palam præmittitur.

6. Quando se conferunt Cardinales ad Consistorium tam publicum, quam secre-

secretum, utuntur Cappa ex Ciambellotto undulato, seu materiâ ex pilis Cameli contextâ coloris, qui tempori conformis est. Præfertur illis (quemadmodum semper, quando Cappa utuntur, excepto die Veneris sancto, & cum intersunt concioni in Palatio Apostolico) ab uno è Camerariis *la Mazza*, seu clava in signum præeminentis dignitatis.

7. Cum pervenerint ad locum, in quo celebratur Consistorium secretum, præstolantur adventum Pontificis, qui accedit ad Consistoria tam publica, quam secreta, excepto primo secreto, ut dicetur, vestitus habitu suo privato, hoc est veste talari alba, quam *subtanam* vocant & Rochetto, deinde rubri coloris mozettâ, bireto, stolâ, & calceamentis cruce ex auro acu pictâ insignitis; Estque hic habitus pro differentia temporis vel ex serico, vel ex lana, & vel fultus pellibus armellinis, vel sine pellibus. A Sabbato sancto verò usque ad Sabbatum in albis inclusivè utitur mozettâ & bireto ex serico Damasceno albo, pellibus albis armellinis circumsultis. In primo Consistorio secreto post assumptionem suam utitur Papa pluviali & mitrâ, in quo gratias agit Sacro

Collegio, quod se elegerint in Pontifi-
cem.

8. Postquam deportatus est Pontifex
ad Consistorium secretum considet in se-
de aureo peristromate tectâ, sed duo-
bus solum gradibus altiore sedilibus Car-
dinalium, quæ sine aulæis tinctæ solum
sunt rubro colore appictis Papæ insigni-
bus. Deinde usque dum omnes, vel ple-
rique præsentes sint, vel quamdiu ei pla-
cuerit januis apertis admittit ad priva-
tum alloquium Cardinales ordine anti-
quitatis, qui stantes detectis capitibus
& manibus decenter ante se compositi
summâ cum reverentiâ negotia cum su-
Sanctitate tractant.

9. Finitâ hac audientiâ obseratur
Consistorium, & considunt Cardinales
locis suis ordine antiquitatis in sedilibus
& Cappis suis contegunt Rochettum.
Ultimi Cardinalis Diaconi est signum da-
re campanula, cum res postulat, aut
advocatur Secretarius, aliive ministri,
qui in aulâ proximè vicinâ expectant.

10. Si quis Cardinalis inchoato jam
Consistorio accedat, is factâ profundâ
Pontifici reverentiâ, & salutatis capi-
tis inclinatione Cardinalibus, qui interim
stantes eum resalutant, accedit ad lo-
cum suum.

11. Ne-

11. Negotia, quæ proponuntur, auditis collectisque Cardinalium suffragiis ex pluralitate à Pontifice decernuntur.

12. Inter cætera, quæ in Consistoriis secretis tractantur, facilè illud præcipiuum est, quod novi creentur Cardinales. Modus vero nunc alius est, quam fuerit antiquitus ; Nam licet Pontifex plenam & omnimodam habeat potestatem creandi Cardinales, quando & quos voluerit, ac idoneos judicaverit, nihilominus tamen olim non nisi in quatuor temporibus ad imitationem Sanctorum Patrum tales promotiones fieri solebant.

13. Modus erat ejusmodi: Proponebat Pontifex Cardinalibus rationes & causas, quibus ad novos creandos Cardinales movebatur, & singulorum Sententias exquirebat ; Si major pars sacri Collegii assentiretur Pontifici, agebatur de numero promovendorum, si & in eo convenirent, injungebat Pontifex Cardinalibus, ut dispicerent, qui idonei essent ad talem dignitatem. In secundo Consistorio secreto declarabat Pontifex nomina eorum, quos ipse dignos promotione judicaret exponendo merita singulorum, & justas magno-

rum

rum Principum commendationes, quos major deinde pars Cardinalium dignos censebat, pronunciabantur à Papa Cardinales.

14. Nunc unico Consistorio expediuntur omnia: Pontifex enim sub initium vel, ut frequentius, sub finem Consistorii recitat singulorum nomina ordine dignitatum, quos promovere ad Cardinalatum statuit, dicitque Cardinalibus, hos Fratres habeant, & interrogat, quid ipsis videatur, eisque promotionem approbantibus fit decretum, quod illico promulgatur extra Consistorium. Quandoque tamen Pontifex exprimit solum numerum promovendorum, non omnium nomina, sed aliquorum reservat, ut dicunt, in pectore, quæ deinde pro libitu ipsius in alio Consistorio publicantur.

15. Publicatione factâ accipiunt præsentes in Urbe statim à Pontifice biretum quod duplici modo fieri observasse se testatur Hieronymus Lunadorus *in relat. suâ*, qui multis annis in Curiâ Romanâ Secretarii Memorialium, & Legationum aliisque officiis perfunctus est. Vel enim promovendi pridie per Cardinalem Nepotem præmoniti sunt, & tunc facto promotionis decreto statim in Consistorium advocantur, & Pontifex prostra-

tis

tis in genua ad pedes suos imponit Biretum rubrum dicendo singulis: *Esto Cardinalis*, & format super eos signum Crucis.

16. Vel formato decreto tradit Pontifex schedulam, in qua descripta sunt nomina Cardinali Nepoti; Hic deinde dissoluto Consistorio mittit Præfectum Cameræ cum rhedâ suâ, ut eos ubicunque in Urbe repertos deducat ad anticameram suam, ubi corona illis tonderetur, & vestiuntur habitu Cardinalitio coloris violacei. Vestes, quibus induti fuerunt, cedunt Cubiculariis Card. Nepotis, & Tonsori dantur pro honorario 25. scuta. Subinde reficit Cardinalis Nepos novos hos Cardinales prandio, quo finito deducit eosdem ad Pontificem, à quo genibus flexis accipiunt biretum. A Papâ dimissi visitant Consanguineos Pontificis utriusque sexus in habitu Cardinalatio, quo facto continent se domi usque ad Consistorium publicum.

17. Si quis ex nominatis Cardinalibus absens sit, & Romæ non commoretur, mittuntur ei literæ à Papa, vel Cardinali Nepote per expressum Cursorem, quæ illum de promotione certiorem reddant. Quo nuntio accepto curat sibi statim tonderi pro more coronam Cardina-

dinalitiam,& vestit se habitu Cardinalitio coloris violacei, non rubri, nisi post acceptum Biretum, scribitque se Cardinalem.

18. Biretum rubrum ad absentes defert aliquis è Camerariis Summi Pontificis, imponiturque novo Cardinali in Templo post auditum Sacrum à Nuncio Apostolico, si talis ibi commoretur, vel eo absente ab Imperatore, Rege, Archi Episcopo, vel Episcopo loci.

19. Cardinalis vero absens creatur conditione, ut intra animum in Curia Romanâ se præsentet, ideoque jurare debet coram aliquo in dignitate Ecclesiasticâ constituto, priusquam Biretum rubrum capiti ejus imponatur, se intra annum ad Urbem, vel ubi Pontifex fuerit, venturum. Si jurare detrectet, Biretum negatur cum privatione honoris Cardinalitii. Si autem præstito juramento, & accepto Bireto emanserit,pariter privatur Cardinalatu, & Biretum deponere tenetur. *Sixtus V. Const. 50. Postquam verus.*

20. Cum Romam proficiscitur novus Cardinalis accepturus galerum, incedit habitu Cardinalis viatorio coloris violacei gestans pileum ordinarium ornatum auro & serico rubro. Cum Urbi ap-

pro-

propinquat, mittuntur illi obviam rhedæ à Cardinalibus, ac in primis Cardinale Nepote regnante, cujus curru vehitur ad Palatium Apoſtolicum.

21. Introductus ad Conclavia Suæ Eminentiæ, præmiſſis honoris officiis, & formatâ per Tontorem coronâ Cardinalitiâ deponit habitum viatorium, aſſumitque talarem cum rochetto, & ſic introducitur à Cardinale Nepote ad Summum Pontificem; Ad cujus conſpectum cum venerit, factis pro more tribus genuflectionibus oſculatur pedes ejusdem, manus & genas, agitque gratias pro dignitate ſibi collatâ.

22. Dimiſſus à Pontifice deducit Cardinalem Nepotem ad ejus Conclave, & repetitis gratiarum actionibus diſcedit viſitatum per Urbem Conſanguineos Summi Pontificis, quo facto continet ſe domi uſque ad Conſiſtorium publicum, nec niſi privatas admittit viſitationes.

23. Poſt Conſiſtorium publicum in primo ſubinde ſecreto clauditur à Pontifice os novo Cardinali conſuetis Cæremoniis, inhibeturque ne votum, vel ſententiam ſuam in Conſiſtoriis & Congregationibus edicat. Hinc ante tempora Pii V. per hunc actum privabatur voce activâ & paſſivâ in electione Pontificis

tificis Sede vacante, nisi Collegium Cardinalium in hoc dispensasset.

24. Verum à Pio V. decretum est edictum 26. Januarii 1571. quo declaravit hujusmodi oris clausuram esse Cæremoniam quandam eâ de causâ introductam ut Cardinales, antequam in Consistoriis & Congregationibus suffragium ferant de modestiâ ab ipsis adhibendâ admoneantur, non autem impedire, vel ligare facultatem eligendi Pontificem. *Greg. XV. Const. 19. Decet Romanum.*

25. In secundo deinde, vel tertio Consistorio secreto aperit os Pontifex novis Cardinalibus, eisque concedit Titulum. Os aperit dando illis facultatem his verbis: *Aperimus vobis ... tam in collationibus, quam in Consiliis atque in electione Summi Pontificis, ... in omnibus actionibus, tam in Consistorio, quam extra, in nomine Patris &* Titulum vero assignat eis in aliquâ Urbis Ecclesiâ, eosque desponsat inserendo digitis annulum aureum cum Saphiro dicendo: *Ad honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sancti N. committimus tibi Ecclesiam S. N. cum Clero & populo &c.*

26. Pro juribus hujus annuli Car-

nalitii quisque dare debet 500. ducatos de Camera, præsentes quidem statim pòst electionem, à Curiâ vero absentes post susceptionem Bireti rubei. Quam pecuniam Gregorius XIII. olim donarat Collegio Germanico in Urbe, sed eam illi à Sixto V. ademptam applicavit postea Gtegorius XV. *in Const. Romanum decet* Congregationi de propaganda fide.

27. Supradictæ verò Cæremoniæ cum novis Cardinalibus fiunt quandoque etiam in Congregationibus, quibus pars major Cardinalium interest.

28. Creantur deinde in Consistoriis secretis Legati de Latere ex consilio Cardinalium. Quamvis enim quicunq; Summo Pontifici visus fuerit idoneus, eligi ab eo possit Sedis Apostolicæ Legatus, in Legatis tamen de Latere mittendis consilium Cardinalium requirere consuevit. *arg. c. Novit de his quæ fiunt à Præl.* idque hoc modo:

29. Pontifex Senatu Patrum Purpuratorum convocato inquirit an & qui ablegandi videantur. Qui nominati fuerint, è Consistorio exeunt, & postquam à majori parte Senatus approbati sunt, revocantur, de munere suo à Pontifice edocendi. Illiperceptâ commissione, acquiescunt

non

non suo magis, quam aliorum de se judicio confidentes Tum pedes manusque Pontificis osculantur, atque etiam ad osculum pacis admittuntur.

30. Ubi interjecto tempore discedendum est ad Legationem, Patres iterum in Consistorium secretum convocantur quo finito Legati à sacro Collegio solemni equitatione deducuntur usque ad portam civitatis, Angelicam quidem, Consistorium fuerit in Vaticano, si vero id celebratum sit in Quirinali, seu Monte cavallo, usque ad portam Flaminiam Legati, ultimi in ordine, medii inter duos primos Diaconos incedunt. Ad portam cum pervenerint, pace gratiisque vicissim impertitis Cardinales recedunt, & Legati iter suum prosequuntur. Isti hunc in modum deducti, nec comparere amplius palam in Urbe, nec dare aut recipere visitationes publicas possunt, sed ut primum licuerit, conferre se ad Legationem suam tenentur.

30. Non possunt vero Legati à Latere ad Provincias suas discedentes erigere crucem, aut dare benedictionem prius quam egressi fuerint extra districtum civitatis, hoc est dissiti sint ab Urbe 4 milliaria, quousque districtus hic protenditur, atque tunc cæteris quoque insigni-

bus & juribus, quæ ipsis tantum conveniunt, uti poterunt.

32. Insignia sunt: Toga talaris purpurea cum veste byssimâ superiori, Palæfredus albus, frænum & calcaria deaurata.

33. His insignibus ornati intrant civitates & oppida sub pallio, quos Clerus & populus solenni supplicatione, & pompâ excipiunt. Archi-Episcopi, & alii Legati minores crucem sibi præferri solitam deponunt. *c. Antiqua de privil. Barb. Jur. Eccl. l. c. 5. n. 22. & seq.*

34. Ingredientes civitatem suæ Legationis viâ uti ordinariâ, & consuetas cæremonias servare debent. *Gambar. l. 1. tr. de potest. Leg.* & antequam hospicium subeant, Cathedralem vel primariam Ecclesiam intrant, & populo benedicunt.

35. Nominantur præterea à Pontifice, ut diximus *num. 2.* in Consistoriis secretis Legati, quibus certæ civitates, vel Provinciæ Sedi Apostolicæ in temporalibus subjectæ, committuntur gubernandæ, in quibus vices Pontificis gerunt, & ordinariam habent jurisdictionem. *c. Legatos de Offic. Leg. in 6.* proindeque pollent plurimùm tam in rebus Ecclesiasticis, quam in iis, quæ concernunt justitiam. Armorum tamen & præsidiorum curam non habent, sed ea demandata est quibusdam ex Nobilitate.

36.

36. Committitur illis Legatio per breve Apostolicum ad triennium, quæ tamen plerumque, si ita desiderent, prorogatur. Non deducuntur vero cum cæremoniis, & equitatione solenni, sed adeunt Provincias suas, cum commodum illis fuerit, fruunturque Titulo, & emolumentis Legatorum, etiam dum Romæ subsistunt.

37. Mittuntur etiam à Pontifice frequenter & ordinariè non Cardinales, sed hi non Legati, sed Nuncii dicuntur, atque olim græcè Apocrisarii, quasi Secretarii dicebantur. *Glos. c. Significasti de elect. & Septuaginta dist.* 16. de quibus actum est *c.* 1. §. 11.

38. Ad hæc proponuntur, aut eliguntur in Consistoriis secretis Episcopi & Archi-Episcopi, fiuntque provisiones Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium de Prælatis, seu Pastoribus idoneis.

39. Hæ provisiones vel sunt Ecclesiarum titularium tantum absque Residentia, & administratione, ut sunt earum quæ occupantur ab Infidelibus, hæreticis vel schismaticis; Vel est Ecclesiarum habentium actualem jurisdictionem, & administrationem in Diœcesi Catholica.

40. Pri

40. Primæ provisiones fiunt solo nutu Pontificis, quo confertur tantum honorifica quædam præeminentia constituens personam in ordine pontificali absque exercitio pontificalium jure proprio ipsi competente.

41. Alteræ provisiones fiunt prævio examine pro Ecclesiis Italiæ, & Insularum adjacentium, de quo infra in capite de Congregatione pro examine Episcoporum, sive promovendus electus sit à Pontifice, sive à Capitulo, sive nominatus à Principe.

42. In his ergo provisionibus præmisso examine, & formato processu consueto de vita, moribus, legitimis natalibus, ætate, gradu, atque etiam de statu Episcopatus, Cardinalis Ponens in primo Consistorio proponit Ecclesiam vacantem, & ad eam electum aut promovendum.

43. Die deinde præcedente Consistorium secundum mittit Cardinalis Ponens Summarium formati processus ad singulos Cardinales, ut videre possint, si quid forte sit opponendum.

44. In ipso vero secundo Consistorio exponit brevibus idem Cardinalis Ponens latina lingua contenta processus, quo facto conversus Pontifex ad Decanum

Collegii quærit, an quid occurrat in contrarium opponendum, quo surgente & negante, si id ipsum quoque neget Cardinalis Ponens Pontifex decernit, & confert Ecclesiam ei, qui propositus fuerat, aut confirmat electionem ab habentibus potestatem eligendi factam. Cardinalis Vice-Cancellarius concipit Decretum describitque in schedulam, quod ipsum quoque facit Card. Ponens subscripto nomine suo, & appositio sigillo, e quibus deinde schedulis formantur Bullæ Apostolicæ.

45. Nonnunquam etiam ipsemet Pontifex personam aliquam conspicuam, & notæ qualitatis proponit, atque tunc si nil opponatur, nullâ aliâ factâ inquisitione, fit decretum.

46. Promotus, si Romæ sit præsens eodem mane, quo propositus fuit, vestire se debet habitu Episcopali violaceo cum pileo nigro, spirâ & limbo viridi ornato; Deinde conferre se ad Palatium Apostolicum, & in Camera Cardinalis Nepotis curare sibi coronam fieri Episcopalem.

47. Qua factâ ascendit ad Anti-Cameram Pontificis, ibique expectat, usque dum finito Consistorio revertatur Pontifex ad Conclave suum, ad quem deinde

deductus à Magistris Cæremoniarum admittitur ad osculum pedis, & imponit illi Pontifex manibus suis rochettum, quo uti Episcopi consueverunt. Ex Ordinibus Religiosorum promoti, cum non utantur rochetto, osculantur solum pedes Pontificis, ac gratias agunt.

48. Postea novus Episcopus visitat sacrum Collegium, ac primo loco Decanum, deinde cæteros sine ordine, prout occurrunt. Post illos Gubernatorem Urbis, Auditorem Cameræ, Thesaurarium generalem, & Datarium, à quo curat sibi dari literas patentes pro Alternativâ, priusquam ad Episcopatum suum discedat.

49. Conferuntur quoque Consistorialiter Monasteria quædam regularia, quæ propterea Consistorialia nuncupantur; Atque etiam Coadjutoriæ tam Cathedralium & Metropolitanarum, quam Monasteriorum Consistorialium.

50. Dissolvitur etiam in Consistorio Matrimonium spirituale inter Præsulem & Ecclesiam seu Cathedralem, seu Metropolitanam ob dimissionem liberam, vel ob translationem ad aliam Ecclesiam, prævio tamen examine, ex quibus causis hujusmodi dissolutio petatur,

51. Novæ quoque erectiones Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, dismembrationes, divisiones & uniones earundem Ecclesiarum in Consistoriis secretis fiunt.

52. Demum in his Consistoriis agitur de gravioribus Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ universalis, vel Principum, tam temporalibus, quam spiritualibus negotiis, juxta eorundem qualitatem & circumstantias.

53. Cum vero non expediat semper de quibuscunque negotiis coram omnibus Cardinalibus agere, solet nonnunquam Pontifex instituere particularem quorundam Cardinalium Congregationem, quam *Status* vocant, pro particularibus quibusdam negotiis, eamque non stabilem, sed quæ pro libitu Pontificis & pro negotiorum qualitate, & temporis exigentiâ mutetur.

54. Porrò cum in plerisque actibus Consistorialibus oppositores se offerant qui in contrarium quædam contentiosa proponant, ne altercatio hæc in ipso Consistorio contra majestatem ejusdem fiat, erecta est Congregatio quorundam Cardinalium & Prælatorum, quæ *Consistorialis* dicitur, & est quasi Consultrix

con-

Consistorii, in qua ventilantur materiæ auditis partibus opponentibus in formâ contentiosâ juxta stylum Congregationum Cardinalitiarum, priusquam in Consistorio proponantur.

55. Examinatur vero exactè inter cætera, si agatur de Ecclesiarum unionibus, divisionibus, seu dismembrationibus, novisq; erectionibus, an justæ subsint causæ, & adsint ea, quæ de necessitate requiruntur.

56. Examinatur quoque in eadem Congregatione an electio Prælatorum facta à Capitulis, & Monasteriis valida fuerit & canonica. An in concessione Coadjutoriæ justæ causæ, aliaque requisita habeantur. An, cum nominati sunt à Principibus & Universitatibus Canonici ad Cathedrales seu Metropolitanas Ecclesias hoc jus nominandi eis competat. An causæ sint sufficientes, ob quas Episcopus deserere Ecclesiam suam desiderat.

57. Ad Consistoria secreta nemo præter Pontificem & Cardinales admittitur. Intrant tamen quandoque Secretarius & Clericus Nationalis; Verum cum dicitur: *Extra omnes* egrediuntur & ipsi, manentque in vicinâ Camerâ usque dum

signum detur campanulâ ab ultimo Car-
dinali Diacono.

58. Admittuntur etiam nonnunquam
Advocati Consistoriales, cum nimirum
pallia pro novis Archi-Episcopis postu-
lant, eique qui pro Pallio sollicitat, dan-
tur ab Archi-Episcopo decem ducati di
Camera. Sunt vero Advocati Consisto-
riales duodecim, & omnes nominan-
tur à Pontifice; Singuli ex septem pri-
mis habent reditum annuum sexcento-
rum scutorum, reliqui trecentorum.
Officium eorum est, præterquam quo
petant pallia nomine Archi-Episcoporum
in Consistoriis secretis, perorare in Con-
sistoriis publicis, prout infra dicetur.
Hi collegialiter congregati in Scholis pu-
blicis, *alla Sapienza*, creare possunt Do-
ctores utriusque Juris.

*Hieron. Lunadorus, Franc. Sestini. Claud.
Vavre in decr. Cur. Rom. de Luca Rel. Rom. Cu-
dis. 5. &c.*

§. 2.

De Consistoriis publicis.

1. *Quas ob causas habeantur Consistoria publica*
2. *Novus Cardinalis, cui imponendus est pileus*
quomodo vestiatur.
3. & 4. *Si peregrè venerit instituitur ob eum so-*
lennis equitatio. 5. Pos-

5. *Post quam eunt Cardinales ordine ad locum Consistorii.*
6. *Et una cum Summo Pontifice considunt.*
7. *Tum introducitur Cardinalis novus.*
8. *Et itur ad Capellam Sixti, ubi præstat consuetum juramentum.*
9. *Se observaturum Constitutiones Pii V. Sixti V. Innocentii X. & Innocentii XII.*
10. *Quo facto revertuntur ad locum Consistorii, ubi novo Cardinali imponitur à Pontifice pileus.*
11. *Novus Cardinalis actis gratiis cæteris manet in prandio apud Card. Nepotem.*
12. *In Consistoriis publicis præstant Legati Regum obedientiam.*
13. & 14. *In horum gratiam instituitur solennis equitatio.*
15. *Legatus introducitur in Consistorium à duobus Cardinalibus Diaconis. Pontifex signat in eo commissiones causarum, & Advocati Consistoriales perorant.*
16. *Canonizationi Sanctorum præmittitur etiam Consistorium publicum.*
17. *Dat quoque Pontifex publicas audientias.*

I.

QUatuor potissimum ob causas haberi solet Consistorium publicum. Primò cum novo Cardinali imponitur à Pontifice galerus Cardinalitius. Deinde in adventu

ventu novi Oratoris cujusdam Principi ad Summum Pontificem destinati. Tertiò in reditu Legati à Latere à sua legatione. Quartò cum pro Canonizatione alicujus servi DEI publicè vota exquiruntur.

2. Cum imponendus est novo Cardinali galerus Cardinalitius, mane ante Consistorium Cardinalis novus, si Romæ existens creatus sit, recta vehitur ad Vaticanum, si autem peregrè venerit, confert se ad Cœnobium S. MARIÆ ad portam populi vestitus habitu Cardinalitio vel rubro, vel violaceo coloris nimirum convenientis tempori cum cappa violacea ex serico undulato, & si Episcopus fuerit, pileo nigro viridi suffulto tectus.

3. Ob Cardinalem novum, qui peregre venit, instituitur solennis equitatio à Monasterio propè portam Populi, usq; ad Palatium Pontificium, in quo Consistorium celebratur. Quare excipit hic indutus cappa singulos ad summitatem graduum dicti Monasterii, deducitque ad conclave, in quo colligi solent Cardinales dando illis in omnibus primas; Si interim fortè adveniat alius, ut frequenter assolet, præmissis urbanitatis indiciis relinquit priorem, quem interim comita-

mitatur Magister aliquis Cæremoniarum, vel Præfectus Aulæ, & excipit deducitque advenientem.

4. Congregatis Cardinalibus, qui equitationem præsentia sua honorarunt, ut primum accedit Cardinalis Nepos, descendunt ad atrium Monasterii, & tegentes caput caputio cappæ, ac pileo rubro Cardinalitio ordine antiquitatis conscendunt mulos proceduntque, ultimo loco medius inter duos Diaconos Cardinalis novus.

5. Postquam ad Vaticanum descenderunt Purpurati, eunt ad Cameram, ut vocant, paramentorum, novus vero se recipit ad Capellam Sixti. Cum Pontifex paratus est, præcedunt eum Cardinales bini & bini ad locum Consistorii publici, quæ est aula Palatii Apostolici major; Ipse post crucem, quæ præfertur, sequitur cum amictu Pontificali.

6. Postquam consedit sub throno eminente quatuor graduum altitudine in scabello aureo peristromate tecto, residentquoque præmissâ pro more reverentiâ Cardinales Episcopi & Presbyteri ad dextrum latus, ad sinistrum Diaconi in sedibus purpurâ instratis. Archi-Episcopi, Episcopi, Protonotarii, omnesque Prælati in tribus gradibus throni

ponti-

pontificalis ſedent cum Auditoribus Rotæ, Clericis Cameræ, & Acoluthis. Latus Pontificis Nepotes aliique magni nominis Principes occupant. Inter thronum & murum à dextrâ Legati Regum, à ſiniſtrâ familiares Papæ & Nobiles conſiſtunt. Poſt Cardinales Presbyteros & Diaconos locum habent Advocati Conſiſtoriales. Poſt Cardinales Epiſcopos vero Procurator Fiſci, & Procuratores Regum, Principum & Ordinum. Ante Cardinales Diaconos juxta Papam ſedent Magiſtri Cæremoniarum, & ſacri Palatii infra Cardinales Presbyteros.

7. Hoc ordine omnibus conſidentibus introducitur ad Conſiſtorium novus Purpuratus per duos Cardinales Diaconos qui cum intrat, ter pro more genuflectit ad oſtium, in medio, & ad ſolium, oſculaturque pedes Pontificis, & admittitur etiam ad oſculum manus & oris. Deinde circumeundo omnibus Cardinalibus incipiendo ab antiquiore, dat oſculum pacis.

8. Finitâ hac Cæremoniâ Muſici intonant Hymnum Ambroſianum, & Cardinales ordine conſueto bini & bini eunt ad Capellam Sixti, in qua in circulum conſiſtunt ad Altare. Ultimus accedit Cardinalis novus, genuflectit in ped

Alta

Altaris, & dum cantatur versiculus: *Te ergo*, imposito prius capiti cappæ caputio se prosternit, manetque eo in situ usque dum finitus sit Hymnus, & Decanus Collegii stans ante Altare ad partem Epistolæ, dixerit sacras quasdam orationes. Deinde erigit se Cardinalis novus, demittitque caputium, Decanus verò assistentibus primo Presbytero, primo Decano, ac Cardinali Camerario, dum cæteri ad sedendum eunt, porrigit illi Constitutiones aliquas legendas, quibus lectis juramentum præstat, se omnia in iis contenta observaturum.

9. Inter cætera jurat, servaturum Constitutionem 35. Pii V. de non alienandis castris & locis S. R. E. ac Constitutionem 30. Sixti V. de non distrahendo thesauro repositio in Arce S. Angeli, & nunc etiam Constitutionem Innocentii X, editam anno 1644, quod non velint ullo sæcularis dignitatis, sed solo Eminentissimi & Reverendissimi titulo uti, nec in Sigillis & insigniis, vulgo armis usurpare coronas notasvè sæculares, præter eas, quibus intra scutum armorum familiæ, tanquam de essentiâ, & integritate illorum utuntur. Et post hac promittere quoque & jurare debet

se

se observaturum novissimè hoc anno 1692. 10. Cal. Julii ab Innocentio XII. editam Constitutionem moderatoriam Donationum, & distributionis redituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribentem cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per concessum fieri dicuntur.

10. Dicto juramento revertuntur eodem, quo venerant ordine ad Consistorium, postremus Cardinalis novus, qui genuflectit ante Pontificem; Hic, dum à Magistro Cæremoniaram caputium denuo attrahitur supra caput Cardinalis, accipit galerum rubeum, eumque capiti ejusdem Cardinalis imponit dicendo: *Ad laudem Omnipotentis DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ accipe galerum rubrum insigne singulare dignitatis Cardinalatus, per quod designatur, quod usque ad mortem, & sanguinis effusionem inclusivè pro exaltatione Sanctæ fidei, pace & quiete populi Christiani, augmento & statu Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ te intrepidum exhibere debeas, in nomi-*

nomine Patris &c. quo dicto recipit se ad Cameram paramentorum.

11. Novus Cardinalis deposito pileo & demisso caputio surgit, expectatque ad latus usque dum omnes Cardinales iverint ad Aulam Regiam, ubi consistentes in circulo salutat singulos Cardinalis novus, agitque gratias pro honore & favore sibi præstito, qui deinde salute eidem redditâ discedunt excepto Card. Nepote, qui novum Purpuratum deducit secum ad prandium. Interim galerus rubeus à Papa collatus defertur ad ædes novi Cardinalis à Camerario aliquo secreto Summi Pontificis, qui ab Aulæ Præfecto ibidem liberali mactatur donario.

12. Habentur deinde Consistoria publica, cum introducitur novus Legatus, aut Orator alicujus Regis, aut magni Principis ad obedientiam Pontifici præstandam, aliavè majoris momenti negotia in Curiâ pertractandâ. Adornatur in gratiam Legati bis solennis equitatio, cum nimirum ingreditur solenniter Urbem, & cum ad Consistorium admittitur.

13. Ad primam mittunt Cardinales ex aulicis & Nobilibus suis complures cum mulis ornatis & ministris, quorum unus

unus gestat in dorso pileum rubrum Car-
dinalitium Domini sui. Pontifex quo-
que mittit obviam illi pro custodia equi-
tes, qui comitatum præcedunt, & Præ-
fectum aulæ, aliosque Prælatos ac fa-
miliares, qui Legatum in medio duorum
equitantem deducunt ad ædes seu Pala-
tium, quod incolet.

14. Ad alteram deinde equitationem
die, quo Consistorium habetur, mittun-
pariter Cardinales plurimos è Nobilibu-
suis, sed sine mulis. Ipsi verò horâ con-
stitutâ conferunt se ad Palatium Ponti-
ficium, & Consistorium in habitu con-
sueto, & conformi tempori.

15. Ubi Pontifex & Cardinales in
Consistorio congregati sunt, mittuntu-
duo Cardinales Diaconi, qui recipian-
& deducant Legatum. Interim Ponti-
fex signare solet in Consistorio illo pu-
blico Commissiones causarum, atque
olim etiam Advocati Consistoriales ex-
aggerabant quandoque ex arte & ingeni-
casus quosdam atroces, quod cum in-
conveniens visum fuerit, id abrogatum
est, & perorat nunc Advocatus aliqui
Consistorialis pro Canonizatione cujus-
dam Servi DEI, usque dum Legatu-
adveniat, ne videatur Summus Pontife-
& Cardinales solummodo convenisse

recipiendum Legatum, ejusque tantum adventum exspectare. Idem quoque observari solet in introductione novi Cardinalis, & dum is in Capella præstat juramentum, ne Papa interim in solio otiosus permaneat.

16. Canonizationi Sanctorum præmitti quoque solet unum Consistorium publicum & solenne, alterum semipublicum. Públicum habetur in Aulâ Regiâ in quo consuetam obedientiam præstant Pontifici Cardinales, & orationem habet Advocatus aliquis Consistorialis de vita & miraculis Sancti Canonizandi. Semipublicum deinde habetur in Aulâ Ducali, cui Pontifex interest cum mitrâ & pluviali simplice, & in hoc Cardinales non præstant Obedientiam. Præter Cardinales intrant hoc Consistorium Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi in Curiâ præsentes, Auditores Rotæ, & Protonotarii participantes aliique Prælati, qui omnes ad suffragium ferendum admittuntur, ut habeat Consistorium hoc speciem quandam Concilii generalis; Quærit enim ex singulis Pontifex an Canonizatio facienda sit, nec ne; Si major pars faciendam judicet decernit Pontifex Canonizationem, & diem qua fieri debeat.

17. Præ-

17. Præter Consistoria publica dare quoque solet Pontifex in fine cujuslibet mensis publicam audientiam, cui intersunt nonnulli Cardinales, & omnes Romani Magistratus, in qua tractatur de communi omnium Romæ degentium ac externorum utilitate ac salute. Verum hæc audientia dependet omnino ab arbitrio Pontificis, quando & quoties eam concedere velit.

Lunadorus in rel. Franc. Sestini il maestro di Camera, Carriere de Rom. Pontif. Corrad. prax. disp. Apost. l. 7. c. 4. De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 5. &c.

CAPUT IV.

De Tribunali Vicarii S. Pontificis.

1. *Vicarius Papæ peculiare habet Tribunal.*
2. *Officium Vicarii antiquissimum ab Episcopis ad Cardinales translatum est.*
3. *Dignitas illius magna.*
4. *Et potestas ferè eadem, quæ Pontificis in Diœcesi Romana.*
5. *Jurisdictio ejus hoc tempore extendit se ad ambitum quodraginta solum milliarium.*
6. *Quam etiam exercet in Episcopatibus isto in districtu sitis.*
7. *Debetur Vicario Canonica Obedientia, & administrat Sacramenta.* 8. Con-

8. *Convocat Synodum, visitat Regulares & eorum causas cognoscit.*
9. *Quas & quorum præterea causas cognoscat.*
10. *Cardinales non sunt exempti ab ejus jurisdictione.*
11. *Generalis visitatio, & collatio Beneficiorum ipsi non committitur.*
12. *Fit tamen coram eo Concursus.*
13. *Demandantur ipsi Pontificalia.*
14. *Nunc non potest, ut olim faciebat, conferre tonsuram externis sine dimissorialibus.*
15. *& 16. Vicegerentis officium.*
17. *Locumtenentium & Deputati officium.*
18. *Habet Vicarius quoque Secretarium & plures Notarios.*
19. *Tribunal hoc habetur singulis diebus Lunæ.*
20. *De pœnis pecuniariis disponit Vicarius pro arbitrio.*
21. *Proceditur Summariè in hoc Tribunali.*
22. *Salarium Vicarii.*

1.

HAbet peculiare suum Tribunal Vicarius Urbis, qui vices obit Romani Pontificis tanquam Urbis Episcopi in Spiritualibus & functionibus Episcopalibus.

2. Officium hoc Vicariatus antiquissimum est, quod olim administrarunt longo tempore Episcopi, ad nutum ta-

men amovibiles, pro ut nunc Vicege-rentes; Sed transtulit illud Pius IV. ad Collegium Cardinalium committendo Jacobo Sabello Cardinali Presbytero Tit. S. MARIÆ in Cosmedin, prout col-ligitur ex Constitutione tertiâ ejusdem Pii IV. & notat in Relatione sua Luna-dorus.

3. Quanta sit dignitas Vicaria ipso no-mine denotatur, cum Principis repræ-sentet reverentiam, ut de officio Vica-rii Valentinus, Valens & Gratianus Impp. dixêre.

4. Quare Vicarius Papæ eandem pro-pè habet potestatem, quam ipse Pon-tifex obtinet tanquam Ordinarius in sui Diœcesi, & omnia ac singula, quæ ad Vicariatus officium de jure, vel de con-suetudine pertinent, facit, disponit, mandat & exequitur in Urbe, & extra eam in Diœcesi Romanâ usque ad qua-drageſimum lapidem.

5. Et quamvis jurisdictio ejus ad la-tiorem & antiquum Urbis districtum, centum videlicet milliarium se extendere deberet, ex consuetudine tamen, vel præscriptione, atque etiam ex statutis Laicalibus hæc restricta est intra ambi-tum quadraginta milliarium, idque quo-ad temporalem potius jurisdictionem,

quam

quam ſpiritualem, quæ adhucdum, teſte de Luca, perdurat.

6. Cum vero in Urbis diſtrictu plures ſint Epiſcopatus, præcipuè ſex Cardinalitii, exercet tamen in iis quoque jurisdictionem ſuam tam ordinariam, quam delegatam Vicarius, eamque cum ordinario loci cumulativam habet in prima inſtantia, adeo ut detur inter illos præventioni locus.

7. Debetur verò Vicario ex lege Jurisdictionis Canonica obedientia, omnesque in Urbe Clerici, atque etiam Laici in criminibus & cauſis, quæ ad forum Eccleſiaſticum & mixtum ſpectant eidem ſubjiciuntur. Adminiſtrat etiam Sacramenta, & pœnitentibus pro admiſſis criminibus pœnitentiæ notas imponit.

8. Lege Diœceſanâ, & ex ſpeciali Pontificis indulto poteſt convocare Synodum; Eccleſias & Monaſteria regularia etiam exempta in Urbe viſitare; Cognoſcere cauſas miſerabilium perſonarum non excedentium ſummam 60 ſcutorum; Judicare de cauſis uſurariis Judæorum & Clericorum in Urbe degentium; Item de cauſis Religioſorum utriuſque ſexus, Hoſpitalium & Confraternitatum Laicorum. Punire etiam poteſt eos, qui

festis diebus vetita exercent, blasphematores & perjuros.

9. Cognoscit quoque causas tam civiles, quam criminales Clericorum Urbis, ejusque districtus, nec non causas matrimoniorum spirituales, idque privativè quo ad alios Urbis Judices. Cognoscit causas alienationum & venditionum bonorum Ecclesiasticorum. Item causas Apostatarum, & male translatorum in Curiâ. Habet quoque jurisdictionem in Hebræos, si causæ inter eos aguntur activè, secus si inter alios nempe Christianos, quia tunc locum habet prævention. Jurisdictionem etiam habet circa obligationes, & contractus initos in formâ Cameræ Apost. quo ad loca pia & personas Ecclesiasticas in Urbe. Habet etiam jus visitandi carceres cum aliis Visitatoribus & pro liberandis vel retinendis reis in carcere suffragium ferendi. *Paulus III. Const. 36. Julius III. Const. 2. Pius IV. Const. 3. Pius V. Const. 18. Paulus V. Const. 71.*

10. Cardinales, licèt ab hac jurisdictione Vicarii ob præeminentiam, & quod Ordinarii sint in suis Titulis, exempti videantur, contrarium tamen Pontifices declararunt, prout nunc praxis obtinet.

11. Duo

11. Duo tamen Vicario committi non solent à Pontifice, nimirum Visitatio generalis Urbis & districtus, quam fieri curat per Congregationem in hunc finem erectam, quæ Apostolicæ Visitationis dicitur, de qua infra; Et collatio Beneficiorum in Urbe, quæ fit in Dataria.

12. Pro Beneficiis tamen curatis in Ecclesiis Parochialibus juxta Conc. Tridentinum, & Constitutionem Pii V. concursus fit coram Vicario, tanquam Ordinario; Atque etiam pro Vicariis quibusdam perpetuis in aliquibus Collegiatis in Urbe, quæ ex speciali dispositione Pontificis per concursum conferri solent, licet provisio fiat per Datariam ad nominationem Cardinalis Titularis, vel Capituli, Vicarius tamen declarat, quisnam ex concurrentibus sit præferendus.

13. Præter supradicta demandantur in primis Vicario omnia Pontificalia, quæ Ordinarii locorum in suis Diœcesibus exercere solent, ut possit Ordines per se vel alium Episcopum conferre, Urbis Ecclesias, & cœmiteria consecrare, aliaque loca profana DEO dicare, & polluta consecrare.

14. Ex consuetudine quoque confe-

rebat Vicarius exteris in Urbe commorantibus primam Tonsuram aliosque Ordines, etiam sine literis dimissorialibus proprii Ordinarii; Verùm id modo ob inconvenientia, quæ inde resultabant, vel omnino ne fiat inhibitum est, vel raro admodùm, & circumspecte fieri solet

15. Jam vero Tribunal Vicarii ex pluribus constituitur Officialibus. Primus est Vicegerens, qui à pluribus jam annis Episcopus est Titularis, hic partes gerit Vicarii generalis non solum, quoad exercitium jurisdictionis Episcopalis ordinariæ & delegatæ in causis civilibus, criminalibus & mixtis ad hoc forum spectantibus, sed etiam quo ad exercitium Pontificalium in collatione ordinum, consecratione Ecclesiarum, Altarium & sacrorum vasorum, & in administratione Sacramenti confirmationis.

16. Ad Vicegerentem quoque spectat cura reliquiarum existentium in catacumbis, & cœmiteriis, earumque effossio, concessio & authenticatio. Licet nunc etiam peculiaris hac super re instituta sit Congregatio, de qua infra. Hic facultatem concedit imprimendi libros in Urbe, & extra per Auctores in Urbe existentes compositos.

17. Ha-

17. Habet præterea Vicarius tres sibi substitutos, quorum duo dicuntur *Locumtenentes*, & tertius *Deputatus*; Unus Locumtenens privatis & civilibus judiciis præest, & ut plurimum est Prælatus Referendarius, & quandoque Episcopus. Alter præest publicis & criminalibus, qui solet esse togatus. Deputatus est pro bono regimine Monasteriorum Monialium constitutus.

18. Habet etiam Secretarium & quatuor Notarios publico judicio deputatos, qui sub se habent octo vel decem alios juniores, quorum singuli distinctum suum, & particulare exercent officium; Item Barisellum, seu Capitaneum cum Apparitoribus. Non vero habet particularem Procuratorem Fiscalem, quia hujus partes in hoc quoque Tribunali agunt, Advocatus & Procutator Fiscal. Papæ, atque etiam Advocatus, & Procurator generalis pauperum.

19. Hoc Tribunal habetur qualibet septimana die Lunæ coram ipso Vicario in Palatio ejusdem, cui intersunt supradicti Officiales, in quo causæ & negotia graviora discutiuntur, ac partes, earumque Advocati, & Procuratores audiuntur.

20. De

20. De pœnis pecuniariis, quæ in hoc Tribunali reis infliguntur statuit Vicarius pro arbitrio suo, ita tamen, ut ex pecunia illa Officium Vicariatus vasis, vestibus, tunicellis, planetis, & aliis ad ministerium dicti officii necessariis instruatur, & Notariis aliisque ministris digna merces reddatur. Quod si pœna corporis sit infligenda, tunc veluti Judex Ecclesiasticus remittit reos ad Gubernatorem Urbis, aliosvè Judices sæculares.

21. Proceditur vero in hoc judicio summariè, & manu regiâ, præviâ verbali petitione vel monitorio, solâ facti inspectâ veritate, absque ulla terminorum substantialium observatione, & Registri confectione, si nimirum processus sit de summâ minore sexaginta ducatis de Camerâ, quod si de majore ageretur summâ, ordinarius fit processus juxta naturam causæ, & termini substantiales observari solent. Litigatoribus vero prohibetur agere in hoc judicio, si controversia non sit de majori summâ quam quinque ducatorum.

22. Cardinalis Vicarius singulis mensibus ex Camerâ Apostolicâ percipit centum ducatos de Camera.

Bulla

Bullæ diversorum Pontificum. Vestrius in prax. l. 2. c. 16. Lunadoro in relat. De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 14.

CAPUT V.

De sacra Pœnitentiaria.

§. I.

De Majori Pœnitentiario, ejusque munere.

1. S. Petrus ejusque Successores acceperunt à Christo ligandi & solvendi potestatem.
2. Hanc tribuit Pontifex etiam Pœnitentiariis.
3. Qui constituti sunt olim ut pro modo culpæ pœnitentiam imponerent.
4. Et Romæ quidem duo in quavis Parochia, Caput eorum nunc dicitur Major Pœnitentiarius.
5. Et Cardinalis esse solet.
6. Cum sit una ex primariis dignitatibus.
7. Instituta à Benedicto II. aliisque Pontificibus confirmata.
8. Olim ampliſſima fuit ejus jurisdictio, nunc restricta est.
9. Officium suum per se ipsum exercere debet, vel impeditus per alium Cardinalem.
10. Semel in mense habetur Signatura Pœnitentiariæ.

11. Sin-

11. *Singulis annis audit Pœnitentes in singulis tribus primariis Urbis Basilicis.*
12. *In rebus gravioribus jubentur Pœnitentes ire dire Officiales, & Pœnitentiarios minores.*
13. *Qui in tribus primariis Ecclesiis constituti sunt.*
14. *Quos constituit Major Pœnitentiarius. Officia eorum & privilegia.*
15. *Major Pœnitentiarius, dum excipit Confessiones, tenet virgam pœnitentialem.*
16. *Ter celebrat Missam coram Pontifice.*
17. *Literas gratis expedit. Et qua forma?*
18. *Quadruplices concedit gratias.*
19. *Qualem habeat potestatem absolvendi ac dispensandi.*
20. *Circa quæ hæc potestas versetur.*
21. *Sede vacante quæ expedire possit, & quæ non.*
22. *Quomodo subscribat literas.*
23. *Executio earum non impedienda.*
24. *Salarium M. Pœnitentiarii.*

1.

ACceperunt S. Petrus, ejusque in Sede Apostolica Successores à Christo Servatore nostro claves regni Cœlorum, & potestatem ligandi suis legibus quoscunque vellent, eosdemque solvendi non tantum per dispensationes ab humanæ legis obligatione, sed etiam per indu-

indulgentias à peccatis in divinam legem commissis.

2. Hanc absolvendi pœnasque imponendi pro gravitate delicti facultatem tribuit deinde Pontifex quibusdam etiam aliis peculiariter, qui Pœnitentiarii dicti sunt.

3. Cum enim circa annum Christi ducentesimum quinquagesimum tempore S. Cypriani & S. Cornelii Papæ quæstio & contentio magna oriretur: An relapsi ad idololatriam recipiendi essent ad Ecclesiam nec ne, aliis cum Novitiano id negantibus, aliis verò affirmantibus, prævaluit tandem pars major recipiendos esse. Cum verò quidam graviùs, quidam levius peccassent dum alii thura Diis immolassent, alii verò non, aliqui etiam Martyrium subiissent, sed cruciatibus victi à confessione veræ fidei resiliissent, constituti sunt Sacerdotes, qui pro modo culpæ admissæ pœnitentiam imponerent & hi Pœnitentiarii appellati sunt.

4. Persecutione deinde cessante & tranquillitate Ecclesiæ reddita Officium Pœnitentiariorum ad alia quoque delicta se extendit, ideoque constituti sunt Romæ in quavis Ecclesia Parochiali duo, qui Pœnitentibus pœnas imponerent secundum

cundum Canones pœnitentiales, & est verisimile habuisse illos caput aliquod, qui primus fuit Pœnitentiarius, quo cum occurrentes quotidie casus contulerunt quique graviores postulante necessitat ad Pontificem retulit, ejusque mente & jussa executus est. Hic nunc majo dicitur Pœnitentiarius, sustinetque of ficium in Curiâ Romanâ valde honora tum.

5. Quod hoc tempore conferri sole alicui ex sacro Collegio Cardinalium, in signi scientiâ, prudentiâ atque benigni tate conspicuo, qui sit Presbyter, & Ma gister in Theologia, sive Decretorum Doctor *Pius V. Const. 83. §. 6.*

6. Est enim una in Urbe ex primariis post summum Sacerdotium dignitas qua annexam habet insignem auctoritati prærogativam. *Gomes in Proœm. Reg Cancel.*

7. Hæc dignitas ut refert Gravatius in annotationibus suis *ad c. 2. prax. Vestrii* ex Gomesio, primo instituta fuit à Bene dicto II. ac postea Eugenii Sixtique be neficiis aucta à Pio V. ejusque in Sede Apostolica Successoribus confirmata.

8. Olim amplissima fuit Majoris Pœ nitentiarii jurisdictio, sed à *Pio IV. Const. 53. In sublimi.* B. Pio V. *Const. 83. In omnibus*

&

& Urbano VIII. 10. Jan. 1634. *Const Regimini.* quæ in Bullario non habetur, sed adducitur à Nicolio *Part. 2. lucubr. l. 5. tit. 39.* restricta est & reformata. *Nicolius ibid.*

9. Debet verò Officium suum per se ipsum exercere vel si absens sit aut impeditus alium ex S. R. E. Cardinalibus idoneum sibi Propœnitentiarium subrogare, qui hoc munus pariter per se ipsum exequatur literasque non Pœnitentiarii delegantis, sed suo nomine jubeat expediri. *Pius V. Const. 83. In omnibus.*

10. Quapropter Major Pœnitentiarius semel quolibet mense, aut sæpius, si fuerit necesse convocat per Capellanum Pœnitentiariæ Officiales suos, de quibus inferiùs; quæ convocatio Signatura Pœnitentiariæ dicitur, ideo quod in ea memorialia signentur à D. Regente, & graviores casus à Procuratoribus propositi discutiantur, gratiæque concedantur vel negentur.

11. Adhæc singulis annis confert se Major Pœnitentiarius post prandium ad tres primarias Urbis Basilicas nimirum ad Lateranensem S. Joannis die Dominico Palmarum: Ad S. MARIÆ Majoris feria quartâ: Quintâ vero & sextâ majoris hebdomadæ ad S. Petri in Vaticano, ibi-

ibique super solio tribus vel quatuor gradibus elevato tanquam Tribunali sedens per aliquot horas audit pœnitentes quoscunque & undecunque accedentes, auditosque mittit pro casuum absolutione & si necesse sit dispensatione ad Minores Pœnitentiarios, qui in singulis prædictis Basilicis commorantur.

12. In rebus autem gravioribus jubentur adire Officiales suos ibidem præsentes, eorumque permittit arbitrio an gratia concedenda sit, nec ne. Quibus nignè auditis pœnitentibus causas discutiunt, & si gratificandi sit locus, remittunt illos ad eosdem Pœnitentiarios Minores.

13. Sunt verò Pœnitentiarii illi Minores in Basilica S. Petri in Vaticano Patres è Societate JESU, ad S. Joannem Lateranensem Religiosi ex Ordine S. Francisci de Observantia, & ad S. MARIAM Majorem Patres è Familia S. Dominici. Singuli habitant ad suas Ecclesias, habentque singuli unum qui Superior Pœnitentiariæ dicitur, & sustentantur sumptibus Pontificiis.

14. Constituit illos Major Pœnitentiarius prævio examine super eorum idoneitate in Signatura S. Pœnitentiariæ &c. Hi præsto sunt quotidie in Basili-

ſuis ad excipiendas confeſſiones Sacramentales in variis linguis etiam orientalibus, quas dumaudiunt manibus tenent Virgam ligneam pœnitentialem, & induti ſunt ſtolâ violaceâ. Gaudent etiam quibuſdam prærogativis nimirum quod in ſolennioribus ſupplicationibus Pontificis; ut feſto Corporis Chriſti induti planetis incedant poſt univerſum Clerum ſæcularem & regularem immediate ante Epiſcopos. Cæterum in iis quæ ad hoc munus pertinent, ſubjecti ſunt Majori Pœnitentiario. In iis vero, quæ concernunt diſciplinam regularem, ſubditi ſunt Prælato propriæ Religionis.

Ejuſdem generis videntur eſſe Pœnitentiarii almæ domus Lauretanæ, qui ſunt Religioſi è Societ. JESU.

15. Major quoque Pœnitentiarius dum audit pœnitentes manu tenet virgam pœnitentialem acceptam ab uniuscujusque Baſilicæ Minorum Pœnitentiariorum Superiore vel Decano, cui qui reverenter ſe tangendos ſubmiſerint, centum dies indulgentiarum illis in forma Eccleſiæ conſueta conceduntur, prout declaravit Paulus V. Calendis Aprilis Pontificatus ſui anno quinto.

16. Ter quot annis ſolennem celebrat Miſſam coram Pontifice, videlicet: Feriâ

riâ quartâ cinerum, feria ſexta majo-
ris hebdomadæ, & die Anniverſario de-
functorum.

17. Diplomata ſua gratis, etiam pr
ſcriptura concedit. Pro caſibus occul
tis, & ſimplicibus abſolutionibus, qu
ad ordinarios dirigit, mittuntur claus
ad formam literarum familiarium ſigill
munita; Pro publicis verò caſibus circ
abſolutiones diſpenſationes, rehabilita
tiones, & ſimilia ad favorem Regula
rium atque etiam Laicorum, qui ad Se
dem Apoſtolicam miſſi fuerant pro ab
ſolutione à cenſuris obtinenda Brevi
dat patentia cum pendenti per cordu
lam rubeam ſigillo ex cera ejusdem co
loris, incluſo in capſula ovata ex ſtann
confecta.

18. Quadruplices verò gratias con
cedit Major Pœnitentiarius I. in foro
conſcientiæ ſimul & in actu Sacramen
talis confeſſionis. II. In foro conſcientiæ
tantùm. III. In utroque foro. IV. Sim
pliciter abſque ullius fori expreſſione, pr
ut eſt in literis Remiſſi abſoluti. Gra
tiæ primo & ſecundo modo conceſſæ
non ſuffragantur in foro exteriori, ſeu
judiciali. Tertio verò & quarto modo
conceſſæ poſſunt & debent in eo ſuffra
gari, ideoque earum executiones de-
man-

mandantur Ordinariis, qui sunt Judices publici, neque in earum literis apponitur clausula: *Quod in foro judiciario nullatenus suffragentur*, ut in aliis gratiis apponi solet. Dicitur verò in secundo modo: *In foro conscientiæ tantum*, ob censuras, quæ spectant ad forum animæ, cujus solus DEUS Judex est.

19. In favorem sæcularium auctoritatem habet adsolvendi ac dispensandi copulativè in casibus occultis solummodo, absolvendi verò etiam in publicis. At in favorem Regularium etiam in casibus publicis, idque in utroque foro potestatem habet & absolvendi & dispensandi.

20. Versatur verò potestas illius circa dilationes & commutationes votorum simplicium, & simplicis obligationis recitandi horas Canonicas: Circa absolutiones à casibus & censuris reservatis juxta supra dicta: Dispensationes super irregularitatibus; Convalidationes titulorum: Rehabilitationes ad beneficia & dignitates: Circa dispensationes cum Regularibus transire volentibus ad strictiorem, vel laxiorem Religionem: Condonationes & Remissiones pecuniarum & fructuum malè perceptorum sine præjudicio tamen certi Domini.

21. Sede vacante expedire solum po-
test quæ conscientiæ forum respiciunt
Clem. 2. §. eo tamen de electione. ideoque quo
ad illa non expirat Officium ejus mortu
Pontificis, ne desint, qui pœnitentium
confessiones audiant, & à censuris, pœ-
nis, & à peccatis absolvant, atque ita
animarum periculum avertatur. *arg. c. 1.*
Ne Sede vacante & c. 1. de sepult. in 6. In cæ-
teris verò quiescit ejus Officium & au-
ctoritas, ideoque à commutatione vel
derogatione ultimarum voluntatum, &
ab unionibus, suppressionibus & transla-
tionibus Beneficiorum, & absolution-
bus Simoniacorum abstinet: Nec con-
cedit absolutiones, vel mandata absolven-
di ab homicidiis, & aliis gravioribus de-
lictis, nec commissiones alienationi
bonorum Ecclesiasticorum in forma
Si in evidentem, nec homicidæ voluntá-
rio etiam Canonicè absoluto Altaris mi-
nisterium, aut ascensum ad Superiores
Ordines, & restitutionem aut retentio-
nem Beneficiorum, quibus privatus fuit.
Neque dispensationes matrimoniales
concedit, neque Apostatis licentias ob-
tinendi Beneficia Ecclesiastica, ac in illis
ministrandi. *Pius IV. Const. 53. In su-*
blimi.

22. Literis Majoris Pœnitantiarii cre-
ditur

ditur, eæq; in utroque foro probant & suffragantur *Sixtus IV. Const.* 23. *Julius III. Const.* 1. §. 4. subscribit autem autoritate Officii sui & ex commissione generali libello supplici: *Fiat in formâ*, aut: *Fiat de speciali*, vel *Fiat de expresso.* qua subscriptionis varietate innuitur iis, qui literas expedire debent, quanti momenti sit res quæ petitur.

23. Qui verò executionem literarum sacræ Pœnitentiariæ impediunt, aut ad id consilium, auxilium, vel favorem præstant, sunt excommunicati. *Julius III. Const.* 1. *Rationi congruit.*

24. Major Pœnitentiarius quot annis percipit ratione Officii sui octo circiter millia scutorum.

Vestrius prax. l. 1. *c.* 2. *Azor. p.* 2. *l.* 5. *c.* 38. *& Cassan. Catal. gl. mundi. p.* 4. *consid.* 17. *Marci Pauli Leonis prax. ad lit. Maj. Pœnitent. c.* 1. *&* 2. *Lunadorus in relat. Nicolius l. c.*

§. 2.

De cæteris Officialibus S. Pœnitentiariæ.

1. *Officiales Pœnitentiariæ.*
2. *A quo hi constituantur.*
3. *Constituti esse debent in sacris Ordinibus.*

4. *Gratis expedire debent literas.*
5. *Tenentur servare secretum.*
6. *Formula juramenti.*
7. 8. 9. *Regentis officium.*
10. *Datarii Officium.*
11. *Correctoris Officium.*
12. *Consultores quales sint.*
13. *Sigillatoris Officium.*
14. *Tres Procuratores eliguntur prævio examine.*
15. *Quod eorum Officium.*
16. *Scriptorum Officium.*

1.

MAjor Pœnitentiarius diversos sub se habet in Officio S. Pœnitentiariæ Adjutores, nimirum sex Officiales: Regentem, Datarium, Correctorem, duos Consultores & Sigillatorem; Atque sex Ministros videlicet: Tres Procuratores seu Secretarios, & tres Scriptores.

2. Sex Officiales præsentantur à Majori Pœnitentiario Summo Pontifici, à quo admissi, singuli ad sua Officia instituuntur, accipiuntque à Majori Pœnitentiario literas patentes sub sigillo cereo Pœnitentiariæ, capsulæ ovatæ ex auricha-co confectæ & pendulæ ex funiculo serico coloris rubei incluso; Traduntur quoque unicuique illorum à Summo

Pon-

Pontifice literæ in forma Brevis sub annulo Piscatoris.

3. Omnes hi tam Ministri, quàm Officiales in aliquo ex sacris Ordinibus constituti esse debent, & per se ipsos officia exercere fideliter tenentur, ideoque soli præsentes,& actu munia sua exercentes, nisi legitimè impediti sint, fructus & emolumenta percipiunt.

4. Nihil autem pro literarum confectione & expeditione, nec etiam pro charta, atramento, cera, capsula, cordulis aliisque rebus ad expeditionem pertinentibus, neque à sponte dantibus acceptare possunt, sed omnia gratis expedire debent. *Pius V. Const. 83. In omnibus.*

5. Tenentur sub Sigillo confessionis & vi peculiaris juramenti, quod emittunt in manus Majoris Pœnitentiarii non revelare arcana sacræ Pœnitentiariæ. Formula verò juramenti, quod quisque Officialium & Ministrorum præsentibus cæteris præstat, hæc est:

6. *Ego N. Regens ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens B. Petro, & Domino nostro Papæ N. ejusque Successoribus Canonicè intrantibus: Officium meum fideliter exercebo & gra-*

tis, ejusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum vel donatum accipiam, præterquam salarium mihi constitutum. Secreta sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus ac personas de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra Officium revelabo. Et ita juro ad sacrosancta DEI Evangelia. Sic me DEUS adjuvet.

7. Regens ex primariis Romanæ Curiæ Prælatis eligi solet, & ut plurimum est unus ex Auditoribus Rotæ. Gerit vices Majoris Pœnitentiarii, & supplices libellos subsignat, ac decreta opportuna apponit, vel concedendo in iis petita, vel denegando.

8. Bis singulis septimanis libellos supplices à se signatos distribuit inter Procuratores, de quibus infra, ab iis expediendos.

9. Supplicationes ritè confectas à Procuratoribus subscribit juxta ordinariam Majoris Pœnitentiarii auctoritatem hoc modo:

Fiat in forma vel: *Fiat de speciali N. Regens*: Si verò res collata fuerit cum Pontifice, istâ utitur formula:

Fiat de expresso. N. N. Regens.

10. Da-

10. Datarius quoque eligitur ex primis Romanæ Curiæ Prælatis, cujus officium est scribere in dictis supplicationibus datam diei, mensis & anni Pontificatus Papæ regnantis in hunc modum: *Datum Romæ apud S. Petrum*, si Pontifex sit in Palatio Vaticano; Si verò commoretur in monte Quirinali: *Apud S. MARIAM Majorem nonis Junii, anno secundo Pontificatus Sanctissimi D. N. Papæ Innocentii XII.* Et supponit nomen & cognomen suum Datarius.

11. Corrector seu Revisor constituitur à Majore Pœnitentiario, vir insignis, & in sacris præsertim Canonibus versatus; Hujus est supplicationes à Procuratoribus confectas perlegere, & cum opus est corrigere, quo facto notulam peculiarem in extremitate supplicationum imprimit, & literas deinde omnes in forma Brevis, ac Bullas juxta præscriptam supplicationis formam expeditas subscribit proprio suo nomine & cognomine.

12. Duos Præterea habet Consultores Major Pœnitentiarius, quorum alter est Theologus, & ordinarie ex nostra Societate JESU, alter celebris aliquis Canonista, quorum consiliis in difficilioribus præsertim casibus utitur. 13.

13. Sigillator publicum sacræ Pœnitentiariæ Sigillum apud se retinet, & literas Majoris Pœnitentiarii nomine expediendas intus & extra, Bullas verò intus tantum subscribit post Correctorem hoc modo: *Gratis ubique N. N. Sigillator.*

14. Sunt præterea in sacro Pœnitentiariæ Tribunali tres Procuratores, seu Secretarii, qui ut valde in sacris Canonibus & lingua latina versati sint, necesse est. Eliguntur prævio concursu & examine coram DD. Regente & Correctore digniores, juxta reformationem Pii V.

15. Inter hos per Turnum distribuuntur memorialia, quæ à Curialibus, aliisque immittuntur in destinatam capsulam publicè expositam olim in ædibus D. Sigillatoris, nunc vero Illustrissimi Domini Regentis. Deinde ad mentem Majoris Pœnitentiarii vel Regentis, aut totius Congregationis conficiunt supplicationes, eisque conformes expediunt Bullas vel literas in forma Brevis.

16. Sunt etiam tres Scriptores, qui & linguam latinam & artem scribendi notas bullaticas callere debent. Admittuntur

tuntur hi quoq; prævio concursu in præsentia Regentis & Correctoris; Eorum Officium est describere supplicatines in charta pergamena, quas deinde tradunt Procuratoribus expediendas.

Vestrius l. 1. c. Marcus Paulus Leo in praxi c. 1. Lunador. in relat. De Luca disc. 12. Rel. Rom. Cur.

CAPUT VI.

METHODUS.

Recurrendi ad S. Pœnitentiariam, ejusque Literas legendi, intelligendi, & exequendi pro casibus, quorum absolutio seu dispensatio ab hoc Sacro Tribunali impetratur.

Extracta ex Praxi Marci Pauli Leonis è Societ. JESU, Manuductione Tiburtii Navar Ordinis Minorum S. Francisci Strict. Observantiæ, & Instructione Parochorum & Confessariorum edita Romæ Anno 1689.

Episcopis, Superioribus, Regularibus, Pœnitentiariis, Confessariis & Pœnitentibus perquam utilis.

Pars

PARS I.

De modo scribendi, & recurrendi ad sacram Pœnitentiariam in casibus S. Sedi reservatis.

CUm sæpè sit experientia compertum plurimos utriusque sexus Christi fideles, & præcipuè in longinquis degentes, censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, nec non irregularitatum, & casuum quoquo modo reservatorum ligaminibus astrictos ad S. Sedem, ejusque S. Pœnitentiariam spectantibus irretitos in illis lacrymosè persistere, & continuis conscientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali causas ex similibus provenire innotuit.

Primò eo quòd Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam modumque recurrendi ad præfatam S Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, unde pœnitentes perplexos dimittunt, quibus, cum ad Ordinarium accedendi (fœminis præsertim) verecundia, aut timor aditum intercludat, consilium ulterius requirere nescientes, remedium desperant, & in

præ

præd. vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt.

2. Evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exolvere non valentes, inconsolati, ac conscientiæ motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & fortè (quod pejus est) sibi persuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Pœnitentiariæ Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam spontè oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serenâ fronte complectantur.

3. Accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxtà expositæ obtentæ, irritæ evadant, eò quia casus, & circumstantias necessarias reticeant, undè fit, quod literarum executores, casu posteà Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias aut obreptitias esse inveniant, quarè Pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obli-

obligationibus, &c. miſerabiliter re-
manent.

Quare gratum DEO, & utile fideli-
bus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modi
recurrendi ad ipſam Sacram Pœniten-
tiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cum Pœnitente
vinculis præfatis irretitos ad ſe accede
contigerit, caſuum qualitates, & præ
fatorum caſuum circumſtantias conſi
derent, cauſasque diſpenſationum, au
commutationum exprimant, & cave
ant, ne quod occultum eſt, publicum fa
ciant, præſertim impedimenta occult
matrimoniorum, nam publica, vel a
publicum redacta, non pertinent a
S. Pœnitentiariam.

Et ſic præfati Confeſſores Pœnitente
poterunt caſus præfatos cum dictis cir
cumſtantiis, & cauſis exponere, ſivè la
tino, ſive quocunque alio idiomate pro
priæ regionis, nam S. Pœnitentiaria ſuos
ex quacunque regione Pœnitentiarios
ſubordinatos habet, & exprimant inſu
per in fine expoſitionis caſus nomen
cognomen, cui ſit à S. Pœnitentiaria re
ſcribendum, etiamſi ipſum nomen, &
cognomen ſit fictitium. Itemque mo
dum, per quem reſponſio ſecura dirig
poſſit, ſignificando ſcilicet vulgari no
mine

mine Oppidum, seu Civitatem, & Regionem, cum data mensis & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

Terminent Epistolam, seu supplicationem sic.

Dignetur Eminentia vestra rescribere ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen, cui est rescribendum; ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine nomen Oppidi, & dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario Magistro in Theologia, sive decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ S. Pœnitentiariæ. Dirigant Epistolam, seu Supplicationem scribendo extra, seu à foris in hunc modum:

Emi-

Eminentißimo, & Reverendißimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et ſi tardaverit reſponſio, Confeſſar reſcribant, ne fortè ſit deperdita, & nun quam deſperent Pœnitentes.

Hæc juxta Exemplar Romæ impreſſum anno 168

PARS II.

De modo legendi & intelligendi Literas S. Poenitentiariæ.

§. I.

Modus legendi Literas ſacræ Pœnitentiariæ.

1.

BRevium legendorum duplex eſt dif ficultas, vel ob Characteres Gothi cos, vel ob abbreviaturas.

2. Ad primam tollendam ſubmini ſtrantur hîc formæ Commiſſionum cum clauſulis generalibus, quæ ferè in ſin gulis Brevibus continentur.

De formis Commiſſionum.

3. Commiſſiones dirigi ſolent pro di verſitate materiæ, vel ad Ordinario quo nomine etiam veniunt Prælati Re gula

gulares respectu suorum subditorum, vel ad alios Confessarios.

4. Directæ ad Episcopos sic foris inscribuntur:

Venerabili in Christo Patri *Episcopo, seu Archi-Episcopo, seu* Patriarchæ *N. N. sive ejus Vicario in spiritualibus Generali.*

Intus verò sic incipiunt:

Venerabili in Christo Patri *Episcopo N. sive ejus Vicario in* Spiritualibus *Generali.*

Leander miseratione Divinâ Tit. SS. Nerei & Achillei S.R.E. Presbyter Card. *Coloredus, salutem & sinceram in Domino charitatem.*

5. Directæ ad Prælatos Regulares sic foris inscribuntur:

Religioso viro Provinciali Ord. *N.* Provinciæ *N. vel Religioso viro cuicunque* Superiori, *cujusvis Ordinis à Sede Apostolica approbati.*

Intus ut supra præmisso nomine Majoris Pœnitentiarii.

6. Directæ ad alios Confessores sic inscribuntur:

Discreto viro Confessori Magistro in Theologiâ, vel decretorum Doctori ex

appro-

approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad introscripta specialiter eligendo.

Intus vero sic incipiunt:

Leander miseratione Divinâ Tit. SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presb. Cardinalis Coloredus.

Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo salutem in Domino.

7. In directis ad simplices Confessarios non additur nomen Magistri, aut Doctoris. Si vero Commissio fiat pro aliquâ Moniali dicitur: *Confessori ex approbatis pro Monialibus.*

De Clausulis generalibus.

8. Post Commissiones sequuntur Clausulæ, quarum prima est petitionis sic:

Pro parte NN. latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias.

9. Sequitur narrativa, & post hanc Clausula postulationis sic:

Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus lator. Post istam Clausul-

sup

ſupplicationis, hoc modo: *Quare ſupplicavit humiliter, ut ſibi ſuper hoc de opportuno remedio providere dignaremur.*

10. Et demum Commiſſio ipſa cum ſuis clauſulis:

Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini Papæ curam gerimus hujusmodi ſupplicationibus inclinati; Auctoritate Apoſtolicâ ſpecialiter Nobis conceſsâ: Diſcretioni tuæ. Vel, ſi committantur Epiſcopo: *Circumſpectioni Veſtræ committimus, quatenus ſi ita eſt.* Continuatur diſpoſitiva, & conceſſio Gratiæ, & in fine poſt verbum: *Abſolvas*, vel *diſpenſes*, ponuntur hæ clauſulæ: *in foro Conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo.* Quæ clauſula extenditur aliquando ad hanc aliam clauſulam: *Ita quod hujusmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro Judiciario nullatenus ſuffragentur*, & hæc iterum aliquando ad hanc aliam Clauſulam: *Nullis ſuper his teſtibus adhibitis, ſeu literis datis, aut proceſsibus confectis, ſed præſentibus laniatis, quas ſub pœna*

excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis. Ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas, quod si restitueris, nil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum *Romæ apud &c. sub sigillo Officii Pœnitentiariæ &c. Pontificatus &c.*

Breviaturarum Communium in Literis Sacræ Pœnitentiariæ apponi solitarum explicatio.

A.

Archiep̄us	Archi-Episcopus.
Al̄r	Aliter.
Al̄s	Alias.
Alsolūo	Absolutio.
Apl̄ica	Apostolica.
App̄batis	Approbatis.
Aut̄te	Auctoritate.

C.

Card̄lis	Cardinalis.
Cañicè	Canonicè.
Ceñ.	Censuris.
Circump̄eoni	Circumspectioni.
Xp̄us	Christus.
Confeóne	Confessione.
Confeóri	Confessori.

Co

Coiõne	Communione.
Conſcĩæ	Conſcientiæ.
Conſtituõnibus	Conſtitutionibus.

D.

Diſcr̃eoni	Diſcretioni.
Diſpensão	Diſpenſatio.
Dñus	Dominus.

E

Eſ̃ccæ	Eccleſiæ.
Effũs	Effectus.
Exit	Exiſtit.
Ecc̃lis	Eccleſiaſticis.
Epũs	Epiſcopus.
Excõe	Excommunicatione

F.

Fr	Frater
Frum	Fratrum.

G.

Gñali	Generali.

H.

Huñoi	Hujusmodi.
Humilr̃	Humiliter.

I.

Infraptum	Infraſcriptum.
Irregulte	Irregularitate.

Igr̄	Igitur.
Intrópta	Introſcripta.

L.

Līa	Licentia.
Ltima	Legitima.
Lræ	Literæ.
Litè	Licitè.

M.

Mrimonium	Matrimonium.
Magro	Magiſtro.
Miraone	Miſeratione.
Mir̄	Miſericordia.

N.

Nullus	Nullatenus.

O.

Orđio	Ordinario.
Orđinaoni	Ordinationi.

P.

PP.	Papa.
Pr̄	Pater.
Pontus	Pontificatus.
Ptus	Præfatus, ſeu Prædictu
Ptur	Præfertur, ſeu Prædicitu
Pńtium	Præſentium,
Pbter	Presbyter.

Pb

Pb̄ricida	Presbytericida.
Pœn̄ia	Pœnitentia.
Pœn̄iaria	Pœnitentiaria.
P̄oe	Posse.
P̄or	Procurator.

Q.

Qt̄nus	Quatenus.
Qm̄lbt	Quomodolibet.
Qđ	Quod.

R.

Rel̄ari	Regulari.
Rel̄ione	Religione
Ro̅a	Romana.

S.

S̄ntæ, vel St̄æ	Sanctæ
Sal̄uri	Salutari
Sen̄tia	Sententia.
Speal̄r	Specialiter.
Supplionibus	Supplicationibus.
S̄pualibus	Spiritualibus.

T.

T̄n	Tamen
T̄m	Tantum.
Th̄ia, vel Teol̄ia	Theologia.
T̄li	Tituli.

V.

Veñebli	Venerabili.
Vr̄æ	Veſtræ.

Notandum deinde in Literis S. Pœnite tiariæ non fieri virgulas, nec puncta, n diphtongos, nec accentus, ſed ſenſu colligendum eſſe ex lectione.

§. 2.

Modus intelligendi Litera S. Pœnitentiariæ per Inſcriptione & Clauſularum communium explicationem.

1. Inſcriptio Literarum directar ad Epiſcopos, vel eorum Vicarios G nerales (quo nomine etiam intellig tur Officiales) clara eſt, cum in iis e preſsè nominetur Civitas Diœceſis.

2. Cum vero in iis ordinariè non f mentio Sacramentalis Confeſſionis, n eſt neceſſe, ut lator Epiſcopo Sacram taliter confiteatur; Neque etiam Epiſcopus ſubdeleget perſonam in dig tate Eccleſiaſticâ conſtitutam. Si v committat executionem alicui Con ſario, debet is excipere latoris Con ſionem Sacramentalem, & in ea lite exequi; Poſſetque Confeſſarius, ſi

sus esset publicus, de absolutione fidem publicam facere, ut constet in actis Cancellariæ Episcopalis ad effectum componendi cum Fisco, & Parte.

3. Est etiam necessaria Sacramentalis confessio, si literæ indiscriminatim dirigantur: *Cuicunque Catholico Antistiti gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habenti.* Et tunc adire potest lator quemcunque Episcopum, Archi-Episcopum, aut Patriarcham, dummodo non sit excommunicatus, suspensus, aut interdictus.

4. Inscriptio Literarum, quæ diriguntur ad Prælatos Regulares pariter est clara; Aliquando enim distinctè exprimitur Superior, aliquando inscribuntur cuicunque Superiori Ordinis à Sede Apostolica approbati, & tunc liberum est latori adire Superiorem, quemcunque volet. Hæ literæ esse solent pro utroque foro, nec fit in eis mentio Sacramentalis Confessionis, ideoque extra eam executioni dari debent, ut suffragari possint in utroque foro.

5. Inscripto Literarum, in qua dicitur: *Magistro vel Doctori* intelligenda est, ut Confessarius verè sit Magister & Doctor in aliqua Universitate; Nec sufficit

cit esse Theologorum vel Professorem aut Lectorem in aliquâ Religione, nisi hæc tali privilegio gaudeat, aut nisi Præpositus Generalis alicujus Ordinis, qui ejusmodi privilegium habet (prout habet Societas JESU) det facultatem alicui Religioso Confessario, licet Doctor aut Magister non sit hujusmodi Literas aperiendi.

6. Additur in ea inscriptione: *Ex approbatis ab Ordinariis*, quia Confessarius debet esse actu approbatus ab Ordinario loci, in quo fit executio literarum. Religiosus eligendus Confessarius sufficit, ut sit approbatus à Superioribus sui Ordinis. Pro Monialibus eligi debet Confessarius ex approbatis pro Monialibus quamvis non esset pro illo Monasterio, in quo degit Monialis. Aliquando tamen dantur commissiones Confessariis ex approbatis ab Ordinario, etiamsi non sint pro Monialibus.

7. Quo ad clausulas communes, prima est: *Quatenus si ita est*, cujus verus sensus est hic, quod Confessarius debet principaliter attendere, an preces Pœnitentis veritate nitantur. Ideſt an causa finalis, propter quam petitur, & ob quam tantum conceditur gratia, & sine qua

qua non concederetur, eo modo quo exponitur, verificetur. Hæc autem veritatis notitia, non per testimonia, aut per Scripturas, sed ex ipsa Pœnitentis assertione, cui debet credi, nisi de oppositio constet, est accipienda.

8. Secunda clausula est: *Absolvas, scilicet in foro conscientiæ*, quia omnis absolutio, & dispensatio facienda à Confessariis est pro foro conscientiæ tantum, & non suffragatur pro foro externo; Nisi absolutio sit ab excommunicatione pro publico delicto incursa, & commissio facta sit Ordinario; Et nisi absolutio seu dispensatio Regularibus impertienda esset; Pro quibus Major Pœnitentiarius facultatem habet in utroque foro. Ubi tamen advertendum, si pro Regularibus literæ ad Confessarios dirigantur, solummodo in foro conscientiæ suffragari; De quo monendi sunt à Confessariis.

9. Tertia clausula est: *Et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter*, vi cujus præmittenda est Confessio Sacramentalis, & facienda ipsi Confessario literarum executori, alias absolutio, & dispensatio quæcunque foret invalida. Dantur enim aliquando Com-

Commissiones pro absolutione tantum, aliquando pro absolutione & dispensatione simul, aliquando pro dispensatione tantum, vel quia alias data est latori absolutio, vel quia nihil est quod sit pro absolutionem tollendum, ut in Irregularitate orta ex defectu natalium, I quocunque casu semper facienda e Confessio SacramentalisConfessario executori litterarum. & licet nullum sit delictum in materia, pro qua literæ conceduntur, confitenda tamen sunt peccata, quæ in aliis materiis commissi sunt.

10. Confessione peractâ post absolutionem Sacramentalem à Censuris & peccatis proferenda est à Confessario forma Gratiæ specialis, quæ per literas conceditur, ut dispensatio, vel commutatio, vel condonatio, vel dilatio, vel declaratio.

11. Reliquæ clausulæ satis per se patent, & accuratè observandæ sunt.

§. 3

§. 3.

Quæ præmittenda à Confessario executioni Literarum S. Pœnitentiariæ.

1.

CONfessarius antequam ad executionem literarum progrediatur, tria præstare, debet quæ per clausulas indicantur: Inquirere, injungere, & monere.

2. Inquirere primo à Pœnitente debet veritatem causæ finalis, seu an res ita sit. Deinde *an præmissa, seu exposita sint occulta*, quæ clausula si apponatur strictè observanda est, si enim delictum, impedimentum, irregularitas, aut inhabilitas publica sint aut famosa, literæ latori non suffragantur, nec dari debent executioni.

3. Occultum vero hic dicitur illud, quod à nemine, vel à tam paucis scitur, ut neque sit manifestum, neque notorium facti vel juris, ideoque licet aliquibus v. g. in communitate duobus vel tribus, in oppido quinque aut sex, in civitate septem aut octo notum sit, & licet sit secundum se probabile in judicio, dum interim non probatur, neque ad judicium

dicium defertur est adhuc occultum, dummodo ex circumstantiis non appareat, rem facilè publicandam.

4. Porrò potest esse aliquid publicum materialiter, formaliter tamen manere occultum; Sic missa celebrata publicè ab excommunicato occulto, est actus publicus, & delictum materialiter publicum, formaliter tamen est occultum, cum excommunicatio, & consequenter Irregularitas, quam ob Celebrationem incurrit Sacerdos, sit occulta, adeoque potest executor delictum, vel pœnam ex eo secutam occultam judicare, & consequenter absolvere, vel dispensare.

5. Deinde fieri potest, ut delictum sit publicum etiam formaliter, pœna tamen delicti sit occulta; Si nimirum Parochus publicè excommunicatus coram Populo pagi sui celebret, qui judicet id fieri non licere, & esse delictum; Sed nesciat contrahi per hoc Irregularitatem. Item potest esse quid publicum in uno loco, & occultum in alio. In his vero duobus casibus non debet Confessarius dispensare, nisi expressè in Literis S. Pœnitentiariæ detur eis facultas in hujusmodi occultis dispensandi; quamvis nec S. Pœnitentiaria soleat concede-

re

re gratias dispensationum in ejusmodi occultis in uno loco, quæ publica sunt in alio.

6. In injungendis verò Pœnitenti attendere debet Confessarius non solum ad delictum, seu impedimentum pro cujus absolutione, seu dispensatione committitur executio, sed etiam ad omnia alia, quæ ipsi in Sacramennali Confessione manifestantur. Et hæc obligatio intimatur nonnunquam Confessario in ipsis Literis per hanc Clausulam: *Et aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda.* Etsi non apponatur, ad eam tamen adstringitur Confessarius, cum ex naturâ actus Confessionis Sacramentalis sequatur.

7. Quæ specialiter injungunt Literæ, si pœnitens jam ante ea aut alia æquivalentia, aut majora præstiterit, aut idem delictum rite confessus condignam pœnitentiam acceperit, poterit illa Confessarius aut moderari, aut ad sufficienter præstita v. g. ad restitutiones, satisfactiones, pœnitentem non ulterius adstringere.

8. In injungendis quoque ex præscripto Literarum discretioni est locus, ut licet substantia injungendorum servanda

sit,

sit, quantitas tamen & modus pendet à prudentia Confessarii, & petenda est ex ætate, statu, complexione & sexu pœnitentis, quibus consideratis, quæ ex se videretur levis pœnitentia, erit verè gravis, & delicto proportionata. Deinde quibus personis ob debilitatem, vel complexionem, vel aliam causam v. g. mulieribus debilibus, lactantibus prolem &c. non potest imponi unum genus Pœnitentiæ, quæ gravis reputatur imponi possunt duo, aut tria alia genera gravitatem illam respectu personæ constantia.

9. Cum injungitur pœnitentia gravis & diuturna, gravitas non sumitur ex diuturnitate, sed in se talis esse debet, ac præterea diuturna. Diuturnitas vero prudenter determinari debet juxta naturam delicti, & statum animæ pœnitentis. Possunt vero injungi quoque Pœnitentiæ opera consueta & alias debita.

10. Si præscribatur in Literis Pœnitenti Confessio Sacramentalis singulis mensibus instituenda, si non constet ex terminis ipsius Brevis obligationem debere esse perpetuam, relinquitur judicio Confessarii juxta exigentiam animæ Pœni-

nitentis ad certum tempus eam extendere. Et si eleemosyna pœnitenti eroganda à Confessario juxta Breve imponenda est, attendenda est cum gravitate delicti, facultas pœnitentis, nunquam tamen eum omnino eximat Confessarius, cum in minimo salvetur substantia eleemosynæ.

11. Restitutiones & satisfactiones præscriptæ, discretè & diligenter à Confessario injungendæ sunt, & ita se in his casibus gerere debet sicut se gereret in Confessionibus aliorum pœnitentium, & non exigere à Pœnitente ultra possibilitatem ipsius, ideoque non dimittere eum absque absolutionis, aut dispensationis gratia, si inveniat eum nunquam restituere posse, sed obliget eum, ut alia servitia præstet ei, cui debet. Si veto in futurum aliquando satisfacere poterit, promittat aut juret, se id|facturum.

12. Si etiam occasiones peccandi absque scandalo omnino removeri non possint, concedenda quidem est Pœnitenti dilatio aliavè remedia, quæ Doctores suggerunt, subministranda, non nimium tamen Pœnitentibus indulgendum, sed potius hac in re severè cum iis agendum est.

13. Mo-

13. Monendus est demum Pœnitens à Confessario observandam esse hanc Clausulam : *Et ita illum moneas, & tunc videndum bene.* Sive hæc clausula in Brevi exprimatur, sive non, monendus est Pœnitens de effectu concessionis, seu gratiæ ipsi factæ.

14. Cum diriguntur literæ ad Ordinarios, vel etiam Confessarios pro injectione manuum violenta in Clericum, aut forte pro alia, apponi solet hæc clausula: *Quod si dictus lator ordinationi, seu sententiæ dicti Ordinarii latæ, vel ferendæ parere contempserit in eandem excommunicationem relabatur.* Cujus clausulæ verus sensus ex infra dicendis patebit, nunc monere sufficit, ne Episcopus jubeat, aut præcipiat impossibilia aut valde difficilia.

PARS III.

De Formulis votorum.

Literæ S. Pœnitentiariæ quadruplicem materiam concernunt:

1. Dilationes, commutationes, & dispensationes votorum. 2. Dispensationes matrimoniales. 3. Absolutiones & dispensationes diversas, quæ conceduntur

in utroque foro in materiis absolutionum pro delictis publicis, quando fit Commissio Ordinariis. 4. Absolutiones, dispensationes & gratias, quæ conceduntur pro Regularibus, & Religionem ingredi volentibus, in utroque foro. In hac parte de prima materia, vota nimirum concernente, agemus. Votum aliud simplex est, aliud solenne. Ad solenne non extendit se ordinaria S. Pœnitentiariæ facultas, ideoque hic tantum de formulis simplicia vota respicientibus agetur.

§. I.

Modus exequendi Literas dilationis Voti Religionis.

1. Dilatio Voti simplicis datur iis, qui ob impedimentum aliquod temporale id implere nequeunt, vel quia Parentes indigent eorum operâ, vel quia sunt gravati ære alieno, vel quia tenentur reddere rationes, vel quia infirmitate aliqua impediuntur, quæ quidem dilatio, licet dari possit à quolibet Confessario, cum non sit ex reservatis Sedi Apostolicæ, si tamen petatur à S. Pœnitentiaria, sub hac formulâ concedi solet;

2. *For-*

2. *Formula Dilationis ſimplicis Voti Religionis.*

Leander Miſeratione Divina Tituli SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presbyter Cardinalis.

Diſcreto Viro Confeſſori Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab ordinario, per latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo. Salutem in Domino.

Ex parte latoris præſentium nobis oblata petitio continebat: Quod ipſe aliàs ſimplex Religionis votum emiſit. Cum autem, ſicut eadem petitio continebat, lator prædictus habeat Parentes ſuâ operâ & auxilio egentes; Idcirco pro ſuæ conſcientiæ quiete cupit, ſibi ad votum hujusmodi adimplendum dilationem per Sedem Apoſtolicam concedi. Quare ſupplicari fecit nobis humiliter, ut ſibi ſuper his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, authoritate Apoſtolicâ ſpe-

specialiter nobis concessâ, discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dicto latori, auditâ prius ejus Sacramentali Confessione, a consideratis, quæ erunt considerandæ circa statum, & continentiam latoris, ne sub prætextu alterius temporalis necessitatis maneat in periculo propriæ æternæ salutis, dilationem ad implendum votum prædictum, durantibus necessitatibus Parentum, concedas, b dummodo illis cum effectu prosit, & interim vitam cœlibem ducat, c & aliqua Religionis, quam vovit, quotidiè faciat ad eum finem, ut ea adimplens, meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringitur, prout secundum DEUM ipsius animæ saluti expedire judicaveris, in foro conscientiæ d & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo, e ita, quod cessantibus necessitatibus Parentum præfatum votum adimplere teneatur. Et ita illum moneas. Datum Romæ apud S. Petrum.

3. In his advertendæ sunt Clausulæ: Prima *a Consideratis quæ erunt considerandæ*, per quam indicatur, ut Confessarius examinet veritatem causæ, & necessitatem postulatæ dilationis, ac deinde ponderet periculum spirituale pœnitentis, si remanet in sæculo.

4. Secunda clausula est. *b Dummodo illis cum effectu prosit, & interim vitam cælibem ducat.* Requirendum ergo à petente dilationem, quomodo prosit Parentibus, & monendus is est de cœlibatu servando, ut possit sublato impedimento votum implere.

5. Tertia est: *c Et aliqua Religionis, quam ingressurus est, quotidie faciat.* Non vero quælibet opera injungenda erunt, sed ea, quæ sunt congrua statui, possibilitati, & utilitati voventis. Si enim quis voviſſet v. g. Societatem JESU ingredi, injungi ei posset onus quotidiani examinis conscientiæ, vel orationis mentalis, vel quid simile, quod commodè ab eo fieri possit, & cum fructu spirituali animæ adimpleri.

6. Quarta est. *d Et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum*, intellige non physicè sed moraliter, ut peragatur immediatè post eam.

7. Quin-

7. Quinta est: e *Ita, quod cessantibus necessitatibus Parentum, præfatum votum adimplere teneatur.* Monendus ergo Pœnitens non dispensatum in voto, sed concessam solum dilationem.

8. Post confessionem ergo Pœnitentis, & consuetam absolutionem à Censuris, & peccatis subjungat Confessarius:

Insuper Auctoritate Apostolica specialiter mihi delegata, tibi dilationem ad implendum votum Religionis, quod emisisti, concedo in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti Amen.

§. 2.

De Transgressione voti Religionis.

1. Qui emisso voto simplici ingrediendi Religionem contrahit matrimonium, peccat mortaliter, tenetur tamen in matrimonio manere. Absolutio vero à transgressione voti Religionis non est reservata Sedi Apostolicæ, si tamen ad eam recurrat Pœnitens, ut possit debitum conjugale reddere, & exigere, Literæ sic expediuntur:

2. *Formula Transgressionis Voti simplicis Religionis.*

Leander &c.

Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias, postquam Religionem ingredi voverat, Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit cum quadam muliere sua ad præsens uxore. Cum autem, &c. Lator præfatus de præmissis plurimum doleat, & in dicto Matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere, & exigere licitè posse desideret, pro suæ conscientiæ quiete, cupit à transgressione hujusmodi per Sedem Apostolicam absolvi, secumq; desuper dispensari: Quare &c. Quatenus, si ita est, dictum latorem (auditâ prius ejus Sacramentali Confessione) à transgressione hujusmodi absolvas hac vice, in forma Ecclesiæ consueta, a injuncta ei pœnitentia salutari. b Ipsumque, si aliud Canonicum non obstet, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere & exigere posse declares in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramen-

mentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. c Ita quod, si uxori supervixerit, eodem voto teneatur ut prius, & ita illum moneas. Datum &c.

3. Per clausulam: *a Injuncta ei pœnitentia salutari* relinquit M. P. arbitrio Confessarii qualitatem pœnitentiæ injungendæ, quæ consistit in orationibus, eleemosynis & jejuniis, quorum nomine veniunt omnia opera pœnalia.

4. Additur clausula: *b Ipsumque, si aliud Canonicum non obstet, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere & exigere posse declares*, nimirum ad tollendum omnem scrupulum Pœnitenti, ne per Conscientiam erroneam peccet.

4. Per clausulam: *c Ita quod, si uxori supervixerit eodem voto teneatur ut prius, & ita illum moneas*, injungitur Confessario, ut moneat Pœnitentem de obligatione adimplendi sui voti, si alteri comparti supervixerit. Quod si continenter vivere non possit, vel ob educationem prolium, aliamvè gravem ob causam illud adimplere nequeat, admonendus est, ut iterum recurrat ad Sacram

cram Pœnitentiariam pro commutatione voti in alia pœnitentiæ opera. Quæ commutatio posset etiam peti cum absolutione à transgressione, si prævideret se non posse, casu quo Conjugi superviveret, votum adimplere, ne opus deinde sit denuo ad S. Pœnitentiariam recurrere.

5. Cæterum post absolutionem à censuris, & peccatis dicat Confessarius formulam declarationis sequentem:

Deinde authoritate Apostolicâ, mihi specialiter delegata te, non obstante voto Religionis, quod aliàs emisisti in Matrimonio remanere, & debitum Conjugale exigere, & reddere posse declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini &c.

§. 3.

De Transgressione voti Castitatis.

1. Transgressio voti Castitatis non est reservata Sedi Apostolicæ; Nec etiam dispensatio ad petendum debitum, quæ potest dari ab Episcopo, si tamen ad S. Pœnitentiariam recurratur, sequenti formula expediri solet:

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Salutem in Domino. Ex parte Latoris præsentium nobis &c.

Con-

Continebat, quod ipse aliàs simpliciter vovit Castitatem servare, deinde Uxorem ad præsens viventem duxit. Cum autem dictus Lator de hujusmodi transgressione doleat, debitum Conjugale exigere licitè posse desideret; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit. Nos &c. discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione à transgressione hujusmodi absolvas &c. Injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, ipsumque in dicto Matrimonio remanere, & debitum Conjugale reddere posse, & debere declares. Et cum eodem, quatenus de illius incontinentiâ timendum sit, ut idem debitum Conjugale etiam exigere licitè valeat, etiam misericorditer dispenses, in foro conscientiæ &c. Ita quod si Uxori supervixerit eodem voto teneatur, ut prius obligatus, & si extra Matrimonium interim fornicatus fuerit, sciat se contra votum hujusmodi facturum, & ita illum moneas. Datum &c.

3. Clausulæ pleræque claræ, & nonnullæ ex supradictis patent. Ob istam: *Et si extra Matrimonium interim fornicatus fuerit, sciat se contra votum hujusmodi facturum*, monendus est Pœnitens, quod etsi usum Matrimonii liberum habeat, si tamen for-

fornicetur, aut aliquid simile committat, contra votum castitatis facturum.

4. Modus declarandi & dispensandi juxta formam hujus Brevis hic post absolutionem consuetam esse poterit.

Item Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata te non obstante voto Castitatis quod emisisti, & transgressus fuisti in dicto Matrimonio remanere, & debitum Conjugale reddere possis, & valeas tecum eadem authoritate Apostolica dispenso. In nomine Patris, & Filii &c.

5. Notandum, quod praxis executionis Literarum trium præcedentium capitum tenenda sit, ut æquitati consona, etiamsi absque Literis S. Pœnitentiariæ in dictis casibus procedatur à Confessario.

§. 4.

De Commutatione Voti Religionis.

1. Commutatio voti Religionis fit à S. Pœnitentiaria vel ob stimulos carnis ut possit Vovens licitè contrahere matrimonium, vel ob debilem illius complexionem, ut possit vitam cœlibem ducere in sæculo. Formula in utroque casu est eadem, exceptis præfatis duabus clausulis.

2. For-

2. *Formula Commutationis Voti simplicis Religionis.*

Leander &c.

Discreto Viro Confessori salutem in Domino. Ex parte Viri Latoris præsentium nobis &c. continebat, quod ipse alias simpliciter vovit Religionem ingredi. Cum autem dictus Lator continenter vivere posse diffidat, ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit sibi præfatum Votum ad effectum contrahendi matrimonium in alia Pœnitentiæ opera per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicavit &c. Nes &c. discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum Latorem audita prius ejus Sacramentali Confessione à mutatione propositi absolvas &c. injuncta ei Pœnitentia salutari, sibique votum præfatum ad hoc, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum Conjugale exigere, & reddere licitè valeat (a) *in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense* (b) *& in alia Pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda,* (c) *interquæ sint etiam aliqua Religionis, quam ingressurus fuisset, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum DEUM ipsius animæ saluti expedire judicaveris, dispensando commutes in foro Conscientiæ, alio modo &c. Datum &c.*

3. In

3. In Clausulâ: (a) *In Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense*, sumitur mensis secundum communem acceptionem, & cursum, ita ut vovens satisfaciat obligationi, si v.g. in principio Januarii, & postea in fine sequentis Februarii iterum confiteatur. Quod si cum commutatio fit, medietas mensis jam elapsa sit, censendum est mentem Majoris Pœnitentiarii esse, non velle obligare voventem ad novam confessionem, in ea mensis extremitate, secus dicendum judicat Mar. Paul. Leo, si in principio mensis fiat commutatio.

4. Clausula: (b) *Et in alia Pœnitentiæ opera perpetua*, denotat primò non unum opus, sed plura injungenda esse; Deinde debere esse perpetua, non quidem continua, seu quotidiana, sed certis & statis temporibus injungenda, quia relaxatio voti per commutationem est perpetua.

5. (c) *Inter quæ sint etiam aliqua Religionis*, ea tamen quæ sint compatibilia cum statu conjugali, nec valde difficilia ad illorum executionem, quotidiana tamen; v.g quotidie per breve tempus orationi vacare mentali vel vocali, facere examen conscientiæ, legere

gere librum aliquem ſpiritualem, audire ſacrum,

6. Clauſula: *Ad hoc, ut matrimonium legitimè contrahere valeat* ponitur in literis, quæ dantur nonnullis ad effectum contrahendi matrimonium. In aliis ad vitam cœlibem in ſæculo ducendam ponitur: *Dummodo vitam cœlibem ducat.*

7. Formula commutationis poſt abſolutionem ordinariam talis ſubjungatur à Confeſſario:

Et Authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, Ego tibi votum Religionis, quod emiſiſti, in opera pietatis, quæ tibi præſcripſi, diſpenſando, ad effectum licitè contrahendi matrimonium, ſive ad effectum remanendi in ſæculo in vita cœlibe, commuto. In nomine Patris, & Filii &c.

8. *Formula Commutationis voti Religionis pro Clericis Ordine ſacro inſignitis.*

Pro Clericis in ſacris conſtitutis expediuntur Literæ abſque mentione Matrimonii & Cœlibatus, ſed hæ duæ clauſulæ inſeruntur:

9. Prima: *In frequentiam Sacramentalis Confeſſionis ſingulis ſcilicet hebdomadis, ſemel, vel quoties tibi videbitur.* Debet ergo Executor illi imponere,

nere, ut singulis septimanis peccata sua confiteatur, vel etiam sæpius, si ita expedire judicaverit.

10. Secundo: *Partem videlicet earum Pœnitentiarum, quas Regulares Ordinis, quem vovit, ex præscripto ipsius Ordinis abstinentiis, vel jejuniis, aut interioribus indumentis subire solent.* Ea vero pœnitentiæ opera imponat Executor, quæ spectata qualitate voventis, facilioris sunt executionis. Abstinentiæ, prout contradistinguitur à jejunio, accipitur pro quacunque privatione cujusvis cibi, moderatoque ciborum usu. Jejunium hic sumitur Ecclesiasticum. Interiora indumenta sunt: Cilicia, catenulæ ferreæ, & similia. Horum unum, vel aliqua imponere sufficit, hoc enim importat particula: *Vel*, non est necesse omnia imperare.

11. Præter hæc non quotidiana, imponenda sunt aliqua quotidiana, & prudentiæ Confessarii relinquuntur. Hæc esse possent: Recitatio Litaniarum B. M. V. cum examine conscientiæ, vel Commemoratio S. Fundatoris Ordinis.

§. 5.

§. 5.

De Voti Castitatis Commutatione.

1. Commutatio Voti Castitatis fit, vel ob stimulos carnis, vel ad conservandam nobilem familiam, vel quia mulier, licet non patiatur stimulos, est in periculo amittendi pudicitiam, utpote quia pauper est & pulchra, vel orbata parentibus, aliasve ob causas. Literæ S. Pœnitentiariæ sic expediuntur.

2. *Formula Commutationis Voti Castitatis.*

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Salutem in Domino. Ex parte Viri Latoris præsentium nobis &c. continebat, quod ipse alias simpliciter vovit Castitatem servare. Cum autem dictus Lator continenter vivere posse diffidat; Ideo pro suæ Conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam sibi votum præfatum ad effectum contrahendi Matrimonium in alia Pœnitentiæ opera commutari; Quare supplicavit, &c. Nos &c. discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita dictum Latorem, audita prius Sacramentali Confessione à mutatione propositi absolvas, &c. Injuncta ei Pœnitentia salutari sibique votum præfatum ad hoc tantum, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum Conjugale exi-

exigere, & reddere licite posſit, dispensando, commutes in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense, & in alia Pœnitentiæ opera pro te injungenda tam diu duratura, quamdiu commutationi præfatæ locus erit. Inter quæ sint aliqua pietatis, quæ quotidie facere teneatur, ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum DEUM ipsius animæ saluti expedire judicaveris in foro Conscientiæ &c. alio modo &c. Ita quod, si mulieri cui conjungetur, supervixerit, Castitatem servet, utpote eodem voto, ut prius obligatus, & si extra Matrimonium fornicatus fuerit, aut mortua dicta Muliere, aliud matrimonium contraxerit, sciat se contra votum hujusmodi facere, & debitum conjugale exigere non posse, & ita illum moneas. Datum &c.

3. Advertendæ hic sunt Clausulæ sequentes: Prima *sibique votum præfatum ad hoc tantum, ut matrimonium contrahere legitimè possit, dispensando commutes*, in qua notanda dictio *tantum*, quæ denotat commutationem voti tantum fieri ad contrahendum matrimonium, & permittendam copulam matrimonialem, in reliquis vero actibus manere voti obligationem.

4. Se

4. Secunda: *In frequentiam Sacramentalis Confessionis semel quolibet mense*, clara sunt.

5. Tertia: *Et alia Pœnitentiæ opera*, ut sunt abstinentia ab ovis & lacticiniis, jejunium, disciplinæ, Cilicia & similia. *c. Magnæ 7. decreta.* Cum vero plura injungi debeant opera, sufficient duo, ne gravetur Pœnitens.

6. Quarta: *Inter quæ sint etiam aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur*; Talia esse possunt eleemosyna, recitatio orationum, auditio Missæ extra obligationem præcepti, & similia. *c. Magnæ 7. de voto.*

7. Quinta: *Prædicta opera, quæ pro commutatione voti imponenda sunt tam diu duratura esse, quamdiu commutationi prædictæ locus erit.* Ideoque dictorum operum obligatio incipit à die matrimonii, & eo per mortem consortis soluto desinit, de quibus monendus est Pœnitens.

8. Sexta & Septima: *Ita quod si mulieri, cui conjungetur, supervixerit* &c. *Et si extra Matrimonium fornicatus fuerit* &c. Clara sunt; Monendus pro-

inde est vovens de hac limitata dispensatione sibi concessa.

9. His præmissis post solitam absolutionem dicat Confessarius:

Et Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata tibi votum castitatis, quod emisisti, in effectum, ut matrimonium contrahere, & debitum Conjugale reddere, & exigere licite possis & valeas, in opera tibi præscripta, dispensando commuto. In nomine Patris &c.

§. 6.

De Commutatione voti simplicis Castitatis, & Religionis simul.

1. Si quis petat commutationem voti simplicis castitatis & Religionis, expediuntur Literæ eodem fere modo, & forma. Monendus vero est Pœnitens quod, cum Commutatio illa sit perpetua respectu voti Religionis, licet temporanea sit respectu voti Castitatis, quod reviviscit per mortem conjugis, idcirco opera Pœnitentiæ sint quoque perpetua. Si commutetur votum Religionis remanente voto castitatis, observanda sunt dicta §. 4.

2. Forma Commutationis hæc erit:

Item Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tibi vota Religionis, & Castitatis

qua-

quæ emisisti ad effectum, ut matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum Conjugale reddere, & exigere licitè possis & valeas, in opera pietatis, quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine Patris &c.

§. 7.

De Commutatione votorum Peregrinationis.

1. Vota trium Peregrinationum, videlicet Jerosolymam, ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & ad S. Jacobum de Compostella, Sedi Apostolicæ reservata commutari solent ex causa infirmitatis, paupertatis, senectutis aliavè rationabili in alia opera pro arbitrio prudentis Confessarii, v. g. in faciliorem Peregrinationem, eleemosynam, Pœnitentiam aliave pietatis opera.

2. Formula Commutationis, quæ post absolutionem dicitur hæc est:

Item Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata, tibi Votum Peregrinationis, quod emisisti in Peregrinationem, eleemosynam, seu alia pietatis opera, quæ tibi præscripsi, dispensando, commuto. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

PARS IV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

§. I.

Quædam Communia omnibus Dispensationibus Matrimonialibus.

1.

IMpedimenta super quibus S. Pœnitentiaria dispensat debent esse occulta, unde dispensationes illius semper hanc Clausulam annexam habent: *Dummodo impedimentum occultum sit, seu occultum remaneat.* Super publicis enim Dataria Apostolica dispensat.

2. Causæ dispensationis veræ sunt, rationabiles, & sufficientes v. g. periculum scandalorum, revelationis impedimenti, perseverantiæ in peccato ob occasionem difficulter removibilem prostitutionis vel diffamationis mulieris, vel periculum inimicitiarum, aut alterius damni spiritualis. De quorum veritate diligenter inquirere debet Confessarius, maximè cum agitur de contrahendo.

3. Dispensationes hujusmodi suffragantur tantum in foro conscientiæ. Unde si impedimentum fieret publicum ex occul-

occulto, posset Ordinarius loci, vel Parochus. si nollent credere dispensationem esse obtentam, ob scandalum separare. Essent tamen veri Conjuges in foro Conscientiæ, nec peccarent, si debitum mutuo sibi redderent secretè.

4. Ordinarii vero & Parochi, si eis post contractum matrimonium talia impedimenta referantur, non sint faciles ad propalandum per publicam separationem, sed silentio impositio denuntianti, & facta secreta separatione, si Conjuges sint in mala fide, scribant Majori Pœnitentiario pro dispensatione super impedimento occulto, quamvis secretè denunciato.

5. Dispensationes hæ conceduntur, vel ad effectum contrahendi, vel ad effectum remanendi in matrimonio contracto. Ideo

6. Si dentur ad effectum contrahendi matrimonium, apponitur hæc Clausula: *Aliud q. Canonicum non obstet, quod præmissis non obstantibus, matrimonium cum dicta &c. & uterque inter se publicè, servata forma Concilii Tridentini contrahere &c.* Si itaque adsit impedimentum aliud prohibens vel dirimens matrimonium, obtinenda est su-

per illo alia dispensatio; Si non adsit, potest fieri matrimonium in facie Ecclesiæ non obstante impedimento occulto.

7. Si vero Literæ concedantur ad effectum remanendi in matrimonio contracto, si pro utroque Conjuge conscio impedimenti dentur literæ, apponitur: *Cum eisdem Latoribus, de nullitate prioris consensus certioratis, ut inter se de novo secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere valeant.* Moneri ergo debent primo Conjuges de nullitate matrimonii; Deinde per novum consensum denuo secrete contrahere, vel exprimendo illum verbo, nutu, aut copula maritali affectu inter se habenda. Vel, quod securius, per novum secretum contractum coram solo Confessario pronunciante deinde solita verba: *Et ego vos conjungo in matrimonium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

8. Quod si alter conjux sit inscius impedimenti, apponitur hæc Clausula: *Ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur.* Certioratio hæc magna cum cautela fa-

facienda est, ne pars insscia impedimenti, cum certior fit de nullitate, resiliat à matrimonio. Modus hujus certorationis, & renovationis consensus varius à DD. assignatur.

9. Primus est : Ut conscius impedimenti dicat ignoranti : Suspicor te non esse Uxorem meam aliqua ex causa ; Ideo rogo te, ut pro quiete conscientiæ meæ, denuo nos pro Conjugibus habeamus.

10. Secundus ; Si conscius insciæ dicat : An taliter eum amet, ut si libera esset, etiam adhuc eum in Maritum acciperet, si annuat & uterque renovet consensum, matrimonium factum est.

11. Tertius, si conscius impedimenti dicat se à principio invalide consensum præstitisse, & propterea ex consilio Confessarii oportere, ut pro securitate conscientiæ ambo invicem consensum renovent. Quod si fecerint factum erit matrimonium. Qui modus videtur cæteris præferendus, cum tamen in praxi valde periculosus esse possit, monetur Confessarius executor, ut implorato Divino lumine, & examinatis Pœnitentium geniis, moribus, affectibus & conditionibus, tales in praxi adhibeat modos, quos viderit magis expedire, hoc semper salvo, ut renovationem consensus

sensus utriusque partis injungere non omittat.

§. 2.

De Dispensatione super impedimento occulto affinitatis proveniente ex copula illicita ad contrahendum.

1. Affinitas ex copula illicita contrahitur cum aliquâ Consanguineâ in primo, vel secundo gradu ejus, quam quis vult accipere in Uxorem.

2. Hæc affinitas aliquando est sola, aliquando conjuncta cum incestu, ut v. g. cum quis non solum consanguineam Mulieris, sed etiam, & ipsam Mulierem carnaliter cognovit, & tunc gravius est delictum.

3. Literæ vero dispensationis pro primo & secundo gradu affinitatis, non differunt substantialiter, sed solum accidentaliter.

Formula Literarum super hujusmodi impedimento.

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Salutem in Domino. Ex parte Viri Latoris præsentium nobis &c. continebat quod ipse de matrimonio contrahendo tractavit cum Muliere, quam & cu-

jus

jus Matrem carnaliter cognovit ; Cum autem &c dicta carnalis cognitio cum præfata Mulieris Matre habita sit occulta, & nisi Lator cum dicta Muliere Matrimonium contrahat periculum immineat scandalorum ; Ideo ad dicta scandala evitanda, & pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque dispensari. Quare &c. Nos &c. discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, dictum latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione amplius peccandi cum dicta Mulieris Matre, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvas &c. Injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari, & aliis quæ de Jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & aliud, Canonicum non obstet, cum eodem latore, quod præmissis non obstantibus matrimonium cum dicta Muliere, & uterque inter se publicè, servata forma Concilii Tridentini contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeat misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronunciando in foro conscientiæ &c. alio modo &c. Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur. Nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare

cerare tenearis neque eas latori restituas, quod si restitueris nihil ei præsentes literæ suffragentur. Datum &c.

4. Notandæ sunt sequentes clausulæ: Prima, *Quatenus si est ita*, id est an vera sint narrata. Secunda: *Audita prius ejus Sacramentali Confessione* nimirum ante absolutionem & dispensationem. Tertia: *Sublata occasione peccandi cum dictæ Mulieris Matre.* Debet ergo Pœnitens ante absolutionem tollere occasionem peccandi, præsertim voluntariam; Quo ad necessariam præscribat Confessarius modos, quos tradunt DD. in similibus occasionibus necessariis.

5. Quarta: *Injuncta ei pro tam enormi libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari.* Pro arbitrio Confessarii, possit esse v. g. jejunium per sex menses semel qualibet hebdomada, recitatio tertiæ partis Rosarii per tres menses tribus diebus in hebdomada, vel aliud pietatis opus considerata qualitate, statu, sexu & ætate Pœnitentis.

6. Quinta: *Et aliis injunctis, quæ de Jure fuerint injungenda* juxta naturam aliorum peccatorum in Confessione de-

declaratorum. Sexta: *Demum dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum*, quod proinde examinare debet Confessarius.

7. Septima: *Aliud q; Canonicum non obstet*, scilicet impedimentum. Quod si esset iterum recurrendum esset ad S. Pœnitentiariam. Octava: *Cum eodem Latore, quod præmissis non obstantibus* virtute Literarum Confessarius ad executionem gratiæ devenire potest.

8. Nona: *Matrimonium cum dicta Muliere, & uterque inter se publicè servata forma Concilii Trid. contrahere*, id est præviis denunciationibus coram Parocho & testibus. Decima: *Et in eo remanere licitè valeant*, id est Matrimonium consummare, & debitum conjugale exigere, & reddere.

9. Undecima: *Prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciando*, nam ex ipso Matrimonio sublato per dispensationem impedimento nascitur de jure legitima proles. Duodecima: *In foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo.*

10. Ter-

10. Tertiadecima: *Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur*, si impedimentum ex occulto fiat publicum. Non peccaret tamen si absque scandalo haberet copulam cum sua Conjuge, quia in foro conscientiæ cum eo dispensatum fuit.

11. Quintadecima: *Sed præsentibus laceratis, quas sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, ita ut illarum nullum exemplum extet.* Hæc clausula moraliter est intelligenda, quando moraliter poterit absque eo, quod delictum Pœnitentis prodat. Sextadecima: *Neq; eas Latori restituas, quod si restitueris, nihil ei præsentes Literæ suffragentur.* Id est in foro fori, nam in foro conscientiæ semper validæ manent.

12. Porro forma dispensationis de contrahendo danda post absolutionem est talis:

Et insuper Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi, seu secundi, seu primi & secundi, ex copula illicita à te habita cum Sorore Mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente, ut

præ-

præfato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere publicè, servata forma Concilii Tridentini contrahere, consummare, ac in eo remanere licitè possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Insuper eadem Authoritate Apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis legitimam fore nuncio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

13. Eadem forma adaptari poterit, quando copula fuit habita v. g. cum Matre, Amita, Matertera, Consobrina, vel Consanguinea in primo & secundo, vel in secundo gradu tantum, ad quos gradus extenditur impedimentum ex copula illicita proveniens.

14. Gratia dispensationis ad contrahendum concessa uni censetur concessa alteri parti, sive sit conscia impedimenti ante dispensationem, sive post eam illud intellexerit.

§. 3.

Formula Literarum S. Pœnitentiariæ dispensationis super impedimento primi gradus ex copula illicita proveniente ad remanendum, seu de contracto.

1. Leander &c. *Discreto Viro Confessori*

Ma-

Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per Latorem præsentium eligendo salutem in Domino. Ex parte Viri Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs matrimonium publice in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit cum Muliere, cujus Matrem antea carnaliter cognoverat. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator ob impedimentum ex præmissis proveniens, quod occultum est in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione ad evitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter se, & dictam Mulierem, exorirentur, ac pro suæ conscientiæ quiete cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica specialiter Nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione amplius peccandi cum dictæ Mulieris Matre, à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injunc-

cta

eta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis injunctis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter Latorem, & dictam Mulierem fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque Canonicum non obstet, cum eodem Latore, ut dicta Muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut Latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se de novo, secrete ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeat misericorditer dispenses. Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, nec ullo alio modo. Ita quod hujusmadi absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur nullis super his testibus adhibitis, seu literis datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, ita ut nullum illarum exemplum extet, neque eas Latori restituas; Quod si restitueris nihil eis præsentes Literæ suffragentur. Datum &c.

2. Præ-

2. Præter notatas ſuperius formulas, conſiderandæ ſunt Clauſulæ ſequentes: Prima, *A quibusvis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis*, id eſt ab excommunicationis ſententia, quam incurrunt inceſtuoſi, qui in gradibus prohibitis matrimonium contrahunt, juxta *Clement. unic. de Conſang. & affin.* & à quibusvis aliis cenſuris & pœnis ex quocunque modo provenientibus contra inceſtuoſos &c.

3. Secunda: *Ac Sacramentali Confeſſione quolibet menſe per tempus arbitrio tuo ſtatuendum.* Statuendi ergo ſunt duo minimum menſes, expediret ut ſex ſtatuerentur.

3. Tertia: *Cum dicto Viro, ut dicta Muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur.* Hujus Clauſulæ explicatio ſupra data eſt; Cui addi poteſt, ſi adſit gravis neceſſitas, poteſt matrimonium denuo conſiſtere habita copula affectu maritali à parte conſcia impedimenti, nam ex parte alterius cum putet eſſe matrimonium, conſtat eo affectu haberi. *Sanchez de matr. l. 2. dis. 39. Concl. ult. n. 8.* Unde in caſibus ne-

necessitatis censetur S. Pœnitentiaria, & sancta Sedes remittere de suo stylo, & providere meliori, quo potest, modo de remediis. Et clausula de certioratione partis insciæ non ponitur, ut conditio sine qua non, sed ut instructio Confessarii. *Sanchez l. 8. disp. 24. n. 61.*

5. Quarta: *Matrimonium inter se de novo secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere,* id est prævia renovatione consensus, quæ præcedere debet copulam, cum per eam contrahat matrimonium, alias fornicaretur.

6. Forma dispensationis de contracto danda post Confessionem Sacramentalem est ista:

Et insuper Authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum Sorore &c. tuæ putatæ Conjugis antea habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfata Conjuge, matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licitè valeas & possis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Et pariter eadem Authoritate Apostolica prolem, si quam susceperis legitimam fore decerno,

& declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

7. Si ambo Conjuges ſciverint impedimentum, antequam contraheretur, pro utroque reſcribit Major Pœnitentiarius, & uterque erit in Sacramentali Confeſſione abſolvendus, & diſpenſandus, utrique gravis pœnitentia injungenda, & uterque de nullitate prioris conſenſus certiorandus.

§. 4.

De Formula abſolutionis, & diſpenſationis Literarum, quæ expediuntur pro iis, qui impetrata diſpenſatione ſuper impedimento publico, tacuerunt impedimentum occultum.

1. Si in Literis expeditis à Dataria ſuper impedimento dirimente publico, tacetur impedimentum occultum, ideoque Literæ per ſub-vel obreptionem reddantur nullæ, & fiat recurſus ad S. Pœnitentiariam, ad contrahendum, ſub hac vel ſimili pro diverſitate impedimentorum & obreptionum diſpenſari ſolet.

Leander &c.

Diſcreto Viro Confeſſori Magiſtro in Theo-

logia

logia, vel Decretorum Doctori per Latores præ-sentium ad infrascripta specialiter eligendo salutem in Domino. Pro parte Viri & Mulieris latorum præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipsi alias, volentes inter se matrimonialiter copulari dispensationem super impedimento tertii Consanguinitatis, seu affinitatis gradus, quo invicem sunt conjuncti, seu se attinent, à Sede Apostolica obtinuerunt tacita in dictis Literis copula carnali inter eos secuta. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio sit occulta, & nisi matrimonium vigore hujusmodi dispensationis inter Latores contrahatur scandala essent exoritura, ad hæc vitanda, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt Latores à præmissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicarunt humiliter, ut sibi de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica Nobis specialiter concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictos Latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, ab incestu & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in formâ Ecclesiæ consuetâ, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, quodque faciant eleemosynam arbitrio tuo in

pauperum ſubventionem diſtribuendam, & aliis injunctis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum ex inceſtuoſa cognitione præfata occultum ſit, & niſi matrimonium intra Latores contrahatur periculum immineat ſcandalorum, aliudque Canonicum non obſtet, cum eisdem Latoribus, poſtquam ſuper præfato impedimento tertii gradus aliàs legitimè diſpenſatum fuerit, matrimonium inter ſe publicè, ſervata formula Concilii Trid. & Literarum diſpenſationis contrahere, & in eo poſtmodum remanere licitè valeant miſericorditer diſpenſes; Prolem ſuſcipiendam exinde legitimam pronunciando in foro conſcientiæ. &c. ut in antecedentibus.

3. Præter Clauſulas ſupra notatas obſervandum primò: Quod executio Literarum diſpenſationis Datariæ præcedere debeat executionem Literarum diſpenſationis S. Pœnitentiariæ.

4. Obſervandum 2. Eleemoſynam omnino eſſe injungendam etiam pauperi, licet unius oboli tantum.

5. Obſervandum 3. Oratorum Confeſſiones ſeparatim debere audiri, & ſeparatim formam abſolutionis & diſpenſationis pronunciandam, ut admiratio & ſcandalum præcaveatur.

6. Forma vero diſpenſationis hæc eſt

Insuper authoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum, super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua Consanguinea, seu affine habuisti, proveniente, ut præfato impedimento non obstante, matrimonium cum illa ad formam Literarum dispensationis, quam à Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

§. 5.

Formula dispensationis de contracto super impedimento reticito in Dataria.

Leander &c.

Discreto Viro Confessori &c. Pro parte Viri, & mulieris Latorum præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipsi alias vigore Literarum dispensationis super impedimento tertii Consanguinitatis, seu affinitatis gradus, quo sunt conjuncti seu se attinent, à Sede Apostolica obtentæ, tacita tamen in dictis Literis carnali copula inter eos prius secuta, Matrimonium inter se publicè in facie Ecclesiæ contraxerunt, & successivè consummarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dispensatio ob carnalem copulam hujusmodi in Literis non expressam, quæ occulta est, fuerit invalida, & propterea Latores in dicto matrimonio rema-

nere nequeant absque nova Sedis Apostolicæ dispensatione. Ideo ad evitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter eos, verosimiliter exorirentur, ac pro suæ conscientiæ quiete, cupiunt à præmissis, de quibus plurimum dolent, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicarunt &c. Nos igitur &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita dictos Latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione, à quibus vis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, incestu & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta eis pro modo culpæ Pœnitentia salutari, quodque faciant eleemosynam arbitrio tuo in pauperum alimenta distribuendo, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum, ex incestuosa cognitione præfata proveniens occultum sit, & aliud Canonicum non obstet, cum eisdem Latoribus, quod, præmissis non obstantibus, matrimonium inter se, de novo secrete ad evitanda scandala contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum & non aliter &c.

2. Præter dicta in antecedentibus notandum est 1. Incestuosos incurrere ex-

com-

communicationem, ideo hic à cenſuris abſolvuntur. 2. A Latoribus renovandum eſſe conſenſum, & matrimonium de novo celebrandum coram Confeſſario, ſi fieri poteſt commodè. 3. Pœnitentes abſtinere debere à copula donec per renovationem conſenſus matrimonium de novo contraxerint.

3. Formula diſpenſationis faciendæ poſt datam abſolutionem hæc eſt:

Inſuper authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata diſpenſo tecum ſuper impedimento ex inceſtuoſa cognitione in Literis diſpenſationis, cujus vigore contraxiſti, non expreſſa proveniente, denuo matrimonium cum illa contrahere renovato conſenſu, & conſummare, ac in eo remanere licitè poſſis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Pariter eadem authoritate Apoſtolica prolem ſi quam ſuſceperis, & ſuſcepturus ſis legitimam eſſe, & fore decerno, & declaro, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

§. 6.

Formula Diſpenſationis pro Conſanguineis vel affinibus, qui ignorantes gradum prohibitum matrimonium contraxerunt publicationibus in Eccleſia factis.

1. Le-

I. Leander &c.

Discreto Viro Confessario &c. Pro parte Vri, & Mulieris Latorum præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipsi alias factis proclamationibus in Ecclesia fieri solitis, & nullo detecto seu denunciato impedimento, quo minus possent inter se matrimonium contrahere, illud publicè in facie Ecclesiæ contraxerunt, & successivè consummarunt, deinde secretè resciverunt, se tertio consanguinitatis seu affinitatis gradu esse conjunctos, seu se attinere, & forsan in carnali copula perseverarunt. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat dicti Latores ob impedimentum ex præfato tertio gradu hujusmodi proveniens, quod occultum remanet, in dicto matrimonio absque Sedis Apostolicæ dispensatione remanere nequeunt. Ideo ad evitanda scandala, quæ si divortium fieret inter eos, verosimiliter exorirentur, ac pro suæ conscientiæ quiete cupiunt Latores à præmissis, de quibus plurimum dolent, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicarunt &c. Nos igitur &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, dictos Latores, audita prius eorum Sacramentali Confessione à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, incestu & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta pro modo culpæ Pœnitentia salu-

salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præfato tertio gradu hujusmodi proveniens occultum sit, & separatio inter eos fieri non possit absque scandalo, aliudque Canonicum non obstet, cum eisdem Latoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se, de novo secretè ad evitanda scandala contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses: Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ &c. Ita quod &c. Nullis &c.

2. Notandum hic Confessariis, Parochis, & locorum Ordinariis in hoc casu impedimentum, quod occultum remansit, non facile esse publicandum per publicam separationem, sed silentio imposito denuntianti, & facta secretè separatione, si sint in mala fide, si vero in bona fide relinquant illos in hujusmodi bona fide, & interim scribant Majori Pœnitentiario, ut mittat facultatem dispensandi super impedimento illo occulto.

3. Porro Confessarius post datam absolutionem à Censuris & peccatis hac formâ dispensabit:

Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super

per impedimento tertii gradus affinitatis, ut illo non obstante cum tua putata Conjuge, prævia revocatione prioris consensus, matrimonium secretè inter te, & ipsam contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Et pariter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam esse, & fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

4. Notandum cum dispensatio danda est Mulieri, dicendum est. *Cum tuo putato Conjuge*, & si sola mulier conscia est impedimenti, ipsi adaptari debet forma. Simili formula datur dispensatio iis, qui matrimonium cum impedimento occulto cognationis spiritualis non detecto in denunciationibus contraxerunt.

§. 7

§. 7.

Formula pro iis, qui præcedente & fide datâ, matrimonium contrahere desiderant.

1. Leander &c.

Discreto Viro Confessori. Pro parte Viri & Mulieris Latorum præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipsi alias vivente adhuc alia Latoris Conjuge se carnaliter cognoverunt, sibique fidem invicem dederunt de matrimonio inter se contrahendo, si Latoris Uxor præmoreretur, qua modo præmortua, neutro tamen Latorum in ejus morte machinante, matrimonium inter se contrahere desiderant. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & nisi matrimonium inter Latores contrahatur, periculum immineat scandalorum, vel perseverantia in peccato; Ideo ad hæc vitanda, & pro suæ conscientiæ quiete cupiunt à præmissis de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicarunt &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictos Latores à quibusvis sententiis, censuris, & & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, fide data, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in for-

forma Ecclesiæ consueta, injuncta eis pro modo culpæ Pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & nisi matrimonium inter Latores contrahatur periculum immineat scandalorum, vel perseverantiæ in peccato, eisdem Latoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, servata forma Conc. Trid. contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant misericorditer dispenses, prolem susceptam (non tamen ex adulterio) & suscipiendam exinde legitimam nunciando in foro conscientiæ &c. Ita quod &c. Nullis &c.

2. Præter supra notatas Clausulas, observanda est hæc: *Periculum scandalorum, vel perseverantia in peccato.* Sufficit ergo ad dispensandum una ex istis causis,

3. Forma dispensationis hujus formulæ est ista:

Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante cum muliere corrupta matrimonium publicè, servata forma Conc. Trid. contrahere & consummare, debi-

tum

tumque conjugale exigere, & reddere licite poſsis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

Pariter eadem authoritate Apoſtolica prolem ſuſceptam, non tamen in adulterio conceptam, & ſuſcipiendam, legitimam fore nuncio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.

4. Si diſpenſatio facta ſit cum iis, qui cum occulto impedimento criminis contraxerunt dicitur in forma diſpenſationis: *Ut illo non obſtante matrimonium cum tua putata conjuge contrahere, conſummare &c.* Porrò aliæ formulæ circa impedimenta criminis non differunt, niſi in pœnitentiis injungendis.

§. 8.

Pro eo, qui Conſanguineam Uxoris, ſive in primo, ſive in ſecundo gradu cognovit.

1. Quamvis ſuper impedimento occulto affinitatis ſupervenientis, ad effectum petendi debitum conjugale, poſſint Ordinarii, aliique privilegium habentes diſpenſare; Si tamen recurratur

ad

ad S. Pœnitentiariam, tali hæc utitur formula:

2. Formula Literarum dispensationis affinitatis supervenientis matrimonio.

Leander &c.

Discreto Viro Confessario &c. Pro parte Viri Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse vesana libidine ductus, Sororem suæ propriæ uxoris carnaliter cognovit; Propter quod debitum conjugale petendi jus amisit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus Lator de tam enormis libidinis excessu, qui occultus est, plurimum doleat, & debitum conjugale exigere licite posse desideret; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem audita prius ejus Sacramentali Confessione postquam omnem recidivæ conversationis occasionem abstulerit, ab incestus excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi Pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, ipsumque Latorem in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse, & debere declares; & tamen, si de Latoris

vis incontinentia probabiliter timendum sit, dummodo impedimentum superveniens affinitatis hujusmodi occultum remaneat, cum eodem Latore, ut præmissis non obstantibus, idem debitum conjugale etiam exigere licite valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ. Ita quod &c. Nullis &c.

In Clausulis observanda sunt eadem, quæ in præcedentibus notata sunt.

3. Forma dispensationis danda post absolutionem hæc est:

Et insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua Uxore ex illicita copula à te habita cum ejus Sorore, debitum conjugale à tua Uxore etim exigere licitè possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Et pariter eadem authoritate Apostolica declaro te, non obstante præfata affinitate superveniente, in matrimonio cum tua Uxore remanere illique debitum conjugale reddere posse, & debere. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

PARS

PARS V.

De formulis absolutionum, dispensationum, rehabilitationum, & fructuum condonationum.

§. I.

Prænotanda in his materiis.

1.

A Censuris, & reservatis absolvit, vel mandat absolvi Pœnitentes S. Pœnitentiaria, non solum occultis, sed etiam publicis, ita tamen ut casus occultos committat Confessariis simplicibus, publicos verò Ordinariis.

2. Dispensat vero, rehabilitat, & condonat in occultis tantum, & super his Brevia committuntur ut plurimum Confessariis, quandoque etiam Ordinariis locorum.

3. Casus publici, in quibus ad S. Pœnitentiariam recurritur sunt duo: Injectio manuum violenta in Clericum, & duellum. Ab his, si Pœnitens absens sit datur facultas absolvendi Ordinario. Si accedat ad Urbem committitur facultas à Majori Pœnitentiario alicui ex Pœnitentiariis minoribus trium Basilicarum

A qua

A quo absolutus mittitur ad ipsum Ordinarium.

4. Percussor Clerici ad Urbem accedere non valens, si casus sit occultus, remittitur ad Confessarium simplicem. In casibus publicis etiam, si Reus accedere non possit nec ad Urbem, nec ad Ordinarium, & sit in loco ubi non habeatur pro publicè excommunicato Breve dirigitur absque præjudicio ad Confessarium simplicem.

§. 2.

De absolutione ab injectione publica manuum violentarum in Clericum pro non valente accedere ad Urbem.

1. *Formula Literarum, quæ à S. Pœnitentiaria expediuntur pro eo, qui publicè manus violentas in Clericos injecit.*

Venerabili in Christo Patri Episcopo N. sive ejus Vicario in Spiritualibus Generali.

Leander Miseratione Divina Tit. SS. Nerei & Achillei S. R. E. Presb. Card. Colloredus salutem & sinceram in Domino charitatem. Pro parte N. N. Diœcesis N. Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs

in publica platea præfatæ Civitatis manus violentas in Clericum N. N illum præsertim lethaliter in capite vulnerando, injecit. Propter quod Lator excommunicationem incurrit, & incurrisse à vobis forsan per publicos Cedulones declaratus fuit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator de præmissis plurimum doleat, ad Urbem vero pro absolutione desuper obtinenda personaliter accedere nequeat ob timorem Curiæ; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati authoritate Apostolica specialiter Nobis concessa circumspectioni vestræ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, postquam præfato Clerico, si nondum satisfecit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quominus arbitrio vestro satisfaciat competenter, ab Excommunicationis sententia quam propter præmissa quomodolibet incurrit, sive per Vos, sive per Confessorem à vobis ad id specialiter deputandum, absolvatis hac vice in forma Ecclesiæ consueta injuncta ei pro modo culpæ Pœnitentia salutari, quodque ad Urbem, quam primum poterit personaliter accedat, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Itatamen, ut si Lator sententiæ, sive Ordinationi vestræ super præmissis forsan latæ, seu ferendæ

parcere

parere, & ad Urbem, ut præfertur, venire contempserit, in dictam extommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Hic observandæ erunt sequentes clausulæ: Primò, examinanda veritas impedimenti non accedendi ad Urbem. Secundò advertenda est hæc clausula: *Postquam præfato Clerico, si nondum satisfecerit, quo minus arbitrio vestro satisfaciat competenter*, ut omnino adimpleatur ab Ordinario. Quod si impossibile sit, ut vel in totum, vel in partem satisfaciat Pœnitens, non debet propterea absolutio velnegari, vel diutius, quam par est, differri.

3. Si enim satisfacere non possit contentus erit Ordinarius præstito juramento satisfaciendi, cum poterit, sed sub pœna reincidentiæ in excommunicationem, si postea per ipsum steterit, ne parti læsæ satisfaciat. Interim etiam potest Ordinarius, si velit, non permittere, ut habeatur absolutus in loco delicti propter scandalum, quod inde oriri posset, nondum præstita parti satisfactione.

4. Quod si absolutio data sit per subdelegatam facultatem à Confessario in Sacramentali Confessione, poterit fidem

facere Confessarius de data absolutione, vigore cujus deinde Ordinarius poterit per Decretum publicè affixum Pœnitentem declarare absolutum in foro fori, ac si ab ipso Ordinario publicè absolutus fuisset.

5. Forma vero fidei dandæ posset esse ejusmodi:

Ego N. N. Confessarius deputatus ab Illustriss. & Reverendiss. Domino Episcopo N. vigore Literarum S. Pœnitentiariæ fidem facio, qualiter audivi Confessionem Sacramentalem N. N. illique absolutionem Sacramentalem impertitus sum in forma Ecclesiæ consueta non solum à peccatis, verum etiam ab excommunicatione, quam ipse N. incurrit ob talem causam. In quorum fidem hoc scriptum dedi, in loco N. die-- mensis -- Anni &c. Ego N. N. Confessarius deputatus.

Hujusmodi delegatio dari potest Confessario alienæ Diœcesis ab Ordinario illius loci approbato.

6. Pœnitentiæ injungendæ esse possunt Jejunia, preces, Eleemosynæ secundum qualitatem personæ, & gravitatem delicti.

7. Clau-

7. Clausula: *Ita tamen, ut si Lator sententiæ, sive ordinationi vestræ super præmissis forsan latæ, seu ferendæ parere contempserit in dictam excommunicationem relabatur eo ipso*, non est intelligenda ex mente S. Pœnitentiariæ, quod obligentur Pœnitentes ad parendum Ordinario in illis, quæ vel impossibilia sunt v. g. ut valde pauper præstet solutionem gravissimæ summæ, vel admodum difficilia, ut; in contumacia existens eat ad Triremes Sicenim obligarétur Pœnitentes ultra vires naturæ. Sésus ergo clausulæ est, quod Pœnitens teneatur sub pœna relabendi in excomunicationem parere sententiæ Ordinarii in iis, quæ rationabiliter præstare potest.

6. Clericidæ ultra jam notata injungenda est Pœnitentia recitandi Officium defunctorum per quinquennium in tribus diebus cujuslibet hebdomadæ, qui, si nesciat legere, potest obligatio in alias preces commutari.

7. Presbytericidæ præter satisfactionem præstandam hæredibus occisi, imponenda est alia satisfactio præstanda Ecclesiæ, in qua occisus fuit intitulatus, hæcque sit pecuniaria, si pœnitens sit dives, eroganda in utilitatem illius Ecclesiæ;

cleſiæ; Si vero pauper fuerit, obligetur arbitrio Ordinarii ad præſtandum eidem Eccleſiæ ſervitium aliquod humile v g. pulſando Campanas, verrendo Eccleſiam. Idem dicendum, ſi occiderit Prælatum, vel Clericum beneficiatum alicujus Eccleſiæ.

8. Jure presbytericidæ, & mutilantes Presbyteros privantur feudis & Jurispatronatibus, ſi quæ obtineant ab Eccleſia, cui Sacerdos vel Clericus beneficiatus ſervivit, *c. Ad aures, &c. In quibusdam de pœnis.*

9. Presbytericidæ etiam & eorum Liberi (non vero Nepotes ex *l. liberorum ff. de verb. ſignif.*) fiunt inhabiles ad beneficia in futurum obtinenda *c. In quibusdam de pœnis.* Non tamen privantur Liberi Beneficiis jam obtentis.

10. Presbytericidis publicis, imponitur pœnitentia quædam publica, nimirum, ſi non ſint Clerici in Sacris conſtituti, ut per quinque Eccleſias illius loci, ubi facinus perpetrarunt, nudi diſcalceati, femoralibus duntaxat retentis, virgam in manibus, & corrigiam ſeu funem circa collum deferendo incedant, & ante januas Eccleſiarum prædictarum à Presbyteris earundem Pſalmum *Miſerere* canentibus ſe verbe-

ra-

rari faciant. Hujus tamen pœnitentiæ commutatio ex rationabili causa peti potest à S. Pœnitentiaria.

11. Presbytericidæ tenentur, quamprimum possunt ad Urbem accedere sub pœna reincidentiæ in excommunicationem. Ubi à Regente S. Pœnitentiariæ benigne recipiuntur, & mittuntur ad aliquem Pœnitentiarium trium Basilicarum, à quo peracta Confessione datur illis attestatio in scriptis, quod paruerint mandatis S. Pœnitentiariæ, ut de hoc Ordinariis constet.

12. Si Presbytericidæ ex rationabili causa obtineant à S. Pœnitentiaria commutationem obligationis accedendi ad urbem, & pœnitentiæ publicæ de qua supra n. 10. poterit Ordinarius, cui facultas committitur, commutare obligationem accessus ad Urbem, si Pœnitens sit dives, in Eleemosynas pro rata expensarum, quas feciſſet, si ad Urbem accessiſſet; Si vero sit pauper, in faciliorem peregrinationem, jejunia, preces. Similiter pœnitentiam publicam commutare potest in jejunia, preces, eleemosynas, & peregrinationes, habita ratione conditionis, ætatis, & facultatis Pœnitentis.

§. 3.

§. 3.

Formula Literarum S. Pœnitentiariæ pro eo, qui ad Urbem pro absolutione ab excommunicatione incursa ob manus violentas injectas in Clericum accessit, & absolutus ad Ordinarium mittitur.

1. *Venerabili in Christo Patri Episcopo. N.*

Leander &c. *Salutem, & sinceram in Domino charitatem. Pro parte N. N. Diœcesis N. Latoris præsentium, Nobis oblata, petitio continebat, quod ipse alias graviter vulneravit Sacerdotem N N. propter quod Lator à Vobis excommunicatus declaratus fuit per publicos Cedulones. Cum autem dictus Lator de præmissis plurimum doleat, & ad Urbem pro absolutione desuper obtinenda personaliter accesserit; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam ad Vos absolutus mitti. Quare supplicavit &c. Nos &c. authoritate Apostolica specialiter Nobis concessa dictum Latorem ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrit absolutum hac vice in forma Ecclesiæ consueta mittimus. Ita tamen, ut sententiæ, sive ordinationi vestræ super præmissis latæ, seu ferendæ in iis, in quibus adhuc parendum superest parere, ac prædicto*

dicto Sacerdoti, si nondum satisfecerit, satisfacere, quantum per se steterit, omnino debeat. Quod si satisfacere, ac respectivè parere contempserit in dictam excommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Observandæ hic sunt nonnullæ clausulæ; Prima: *Præfatum Latorem ad vos in forma Ecclesiæ consueta ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit absolutum mittimus.* Non ergo absolvi debet iterum ab Ordinario, tanquam minori.

3. Deinde circa hanc: *Ita tamen, ut sententiæ, sive ordinationi vestræ super præmissis* &c. observanda sunt ea, quæ superius §. præcedente notata sunt. Præterea cum Pœnitens publicè peccaverit, publica quoque pœnitentia injungi illi potest vel in Ecclesia, vel in Cancellaria Episcopali publice petendo veniam seu ab ipso Ordinario, seu à Clerico percusso; Quamvis hæc publica pœnitentia remitti ei possit, cum publicè pœnituerit per publicum accessum ad Urbem.

4. Notandum, si Pœnitens sit Clericida pro illis verbis: *Ac præfato Clerico, si nondum satisfecit*, dicitur: *Hære-*

Hæredibus præfati Clerici. Similiter si sit Presbytericida dicitur: *Hæredibus præfati Sacerdotis.* Et additur: *Ac Ecclesiæ, in qua dictus Sacerdos forsan intitulatus erat, vel pro illa Ordinarii loci, si nondum satisfecit, quantum per se steterit satisfaciat competenter.*

5. Ordinarii possunt & tenentur removere Cedulones affixos postquam Pœnitentes supradictis modis absoluti sunt. Quod si præstare aliquid teneantur pro juribus Cancellariæ, cogi ad hoc poterunt per incarcerationem, non vero per novam declarationem in excommunitacionem, quæ non est imposita à jure pro Juribus Cancellariæ.

§. 4.

Formula, qua datur facultas Confessariis absovendi Percussorem, aut occisorem Clerici.

1. In casibus occultis hac formula datur à S. Pœnitentiaria Confessariis potestas absolvendi percussores, mutilatores, aut occisores Clericorum, Sacerdotum, aut Religiosorum.

Leander &c. *Discreto Viro Confessori &c. Pro parte Viri Lataris præsentium Nobis oblat[a] peti[t]*

petitio continebat, quod ipse alias manus violentas in quendam Clericum injecit, propter quod Lator excommunicationem incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat dictus Lator de præmissis, quæ occulta sunt, seu ad forum Ordinarii minimè deducta fuerunt, plurimum doleat; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, postquam prædicto Clerico, si nondum satisfecerit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quo minus arbitrio tuo satisfaciat competenter, caute tamen, ne se prodat, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrit, absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, in foro conscientiæ, & in ipso actu Confessionis Sacramentalis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quod, si præmissa ad forum Ordinarii devenire contigerit, & Lator sententiæ, seu ordinationi præfati Ordinarii parere contempserit, in dictam excommunicationem relabatur eo ipso. Datum &c.

2. Hic nonnulla sunt advertenda. Primo: Eadem in foro secreto observanda esse, quæ servanda præscribuntur,

tur §. 2. Ordinariis in foro fori, habita solum differentia publici & occulti.

3. Deinde examinare debet Confessarius, an delictum sit occultum, si enim sit publicum, gratia est nulla.

4. Ob clausulam: *Cautè tamen ne se prodat*, magna cautela & prudentia uti debet Confessarius, ne resarciendo damnum parti læsæ delictum Pœnitentis detegatur. Quod si tunc Pœnitens non possit satisfacere, exigendum est ab eo juramentum de satisfaciendo, cum primum potuerit, eumque absolvet protestando, quod si satisfacere contemnat, reincidat in excommunicationem.

5. Confessarius attestari poterit in scriptis se pœnitentem absolvisse cum obligatione parendi sententiæ Ordinarii sub pœna relapsus in excommunicationem casu, quo delictum aliquando fiat publicum.

6. Presbytericida absolvetur cum onere faciendi publicam pœnitentiam, de qua supra, si delictum detegatur, quod promittet sub juramento.

§. 5.

§. 5.

Formula Literarum directarum ad Confessarium ad absolvendum Clerici Percussorem, qui neq; ad Ordinarium suum, neque ad Urbem personaliter accedere potest.

1. Leander &c. *Discreto Viro Confessario &c. Pro parte Viri Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Clericum graviter vulneravit, propter quod excommunicationem incurrit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator de præmissis plurimum doleat, & tutum accessum pro absolutione desuper obtinenda, nec ad Urbem, nec ad Ordinarium habeat; Ideo ne in hujusmodi excommunicatione sordescere cogatur, cupit pro suæ conscientiæ quiete per Sedem Apostolicam absolvi. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, postquam prædicto Clerico, si nondum satisfecerit, vel per eum non steterit, quominus arbitrio tuo satisfaciat ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa quomodolibet incurrit, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, in foro con-*

conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis tantum, & non aliter; Ita quod Latus in loco, ubi habetur pro publicè excommunicato, non habeat ſe pro abſoluto, nullis ſuper hoc Teſtibus adhibitis, aut Literis datis, aut proceſſibus confectis, ſed præſentibus laceratis, quam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ lacerare teneatis. Datum &c.

2. Hic præcipuè obſervandæ ſunt clauſulæ. 1. Quod à Confeſſario veritas cauſæ non accedendi ſit examinanda. 2. Satisfactio, pœnitentia, & obedientia ſententiæ Ordinarii injungenda. 3. Injungendus acceſſus ad Urbem, ut primum poterit, ſub pœna relapſus. 4. Monendus Pœnitens, ne in loco, ubi delictum notum eſt, gerat ſe pro publicè abſoluto. 5. Abſolutio tantum in foro conſcientiæ ſuffragetur. 6. Literæ Confeſſario ſub excommunicatione ſtatim ſint lacerandæ.

3. Forma abſolutionis in hoc & ſimilibus caſibus eſt hujusmodi:

Dominus noſter JESUS Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata abſolvo te in primis ab excommunicationis ſententia, quam incurriſti ob manus violentas injectas in

Cle-

Clericum, & ab omni alio vinculo excommunicationis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

§. 6.

De formulis absolutionum à Censuris, & simul dispensationum super irregularitate.

1. Notandum, quod quamvis S. Pœnitentiaria absolvat à Censuris in casibus publicis, non dispensat tamen super irregularitate cum secularibus, nisi in casibus occultis; Ideo cum his dispensatur semper cum clausula: *Dummodo præmissa sint occulta.*

2. Irregularitas ex homicidio voluntario est reservata S. Pœnitentiariæ. Super qua peti potest dispensatio vel à Laico, ut promoveri possit ad ordines, vel à Clerico ut ad ulteriores ordines promoveri possit aut eos quos habet exercere, vel à Sacerdote, ut in suis Ordinibus ministrare possit. Requiritur vero valde gravis causa, ut cum his dispensetur, præsertim cum primo & secundo, & si dispensetur ad dictos effectus, non ideo tamen dispensatio facta est ad Beneficia obtinenda, sed

alia

alia ad hunc effectum requiritur, quæ etiam difficulter admodum conceditur.

3. Formula dispensationis pro eo, qui homicidium voluntarium commisit, hæc est:

Leander &c.

Discreto Viro Confessario. Pro parte Viri secularis studiosi Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias timens sibi mortem à quodam Viro illum præveniendo interfecit. Cum autem dictus Lator reperiatur de præsenti in quodam Seminario, ubi adest obligatio Ordines etiam sacros. & Presbyteratus suscipiendi, quos ipse lator suscipere posse desiderat, ne se detegat reum alicujus commissi delicti; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumq; desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, à quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit

homicidio & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ gravi, & diuturna pœnitentia salutari, nec non Hæredebus occisi in eo, in quo tenetur satisfaciat, cautè tamen, ne se prodat, nec non ad quæcunque Beneficia in futurum obtinenda perpetuo remaneat inhabilis, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo præmissa occulta sint, & Lator absque scandalo, & periculo se detegendi reum delicti commissi, à promotione ad Ordines abstinere nequeat cum eodem Latore suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus & meritis, alioque ei Canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quoque illa & aliis præmissis non obstantibus, Clericali characterè insigniri, & ad omnes etiam sacros, & ad Presbyteratus Ordines, si ad id alias idoneus reperiatur, promoveri, & postquam promotus fuerit, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ &c. Alio modo &c. Ita, quod &c. suffragentur &c. Datum &c.

4. Advertendæ hic sunt præcipuè Clausulæ sequentes: *Injuncta ei gravi, & diuturna salutari pœnitentia.* Imponi ergo posset jejunium bis in hebdomada, recitatio Psalmorum pœnitentialium genibus flexis semel in septima-

na, aliaque similia, & hæc saltem per annum.

5. Ob Clausulam: *Nec non Hæredibus occisi in eo, in quo de Jure tenetur satisfaciat, cautè tamen, ne se prodat,* præstanda est satisfactio juxta modum jacturæ, quam hæredes passi sunt ex morte occisi; Cautè tamen, ideoque fieri posset per ipsum Confessarium, vel aliam personam, cui fidendum sit. Si vero pœnitens ob pauperiem satisfactionem præstare nequeat, promittat se satisfacturum, quando ad melioremfortunam perveniet, quia ad impossibile nemo tenetur.

6. Quod si Pœnitens jam satisfecerit Hæredibus, & peccatum confessus gravem & diuturnam pœnitentiam accepisset, mitius ab Executore Literarum tractandus esset.

7. Ex Clausula: *Quod remaneat inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda* colligitur, quod si ante Homicidium habuerit Beneficium, eo ipso facto non privetur, licet per sententiam privari possit.

8. Examinandum est deinde diligenter per Confessarium, an oriretur scandalum, vel periculum detegendi reum, si non

non dispensaretur. Atque etiam examinandus est Spiritus contritus Pœnitentis, & merita illius; Si enim malæ inclinationis & indolis esset, suadendum illi foret, ut amplectatur alium statum, in quo securius salutem suam operetur.

9. Per Clausulam: *Alioque ei Canonico non obstante*, id est, *impedimento* instruitur Confessarius, quod si Pœnitens alio irretitur impedimento Canonico non dispensatur, sed super eo alia à S. Pœnitentiaria obtineri debet dispensatio.

10. Per hanc: *Quatenus ad id alias idoneus reperiatur* non intelligitur, quod Confessarius debeat examinare Pœnitentem super doctrina & capacitate, sed hoc relinquendum est Ordinario, à cujus examine per dispensationem super Irregularitate non eximitur.

11. Forma absolutionis & dispensationis in hoc casu est illa:

Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius, & authoritate Apostolica mihi specialiter delegata absolvo te in primis à quibusvis sententiis, censuris & pœnis Ec-

clesiasticis, quibus propter ea, quæ confessus & quomodolibet innodatus existis, & pariter eadem authoritate absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Et pariter eadem authoritate Apostolica tecum dispenso super Irregularitate, quam ex homicidio contraxisti ut illa non obstante Clericali charactere insigniri, ac Ordines etiam sacros, & Presbyteratus suscipere, & postquam susceperis, in illis etiam in Altaris ministerio ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Passio Domini nostri JESU Christi &c.

Quæ formula servatur etiam, quando dispensatur cum Clericis, sive in minoribus Ordinibus, sive in sacris existentibus, & etiam cum Sacerdotibus, & tunc dicitur in forma dispensationis: *Ut illa non obstante in sacris Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.*

§. 7.

§. 7.

De Literis dispensationis ab Irregularitate proveniente ex defectu occulto Natalium.

1. Dispensat etiam S. Pœnitentiaria in hoc casu, dummodo occultus sit, & subsit rationabilis aliqua causa, neque tam gravis & urgens requiritur, quam cum dispensatur super Irregularitate orta ex Homicidio.

2. Advertendæ vero sunt à Confessario hæ Clausulæ: Quod examinare debeat, an defectus sit occultus; An causa pro obtinenda gratia sit vera; Dispensatio facienda sit post Confessionem Sacramentalem; Præter ea, quæ § præcedenti notata sunt.

3. Forma dispensationis à defectu natium est ista:

Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso super defectu Natalium, & Irregularitate inde proveniente, ut præfato defectu, & Irregularitate non obstante Clericali charactere insigniri, & ad omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines promoveri, & promotus in eis ministrare licite possis & valeas. In nomine Patris, *& Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

§. 8.

De Literis rehabilitationum.

1. Dispensatio ab inhabilitate, seu rehabilitatio aliquando datur cum absolutione, aliquando non; Sacra Pœnitentiaria enim non semper dispensat, cum absolvit, nec semper rehabilitat cum dispensat; Aliquando tamen absolvit, dispensat & rehabilitat, sed id rarius, & non nisi ex gravissima causa.

2. Quamvis in Literis dispensationis non committatur absolutio, dispensatio nihilominus danda est in Sacramentali Confessione. Inhabilitas vero Clericorum privat capacitate obtinendi in futurum Beneficia Ecclesiastica, & inhabilitas Regularium voce activa & passiva quo ad officia, & dignitates.

3. Nunc formulas duas subjiciemus, primam absolutionis, & rehabilitationis simul, deinde §. seq. rehabilitationis tantum.

Formula Literarum absolutionis, dispensationis & rehabilitationis pro Sacerdote Simoniaco.

Leander &c. *Discreto Viro Confessori &c. Pro parte Sacerdotis Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias quoddam*

dam Beneficium Ecclesiasticum Simoniacè obtinuit, & deinde in suis Ordinibus se exercuit, fructusque ex præfato Beneficio recepit. Cum autem dictus Lator de præmissis, quæ occulta sunt, plurimum doleat, præfatumque Beneficium dimiserit, suosque ordines deinceps exercere, ac Beneficia Ecclesiastica recipere licitè posse desideret; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione dummodo cum effectu præfatum Beneficium Simoniace obtentum dimiserit, & non aliter, à quibusvis sententiis, Censuris & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, Simoniæ labe, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, quodque culpabiles in præfata Simoniæ labe, quantum potest, moneat ad impetrandam à Sede Apostolica absolutionem, nec non fructus à se ex præfato Beneficio perceptos, prout de Jure restituat, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda; Demum dummodo præmissa occulta sint, cum eodem Latore suffragentibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei Canonico non obstante, super Irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contractæ, quodque illa, & aliis præ-

missis

missis non obstantibus, in suis ordinibus ministrare, ac Beneficia Ecclesiastica non tamen illud, super quo fuit commissa Simonia, quatenus ei alias Canonicè conferantur, recipere, & retinere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ &c. alio modo &c. suffragentur &c. Datum &c.

4. Hic examinanda sunt à Confessario 1. An narrata sint occulta, quæ est conditio sine qua non. 2. Veritas causæ finalis. 3. An pœnitens Beneficium Simoniace obtenrum actu dimiserit. 4. Pœnitentia aspera injungenda, & Complices inducendi ad impetrandam à Sede Apostolica absolutione. 5. Injungenda fructuum malè perceptorum restitutio pauperibus vel Ecclesiæ.

5. His præmissis formula absolutionis à Simonia est hujusmodi.

Dominus noster JESUS Christus &c.

Et ego authoritate ipsius, & authoritate Apostolica mihi specialiter delegata te in primis à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter Simoniam incurristi, & eadem authoritate absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Et

Et insuper eadem authoritate Apostolica tecum dispenso super Irregularitate, quam ex Simonia, & ex violatione postea contraxisti, ut illa non obstante, in tuis Ordinibus, etiam Altaris ministerio ministrare, ac Beneficia, si quæ tibi alias Canonicè conferantur, non tamen Beneficium, quod simoniacè obtinuisti, & dimisisti, recipere, & retinere licitè possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

§. 9.

Formula rehabilitationis ad Beneficia obtinenda.

1. Leander &c. *Discreto Viro Confessario.* *Pro parte Sacerdotis Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias à Sacra Pœnitentiaria absolutionem & dispensationem super Irregularitate per eum contracta obtinuit, cum hoc tamen inter cætera ... ut ad quæcunque Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda perpetuo remaneret inhabilis ... Cum autem dictus Lator hujusmodi inhabilitatem per aliquod tempus sustinuerit, & pressus sive propria sive suorum paupertate, Beneficia recipere licitè*

posse

possedesideret; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cu-pit Sedem Apostolicam secum desuper dispensari, Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committi-mus, quatenus, si est ita, cum dicto Latore, au-dita prius ejus Sacramentali Confessione, dum-modo suffragentur sibi digni Pœnitentiæ fructus & merita, salvis alioquin remanentibus, omni-bus aliis sibi in prædictis absolutione, & dispo-sitione impositis, quod, præmissis non obstantibus, quæcunque Beneficia Ecclesiastica, sive cum cu-ra, sive sine cura, quatenus illa ei aliàs Cano-nicè conferantur, recipere, retinere, fructusque recipere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ &c. Alio modo &c. Suffragen-tur &c. Datum &c.

2. Hic examinare debet Confessarius, an causa finalis verificetur, & an Pœni-tens redditus sit dignus illa gratia. Jux-ta merita quoque Pœnitentis Pœniten-tiaria aliquando rehabilitat ad Beneficia simplicia, aliquando cum cura.

3. Post absolutionem à censuris, & à peccatis fit rehabilitatio, seu dispensa-tio juxta hanc formam:

Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso, ut non obstante inhabilitate ad Beneficia Ecclesiastica, qua detineris, quæcun-que Beneficia Ecclesiastica, tam cu-

Cura

Cura, quam sine cura, quatenus tibi alias Canonicè conferantur recipere, & retinere, fructusque eorum percipere licite possis, & valeas. In nomine Patris, *& Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

§. 10.

Defructuum male perceptorum ex Beneficiis Ecclesiasticis condonatione.

1. Fructus malè percipiuntur, vel ob non recitationem horarum Canonicarum, vel ob nullitatem tituli Beneficii. Fructus male perceptos condonat S. Pœnitentiaria Sacerdotibus pauperibus mediante aliqua eleemosyna, divitibus per compositionem; In utroque vero casu requiritur, ut obligatio restituendi sit occulta, nam in publicis est recurrendum ad Datariam.

2. Formula condonationis fructuum male perceptorum ob non recitationem Horarum Canonicarum.

Leander &c. *Discreto Viro Confessario. Pro parte Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Beneficium Ecclesiasticum possidens, Horas Canonicas recitare omisit, & tamen fructus ex præfato Beneficio semper*

per percepit. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat dictus Lator de præmissa omissione recitationis officii, quæ occulta est, plurimum doleat, fructusque male perceptos ob suam paupertatem restituere nequeat; Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam absolvi, & sibi fructus hujusmodi condonari. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione ab omissione recitationis hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de Jure fuerint injungenda. Demum, dummodo occultum sit Latorem teneri ad hujusmodi fructuum restitutionem, & ei suffragentur digni pœnitentiæ fructus, & merita, & adeo pauper sit, ut nec prout de Jure fructus restituere, nec cum S. Pœnitentiaria componere possit, eidem Latori fructus omnes malè perceptos, mediante aliqua eleemosyna, à te arbitrio tuo taxanda & distribuenda in pauperum subventionem, & utilitatem Ecclesiæ, in qua situm est Beneficium gratiosè remittas, & condones in foro conscientiæ &c. Alio modo &c. Suffragentur.

3. Præter clausulas in supradictis aliquoties notatas, examinandum est an motivum gratiæ sit verum. Deinde illa clausula: *Et suffragentur ei digni fructus*

ctus pœnitentiæ, & merita, id est, an per bonos mores vitam emendaverit, & Horas Canonicas notabili tempore juxta obligationem recitaverit. Demum in eleemosyna taxanda discretionem adhibeat Confessarius, quæ si non potest esse pecuniaria, sit saltem cibi, aut potus, aut hospitalitatis, aut alicujus subventionis pauperibus, vel Ecclesiæ impendendæ.

4. Forma condonationis fructuum male perceptorum post absolutionem à censuris, & peccatis hæc pronunciatur:

Et insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata fructus, quos ex tuo Beneficio male percepisti, ob non recitatas Horas, mediante eleemosyna tibi imposita, gratiose tibi remitto, & condono. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

PARS VI.

De formulis Absolutionum, & Dispensationum in utroque foro pro Regularibus, & ingredi volentibus Religionem.

SAcra Pœnitentiaria habet facultatem absolvendi Regulares, & volentes ingredi

gredi Religionem, cum iisque dispensandi in utroque foro, ideoque aliquæ formulæ Absolutionum magis necessariæ & sæpius occurrentes hic subjiciuntur, prænotando, quod hujusmodi literæ non solent concedi, nisi Superiorum supplicatio, aut consensus accedat.

§. I.

De Literis dispensationis pro volente ingredi Religionem.

I. Formula pro eo, qui homicidio commisso Religionem ingredi desiderat.

Leander &c. *Discreto Viro &c.* Ex parte *Viri secularis Latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias homicidium commisit, nunc vero ad peragendam suorum peccatorum pœnitentiam Religionem ingredi, ibique professionem à Clericis emitti solitam, emittere Regularem, & post illam emissam, ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri licite posse desiderat. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus Lator hujusmodi suum desiderium adimplere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione, obstantibus sibi tum ejusdem Sedis Apostolicæ; tum Religionis, seu Ordinis, quem ingredi intendit, Constitutio-*

nibus

bus; Ideo pro suæ conscientiæ quiete, cupit per Sedem Apostolicam in utroque foro absolvi, secumque desuper dispensari. Quare &c. Nos &c. Discretioni tuæ committimus, quatenus si est ita, Latorem, dummodo cum Fisco, & Parte concordaverit, à quibusvis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum infrascriptum duntaxat in utroque foro absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari. Demum cum eodem Latore, suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioque ei Canonico non obstante, super Irregularitate, per eum ex præfato Homicidio quomodolibet contracta, quodque illa, & aliis præmissis non obstantibus, Religionem, non talem militarem, vel hospitalarem, sed ubi vigeat regularis observantia, dummodo benevolos invenerit Receptores, ingredi, ibique peracto probationis anno, professionem à Clericis emitti solitam, emittere regularem, & post illam emissam, & non aliter, Clericali charactere insigniri, & ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad id alias idoneus reperiatur promoveri, & postquam promotus fuerit, in illis etiam in Altaris ministerio, non tamen in loco commissi delicti, & in spatio viginti milliariorum à prædicto loco, ministrare licite valeat, in utroque foro dispenses, non obstantibus præmissis, & Constitutionibus,

&

& Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Religionis, ſeu Ordinis, quem Lator ingredietur, ſtatutis ac privilegiis quibuscumque. Datum &c.

2. Notandum hic eſt. 1. Dandum non eſſe ab Executore abſolutionem, & diſpenſationem, niſi facta prius Fiſco & Parti ſatisfactione. 2. Nec abſolvi, nec diſpenſari niſi ad effectum ingrediendi Religionem. 3. Diſpenſationem ad ſuſcipiendos Ordines non ſuffragari, niſi poſt emiſſam profeſſionem. 4. Poſſe Superiorem Religionis recipere Oratorem ad habitum & profeſſionem, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Ordinis.

3. Executio gratiæ hujusmodi Literarum, fit modo ſequenti Superior ſedens cum cotta, & ſtola, præſentibus Secretario, & duobus, vel tribus Religioſis ſui Ordinis, habens in manibus Literas Sacræ Pœnitentiariæ dicat:

Nos Abbas ſeu Provincialis &c. authoritate Apoſtolica Nobis ſpecialiter delegata per præſentes Literas abſolvimus te N. à quibus vis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quibus quomodolibet innodatus exiſtis ad effectum, ut licite conſequi valeas gratiam diſpenſationis, moxtibi impertiendæ. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Et tibi injungimus pro pœnitentia ſalutari, ut per tres menſes (exem-

pla

pli gratia) jejunes semel in Hebdomada, & tribus vicibus singulis Hebdomadis Officium Defunctorum recites.

Et pariter eadem authoritate Apostolica tecum dispensamus super Irregularitate, quam ex homicidio contraxisti, ut ea non obstante nostram Religionem ingredi, in eaque, prævio Noviciatus anno, professionem regularem emittere, & post emissam, & non aliter Clericali charactere insigniri, & Ordines etiam Sacros, & Presbyteratus suscipere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Item ad effectum, ut tu hujusmodi absolutionis, & dispensationis gratiam consequi possis, eadem authoritate Apostolica derogamus, tam nostri Ordinis, quam Sedis Apostolicæ Constitutionibus, monendo te, quod si in nostro Ordine professionem non emiseris, nihil tibi præsens gtatia suffragetur.

Deinde rogetur Secretarius, ut datam esse hujusmodi absolutionem, & dispensationem notet in tergo Brevis, illudque reponatur in Archivio Monasterii, vel Provinciæ.

§. 2.

Formula Literarum pro Religioso Censuris Ecclesiasticis innodato, & Irregularitate ex violatione Censurarum irretito pro utroq; foro in factis publicis.

1. Leander &c.

Religioso Viro Provinciali, seu Abbati salutem in Domino.

Pro parte N. Religiosi professi Sacerdotis Religionis N. &c. Nobis oblata petitio continebat, quod ipse aliàs ausus fuit ex Bibliotheca sui Conventus aliquot libros extrahere: Propter quod Lator inquisitus, & processatus à suis Superioribus, fuit inter alia declaratus excommunicatus, & propter violationem Censuræ Excommunicationis Irregularis, & inhabilis ad officia, & dignitates Religionis. Cum autem dictus lator de præmissis plurimum doluerit, & doleat, pœnas, & pœnitentias sibi à Superioribus impositas peregerit, libriquæ extracti fuerint in prædicta Bibliotheca repositi, & Lator suæ Religioni oneroſus, & inutilis existat, suos Ordines exercere, ac officia, & dignitates Religionis assequi licite posse desideret: Ideo pro suæ conscientiæ quiete cupit, per Sedem Apostolicam in utroque foro absolvi, secumq; desuper dispensari. Quare etiam pro parte Procuratoris Generalis Ordinis Nobis humiliter supplicare fecit, ut sibi &c. Nos Discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum Latorem ab excommunicatione aliisque sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, in utroq; foro absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta ei

Pro modo culpæ Pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum cum eodem Latere, suffragantibus sibi dignis Pœnitentiæ fructibus, & meritis, alioq; ei Canonico non obstante super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contracta, quodq; ipsa, & aliis præmissis nõ obstantibus in suis Ordinibus etiam in Altaris ministerio ministrare, ac officia, & dignitates suæ Religionis, si ad illas Canonicè, & juxta regularia instituta eligatur, vel assumatur assequi, eaq; gerere, exercere, vocemque activam & passivam habere licitè valeat in utroque foro dispenses, & in integrum statum restituas, & reintegres, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Apostolicis, nec non dictæ Religionis Statutis, & Privilegiis, cæterisq; contrariis quibuscumq;. Datum &c.

2. Hæc formula datur in exemplum aliarum gratiarum. Notandum vero hic est primò, quod concedatur hic absolutio, dispensatio, & rehabilitatio, idque intuitu etiam supplicationis Procuratoris Generalis, cum non concedatur gratia in utroque foro Religiosis, nisi supplicantibus pro illis Superioribus.

3. Notandum secundo, quod cum pœnitentia injungenda relinquatur arbitrio Superioris, relinquitur quoque ejusdem judicio, quæ gravis, diuturna, vel gravissima sit pœnitentia.

4. Notandum tertiò aliquando dispensari cum Religiosis absque absolutione, ut si conferre se velint ab una Religione ad aliam, vel cum dispensatio fit super defectu Natalium ad officia, & dignitates Religionis, vel super defectu oculi Canonici, aliovè. Si dispensetur super defectu oculi Canonici, vel alia corporis deformitate, diriguntur Literæ ad Episcopos, vel Ordinarios locorum, ut ii considerent, an defectus præstet impedimentum in Divinis, & scandalum generet in populo.

5. Porro executio gratiæ fit forma & modo supra §. 1. notato, nimirum sedens Superior cum Cotta, & stola præsentibus Secretario, & duobus, vel pluribus Religiosis sui Ordinis, habens in manibus Literas S. Pœnitentiariæ dicit:

Nos Abbas seu Provincialis &c. Authoritate Apostolica nobis specialiter delegata per præsentes literas absolvimus te N. à quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum, ut licitè consequi valeas gratiam dispensationis, mox tibi impertiendæ. In Nomine Patris, & Filii,

& Spiritus ſancti. Amen. Et tibi injungimus pro pœnitentia ſalutari, ut (exempli gratia) per Hebdomadam ter recites ſeptem pſalmos pœnitentiales.

Et pariter eadem Authoritate Apoſtolica tecum diſpenſamus ſuper irregularitate, quam ex violatione cenſurarum contraxiſti, ut ea non obſtante in tuis Ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac officia, & dignitates Noſtri Ordinis aſſequi, eaq́ gerere, exercere, vocemque activam, & paſſivam habere licite poſſis & valeas. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Et inſuper eadem Authoritate Apoſtolica te in priſtinum ſtatum reſtituimus, & reintegramus. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Hæc forma ſervire poterit in aliis quoque caſibus adaptando eam caſibus in Literis S. Pœnitentiariæ expreſſis.

CAPUT VII.

De Signatura Gratiæ.

1. A Papa petuntur, quæ sunt gratiæ & justitiæ.
2. Ideo instituta est signatura gratiæ & signatura justitiæ.
3. Pro signatura gratiæ instituta est Congregatio. Quis illius caput sit, & quæ membra.
4. Aliqui Officiales simul ac officium suum adeunt, spectant ad signaturam, Quod eorum officium?
5. Qui præterea accedant ad Signaturam gratiæ.
6. Quando, & ubi habeatur Congregatio.
7. Consessus in Congregatione.
8. Quo habitu in ea compareant Cardinales.
9. Et reliqui Prælati.
10. Referendarii proponunt causis.
11. Quas decernit Pontifex.
12. Auditis interdum Prælatis votantibus.
13. Aliquando Cardinales, & Prælati aliqui interponunt.
14. Quot & quales causæ in singulis Conventibus proponantur.
15. Quæ referantur ad hanc Signaturam.
16. Semel rejecta hic iterato non proponuntur.
17. Præest Signaturæ gratiæ post Pontificem Cardinalis aliquis.

1. Præte

1.

PRæter ea, quæ ad forum internum, & conſcientiæ ſpectant, pro quibus ex Sacra Pœnitentiaria remedium quæritur, poſtulantur ſæpiſſimè à Summis Pontificibus alia Reſcripta, tam de his, quæ à mera illorum liberalitate promanant, ut ſunt Beneficiorum, aliarumque gratiarum conceſſiones, quam de iis, quæ juſtitiam concernunt.

2. Quapropter inſtituta ſunt authoritate Pontificiâ duo Auditoria, quorum alterum Signatura Gratiæ dicitur, in qua gratiæ petuntur & conceduntur, alterum Signatura Juſtitiæ appellatur, in qua contentioſa, quæ ad juſtitiam adminiſtrandam ſpectant, expediuntur.

3. Pro ſignatura Gratiæ inſtituta eſt Congregatio à Sixto V. *Conſt.* 74. *Immenſa*, cui ipſe Pontifex Romanus præſidet, & membra illius ſunt: Major Pœnitentiarius, Præfectus Signaturæ Juſtitiæ, Datarius, ſi fuerit Cardinalis, Cardinalis Vicarius, aliique Purpurati tot, quot Pontifex pro libitu ſuo determinaverit; pauciores tamen nunc eſſe non ſolent, quam duodecim. Præter hos ſunt etiam duodecim Prælati, qui ſuffragium ferunt, & votantes dicuntur, ſuntque iidem, qui votum habent

in

in signatura justitiæ, de quibus capite sequenti plura dicentur.

4. Pœnitentiarius, Præfecti Signaturæ gratiæ, Brevium & justitiæ, atque etiam Datarius simul ac præfecturas illas & officia adepti sunt, in ipsam quoque Signaturam adnumerati censentur. Munus illorum est, omnes Signaturam illam quavis de causa adeuntes, benigne audire, porrectos libellos supplices excipere, & cum hi oblati sunt Pontifici, opportuno consilio eidem assistere, suamque sententiam sincere, etiam non rogati ex conscientia dicere.

5. Accedunt quoque ad hanc Signaturam Auditor Cameræ, ejusque Vicarius in civilibus, Thesaurarius Generalis, unus Auditor Rotæ, Cardinalis Vicarii Substitutus in civilibus, Protonotarius participans, unus Clericus Cameræ, unus Abbreviator Præsidentiæ majoris, & Regens Cancellariæ, non ut ferant suffragium, sed ut quisque tueatur jurisdictionem officii sui.

6. Habetur hæc Congregatio bis in mense, Feria tertia, tempore matutino in aula aliqua interiore Palatii Apostolici; ideoque indicitur die Dominico, ut die Lunæ intermedio informari possint Prælati votantes, atque etiam ipse Pontifex

tifex, qui proinde in aulâ consuetâ audientiæ audit Advocatos & Procuratores genuflexos cum omni libertate informantes, sicuti informari solent alii Judices.

7. Papa sedet in Cõgregatione ad mensã, in qua collocata sunt omnia ad scribendũ & subscribendum requisita. Assident ei hinc inde Cardinales in hanc Congregationem adlecti in Scabellis capite cooperto, ut in Consistoriis solent, cum hac tamen differentia, quod in iis compareant in habitu magis solemni. nimirum cum Cappa super Rochettum.

8. In hac vero Congregatione, prout in aliis quoque, quæ haberi solent coram Pontifice, assistunt cum consueto habitu, quo per urbem utuntur, nimirum Rochetto, Mantoletto, & Mozzetta, sine pallio tamen, quod in actibus solum privatis deferunt.

9. Post Cardinales stant detecto capite cum Rochetto, Mantoletto, & Bireto in manibus duodecim Prælati votantes tamquam Consiliarii. Post Papam stant proximiores Auditor Cameræ, & Thesaurarius in habitu quoque Prælatorum, & capite discooperto, quemadmodum & reliqui Prælati præsentes supramemorati.

10. His

10. His in ordine ita consistentibus accedunt tres Prælati simplices Referendarii ad mensam, cui assidet Pontifex eidemque debitâ cum reverentiâ, & submissione proponunt brevibus sermone latino causas sibi commissas referendo facti seriem, Oratoris petitionem & exceptiones Oppositoris sine propria tamen sententiâ, & suffragio.

11. Quibus expositis, vel denegat Pontifex, quod petitur, & rescribit non exquirendo votum aliorum: *Nihil*, vel concedit, & signat supplicationem cum clausulis, quas vult apponi, sicque proceditur ad propositionem alterius commissionis.

12. Si vero placuerit Pontifici audire suffragia Prælatorum votantium, primo loco suum profert Ponens, quæ commissionem proposuit, deinde duodecim Votantes sermone latino & laconicè. Numeratis votis, in arbitrio Papæ est majori parti accedere, vel non, aut tunc statim rescribere, aut rescriptum dare per Auditorem Cameræ, cum hæc vota sint merè consultiva.

13. Si qui ex præsentibus Cardinalibus forte sint, qui ex officio, vel nomine sui Tribunalis aliquid interponere velint

velint, surgunt & detecto capite petitâ prius veniâ Papam alloquuntur. Prælati majori cum reverentiâ, cum res tulerit, idipsum faciunt.

14. In hoc vero Conventu triginta ordinariè proponuntur commissiones, per quemlibet Prælatum decem, quinque super causis contentiosis auditâ & contradicente parte alterâ, & quinque super negotiis gratiosis absque Contradictore.

15. Referuntur vero ad hanc Signaturam gratiæ postulata, quæ alteri possent præjudicium inferre, quæque concedi non solent sine partium vocatione. Revocantur huc etiam res graves, & quæ raro concedi solent; Item dubiæ & perplexæ, ut decerni à Referendariis non possit, sintne vel non concedendæ, aliaque similia, quæ maturiorem deliberationem, & plurium vota requirunt.

16. Commissiones vero in Signaturâ Justitiæ rejecta proponi non possunt coram Pontifice in hac Signatura Gratiæ, nisi sciente ipso Pontifice, vel per Signaturam Justitiæ ad hanc remissæ sint. *Paulus IV. Const.* 59. *Cum nuper Paulus V. Const.* 71. *Universi* §. 1. Neque iteratò proponuntur ea, quæ in hac Signatura semel

semel rejecta, aut negata sunt, prout fit in Signatura justitiæ, nisi consentiente Pontifice, à cujus arbitrio cuncta dependent.

17. Præest huic Congregationi vel Signaturæ post Pontificem Cardinalis aliquis, qui omnes Supplicationes, & gratias in eâ concessas subsignare solet hoc modo: *Concessum in præsentia Domini Nostri* Papæ, & deinde subscribit Nomen suum.

Vestrius lib. c. 3. de Luca Rel. Roman. Cur. disc. 30.

CAPUT VIII.

De Signatura Justitiæ.

1. *Quæ referantur ad hanc Signaturam.*
2. *Quis sit illius Præfectus, & quæ hujus Auctoritas.*
3. *ubi & quando habeatur hoc Tribunal.*
4. *Qui ad illud spectent.*
5. *Prælatorum votantium suffragia sunt arctativa.*
6. *Litigatores informant Referendarios.*
7. *Ordo Sessionis in hoc Tribunali, & quomodo causæ in eo proponantur.*
8. *Contradictor citari solet ad dicendam causam.*

9. Decisa

9. *Decisa causa rescribit ad Supplicationes Præfectus.*
10. *Nunc causæ criminales cognoscuntur à solo Præfecto.*
11. *Qui non subsint Signaturæ Justitiæ.*
12. *Officium Præfecti, ejusq; salarium.*
13. *Quot sint Referendarii Justitiæ & Gratiæ.*
14. *Ex his aliqui debent esse semper in Urbe præsentes.*
15. *Quas qualitates habere debeant Referendarii.*
16. & 17. *Quibus privilegiis gaudeant.*
18. *Quæ in commissionibus illis observanda sint.*

1.

TRibunal hoc erectum est ad decidendas quæstiones & controversias omnes, quæ oriuntur circa res Ecclesiasticas in toto terrarum orbe, atque etiam profanas in patrimonio Ecclesiæ temporali; Eaque quæ occasione personarum causarumve Ecclesiasticarum, vel ex Principum remissione, aut consensu partium ad Romanam Curiam devolvuntur, exceptis iis, quæ spectare diximus ad Signaturam Gratiæ.

2. Præfectus hujus Signaturæ est Cardinalis aliquis, cui Pontifex delegat vices suas, ita ut ipse rescribat ad omnes suppli-

supplicationes & commissiones causarum, quæ hac viâ justitiæ expediuntur. Ad præcavenda vero dubia & litigia statuit & declaravit Paulus III. Rescripta Cardinalis Signatoris ejusdem esse roboris, & auctoritatis in omnibus, apud omnes, ac si manu Papæ signatæ essent.

3. In hujus Præfecti ædibus haberi solet hoc Tribunal, qualibet Feriâ quintâ, non legitimè impeditâ; Si verò impedita fuerit, in aliâ, exceptis mensibus æstivis, in quibus alternis solum septimanis, vel etiam rarius, si negotia non premant, jus in hoc Tribunali dicitur.

4. Præter Præfectum spectant ad Signaturam Justitiæ duodecim Prælati votantes, qui sententiam suam, & suffragia ferunt de iis, quæ in Auditorio hoc proponuntur, & antiquiores nonnulli Referendarii proponentes bene à partibus instructi qui Ponentes dicuntur. Accedunt præterea alii Referendarii, quorum quilibet ordine antiquitatis servato proponere potest in qualibet Signaturâ, si tempus patiatur, duas commissiones, atque etiam tres si semel Signatura interrupta, vel intermissa fuerit. De quibus Referendariis paulo post plenius. Intersunt quo-

qu

que huic Auditorio Rotæ Decanus, vel Pro-Decanus; Regens Cancellariæ; Duo Locumtenentes civiles Auditoris Cameræ, & Locumtenens civilis Vicarii, non ut suffragia ferant, sed ut jurisdictionem tueantur sui Tribunalis.

§. Prælatorum vero votantium suffragia non sunt consultiva tantum, ut in Signatura gratiæ, sed arctativa, ita ut si majora sint pro una parte, teneatur ea sequi Præfectus, ideoque ipse ordinarie votum suum proferre non solet, nisi in discordiâ & æqualitate votorum pro utraque parte, tunc enim cui Præfecti votum accesserit, præponderabit. Et si notaverit is causam non esse satis discussam, nec vota habere debitam maturitatem, solet sententiam ad alteram Congregationem differre, ut maturius causa discutiatur. Imo concedere solet contra decretum novam audientiam, vel etiam plures pro causarum qualitate & circumstantiarum diversitate. Ne tamen hæc nova audientia frequentius petatur in fraudem & ad impediendam executionem, deponere debet pars, quæ iterum audiri cupit, certam pecuniæ summam, quæ si succumbat, cedat alteri parti, vel ut plerumque

que fit, causæ Patrono, tanquam præmium confirmatæ victoriæ.

6. Ante tempora Alexandri VII. adire solebant die Martis signaturam præcedente litigatores cum Advocatis suis Signaturæ Præfectos, & Referendarios, eosque de omnibus informare & sub Vesperum distribuebantur informationes in scriptis, ita ut una tantum supereſſet dies Prælatis & Referendariis pro studio, quod cum valde incommodum esset ob causarum multitudinem ordinavit Alexander, ut informationes, earumque distributiones fiant die Lunæ.

7. Jam vero die Jovis mane, quo haberi solet hoc Tribunal, in loco destinato Palatii Cardinalis Præfecti considentomnes ordine dignitatis, Præfectus in capite mensæ, hinc inde ad latera ejusdem mensæ primum duodecim Prælati votantes, deinde cæteri Prælati Officiales, ut omnes spatium habeant scribendi ea, quæ annotanda occurrunt. Ultimus in fine mensæ è regione Præfecti sedet Prælatus ille Referendarius, qui causas proponit, & Ponens dicitur, refertque Oratoris petitionem, causæ constitutionem & merita, ac suum primus suffragium dicit, quod etiam decisivum est, deinde Votantes incipiendo

à ju

à juniore sua ordine vota proferunt, quæ Præfectus annotat, & secundnm pluralitatem votorum causas decidit. Si paria sint vota vel ipse Præfectus suffragio suo accedendo uni parti rem definit; Vel si suffragari nolit, ut frequentius consuevit, propositionem differre solet.

8. Supplex si Contradictorem habeat, citare eum debet per Cursores coram Referendario proponente sub hac formula: *Coram Reverendo N. citatur N. ad dicendam causam*; & transmittere illi debet octiduo ante copiam commissionis.

9. Causis decisis expediuntur supplicationes, idque duplici modo; Vel per rescriptum Cardinalis Præfecti, vel per Breve Apostolicum. Præfectus non eodem modo & forma rescribit ad omnes. Ad Judices enim Curiæ Romanæ scribit: *Placet Domino nostro Papæ* adjecto suo Nomine. Ad Judices vero in Provinciis *Concessum in præsentia Domini N. Papæ*, subscripto suo nomine; Vel his aliis utitur formulis: *Placet prout de jure*; *Concessum prout de jure. Placet arbitrio Judicis. Concessum arbitrio*, aliisque. *Vestr. l. 1. c. 3. n. 2. & 7.*

10. Si vero in forma Brevis expediantur hoc tempore causæ Justitiæ, hic modus servari solet : Concipitur commissio ad instar supplicationis, & relicto spatio postponuntur clausulæ consuetæ; *Et cum absolutionem à Censuris ad effectum &c.* Hæc Commissio seu supplicatio traditur Primo Revisori, & ab hoc Cardinali Præfecto Signaturæ Justitiæ signanda, qui eam hoc modo firmat; *Concessum in præsentia Sanctissimi Domini Nostri Papæ*, & subjungit nomen suum Cardinalis. Sic vero scribit ex generali delegatione sibi concessa, quamvis non scribat in præsentia Papæ. *Vestrius l. c. n.* 7. Primus deinde Revisor Signaturæ tradit supplicationem seu commissionem eo modo firmatam Primo Revisori Datariæ Apostolicæ, & à Secundo Revisore ejusdem Datariæ mittitur ad Officium *Datatum*, in quo data mittitur à Subdatario ad Officium *Missis*, & ab hoc ad Registrum: Registrata accipitur ab Officiali seu Substituto Præfecti minutarum Brevium, vel etiam ab Officiali Correctoris contradictarum, à quo expediuntur Bullæ prout à Rescribente fuerit concessum juxta Vestrium *l. c. n.* 9. At de Rosa *p.* 2. *de Ex-*

cat. lit. Apost. n. 13. refert, in arbitrio esse partium, an expediri velint literas Apostolicas per Breve, vel per Bullam, exceptis causis Italiæ, pro quibus necessario expediuntur Literæ per Breve à Præfecto minutarum Brevium. Subscribitur vero tam Breve quam Bulla à Præfecto, vel à Correctore, & Brevi apponitur Sigillum cereum rubrum cum annulo Piscatoris. In extremitate cujuslibet commissionis apponitur ab uno Referendario Signaturæ Justitiæ verbum: *Placet.*

11. Huic Tribunali Signaturæ quamplurima Curiæ Romanæ Tribunalia non subjacent, veluti: Omnes Congregationes Cardinalium: Congregationes Baronum & Montium. Tribunal Cameræ: Camerarius: Thesaurarius: Præsidentes annonæ, Grasciæ, Dohonarum, Riparum, Zecchæ, Archivii & Viarum, similesque, utpote Cameræ subordinati. Præterea Curia Capitolii: Archipresbyteri Basilicarum Patriarchalium: Aliique Protectores, & Judices particulares piorum locorum. Demum Cardinales, ad quos non diriguntur commissines nisi signatæ manu Papæ: Omnesque alii Judices, ad quos eadem

commissio signata manu Pontificis directa est. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc.* 31.

12 Officium Cardinalium, & Prælatorum Signaturæ Gratiæ & Justitiæ tempore Sedis Vacantis conquiescit, nec possunt hi supplicationes & commissiones, etiamsi supplicantes parvas datas obtinuerint, signare. *Pius IV. Const.* 36 *in eligendis.* Præfectus Signaturæ in singulos menses percipit ratione sui officii centum ducatos de Camera. *Lunador.*

13. Referendarii Signaturæ Justitiæ ultra centum esse nó possunt, & ex his septuaginta tantum Referendarii Signaturæ Gratiæ, nec ulli patet ascensus ad Signaturam Gratiæ, qui saltem triennio non fuerit laudabiliter versatus in Signatura Justitiæ, exceptis causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & Cameræ Apostolicæ Clericis.

14. Ex Referendariis Signaturæ Gratiæ debent in Curia semper præsentes esse octodecim; Eorum duodecim Antiquiores dicunt sententiam in Signatura, tres Libellos supplices proponunt, cum quibus reliqui tres alternant.

15. Debent vero omnes Referendarii esse legitimè & honestis parentibus nati, Clerici, utriusque vel alterius Juris Doctores, in Romana Curia habitu

&

& tonsura Clericali incedendo laudabiliter versati, & saltem in vigesimo quinto ætatis anno constituti, tantumque in bonis possidere, unde decenter se in Curia sustinere possint. *Sixtus V. Const.* 41. *Quemadmodum.*

16. Porro Referendarii utriusque Signaturæ veræ Nobilitatis privilegio decorati, & Comites Palatini sunt, possuntque uti insigniis Romani Pontificis, & si Abbates fuerint, in eorum Monasteriis, Pontificalibus. Nihil ipsi, nec duo eorum familiares solvunt pro expeditione literarum Apostolic. Excepti quoque sunt cum eorum familiaribus à Jurisdictione Ordinariorum; Obtinere & retinere possunt beneficia ubique existentia, eorumq; fructus percipere absentes jussu Pontificis, aut studiorum causa. Horas Canonicas extra Chorum & tempus recitare, & diebus vetitis ovis, lacticineis, atque carnibus judicio Medici vesci possunt. Possunt etiam testari de bonis acquisitis ex beneficiis Ecclesiasticis, eaque resignare & permutare. *Paulus III. Const.* 23. *Debita.*

17. Præterea eligere possunt Confessarium approbatum, qui semel in vita, & in articulo mortis plenariam eis

concedat indulgentiam. Licentiam quoque habent celebrandi, ac celebrari faciendi circa auroram, & etiam in locis interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſitis, atque eligendi ſibi duas Eccleſias, in quibus indulgentias ſtationum lucrari poſſunt. *Sixtus V. Conſt.* 41. *Quemadmodum.*

18. Nonnulla vero in commiſſionibus & cauſis proponendis obſervanda ſunt Referendariis, nimirum: Non poſſunt expedire commiſſionem, in qua nomen Procuratoris, ſeu impetrantis eorum manu non ſit inſcriptum. In citationis partis, quæ fieri debet miſſa copia, nomen Referendarii apponendum eſt; Maxime ſi hinc inde plures expeditæ fuerint commiſſiones, atque etiam in avocatoriis à prioribus Judicibus, & rebus præjudicialibus. Nec etiam reformatio, aut moderatio alicujus à Referendariis, vel etiam à Præfecto Signaturæ Juſtitiæ fiat, niſi appoſitum ſit nomen Referendarii, qui illi manum apoſuit. In commiſſionibus appellationum ab interlocutoriis, aut à definitiva cum clauſula, aut vim definitivæ habente, aut quando appoſita eſt clauſula: *Quam & quas*, manum apponere

nere non possunt, nisi expresso relevanti gravamine, nec nisi citata parte. Nec manum applicare possunt commissionibus nullitatum, & attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu jurisdictionis, citationis vel mandati, & ipsa attentata; Nec commissionibus molestationum, & jactationum, nisi addita clausula: *Dummodo non sint judicialiter illatæ*; Nec Commissionibus prorogativis fatalium in causis criminalibus, nisi ex sententia Judicis & citato Fisco. In civilibus autem prorogationes hujusmodi ultra primam vicem non nisi ex causa concedantur. Quilibet vero Referendarius tenetur recipere commissiones, & eas in signatura proponere. *Paulus V. Const. 71. Vniversi præter cit. Constit. PP. Vestrius. l. 1. c. 6. De Luca Rel. Rom. Cur. c. 31. Lunadorus.*

CAPUT

CAPUT IX.

De Dataria.

1. *Præesse solebat Datariæ Prælatus.*
2. *Nunc Cardinalis, qui* Prodatarius, *Prælatus vero* Datarius *dicitur*
3. *Olim facultas illius exigua erat, & committebatur Primicerio, & Bibliothecario.*
4. *& 5. Nunc dignitas & potestas ejus amplissima.*
6. *Datarii Officium.*
7. *Est movibile & expirat morte Pontificis.*
8. *Datarius habet sub se Subdatarium, & Officialem perobitum.*
9. *Subdatarii officium.*
10. *Officialis perobitum officium.*
11. *Sunt præterea in Dataria duo Revisores.*
12. *Officialis* Parvæ Datæ.
13. *Præfectus componendarum.*
14. *Officialis de Missis.*
15. *Revisor dispensationum Matrimonialium.*
16. *Viginti Registratores.*
17. 18. 19. 20. 21. *& 22. Praxis obtinendi Beneficium in Dataria.*
23. *Cur Pontifex subsignet supplicationes nomine proprio, Literas vero nomine assumpto.*
24. *Cur Pontifex scribat in prima signatura:* Fiat ut Petitur. *In secunda:* Fiat?

25. *Im-*

25. *Impeditus Pontifex committit alteri, ut subscribat in forma* Concessum.

26. *Quod etiam observatur in Beneficiis Galliæ, & gratiis levioribus.*

27. *Quæ in hoc Tribunali concedit Pontifex contra jus commune, censetur in hoc dispensare.*

1.

DAtaria est Tribunal Pontificis, in quo gratiæ ab eo concessæ explicantur, & expediuntur. Præesse solebat huic tribunali Prælatus aliquis, ex primis Curiæ valde idoneus, & in materiâ beneficiali apprimè versatus, qui erat in gradu proximo ad purpuram.

2. Jam verò à multis annis ex ipsis Purpuratis, & quidem ut plurimum ex Rotæ auditorio promotis, assumitur Præses hujus Tribunalis, hac tamen cum differentiâ, quod Prælati *Datarii* dicantur, Cardinales vero *Prodatarii*, ideo fortassis, ut censet de Luca, quod dedeceat dignitatem Cardinalitiam munus suscipere inferius, & Prælatorum proprium, non vero indecens sit administrare illud provisionaliter per modum commendæ.

3. Priscis temporibus, priusquam hoc officium ad tam sublime onus elevaretur,

tur, facultas illius restringebatur solummodo ad datandum, & aliquis ex Protonotariis Primicerjus nuncupatus, huic muneri addictus erat, ut constat ex Bullis Martini II. & Stephani II. *Conrad. prox. benef. l. 3. c. 8. n. 27.* Quæ facultas datandi postmodum Bibliothecario Sedis Apostolicæ concessa fuit. *Sarren. in proæm. Reg. tit. de Proton.*

4. Hodie vero tanta est Datarii dignitas, & præeminentia, ut habere oraculum mentis Pontificiæ dicatur, voceturque oraculum Papæ, cujus voluntatem explicat, proindeque dicto illius, & scripturæ standum est, nec in contrarium probatio admittitur. *Amyd. t. 1. c. 3. de styl. Datar.* Quinimo lacerare potest supplicationes, etiam manu Pontificis signatas ante registrationem, quia tunc nullum adhuc jus acquisitum est a Provifo, sed ex stylo Curiæ res censetur integra, quia Papa moveri solet ad gratias concedendas, vel denegandas secundum intentionem Datarii, cui totam rem commisit; Registratas autem lacerare non potest, cum non possit adimere jus tertio quæsitum. Ita D.D. communiter.

5. Sole

5. Solet etiam *per Concessum* Beneficia aliqua, & gratias conferre, quæ ordinaria vocantur; In reliquis majoribus Beneficiis, Dignitatibus, & Canonicatibus potest uni præ altero præstare gratiam, cum exponit Pontifici concurrentium qualitates, eorumque supplicationes signandas porrigit. Aliquando ex concessione Papæ majores etiam gratias confert. Potestatem quoque habet Datarius condonandi Summam pecuniæ, quæ juxta stylum & taxam Datariæ solvi solet pro obtentis gratiis, quæ nunc major, nunc minor est pro diversitate beneficiorum.

6. Hinc existimat Amydenius Datarii etymologiam & denominationem, non tantum à datando, seu subscribendo Supplicationibus Datam, sed etiam à dando promanare. Adscribit vero Datarius, & extendit Datam diei, mensis & anni Pontificatus Papæ regnantis non vero horæ, in omnibus supplicationibus, hoc modo: *Datum Romæ apud S. Petrum*, si Pontifex in Palatio Vaticano moretur, vel si in Monte Quirinali: *Apud S. MARIAM Majorem Nonis Januarii, Anno primo Innocentii Papæ XII.* Et supponitur nomen

men & cognomen Datarii. Quamvis à tempore Cardinalis Aragone hucusque, quo officium hoc commissum est Cardinalibus, sublevetur hoc onere extendendi Datam per alios Officiales, ut refert Lunadoro. Datarius quoque in commutandis pœnitentiis à Papa in literis Dispensationum injunctis, plenissimam habet potestatem. *Corr. Prax. disp. Apost. l. 8. c. 6. n. 59.*

7. Datarii Officium movibile est, & potestas ejus Sede vacante expirat, nec potest eo tempore datas ante mortem Pontificis adnotatas extendere, sed supplicationes gratiarum & justitiæ, etiamsi datatæ fuerint, Collegio Cardinalium statim sub Sigillo clausas præsentare tenetur futuro Summo Pontifici reservandas. *Pius IV. Const. 63. In eligendis* percipit is ex Camerâ Apostolicâ quotannis duo millia Scutorum.

8. Habet Datarius sub se diversos Officiales, quorum duo primi sunt & majores, alter *Subdatarius*, alter Officialis *Perobitum* vocatus. Hi tanquam Assessores & Consiliarii assistunt Datario in Congregationibus quotidianis, in quibus auditis etiam partium, vel Expeditorum instantiis, & contradictoriis, atque

atque examinatis quoque Supplicantium qualitatibus, præparantur negotia Pontifici proponenda.

9. Subdatario committuntur in primis expendenda omnia, quæ expediri debent in Datariâ, exceptis iis, quæ concernunt beneficia vacantia per mortem. Ideoque omnes fere supplicationes ab eo prius revidendæ sunt, Summariis in illarum calce adjectis antequam Datario tradantur, *Corrad. Prax. Benef. l. 3. c. 8, n. 38.* Accedit is cum Datario quotidie Pontificem pro signandis supplicationibus, & subscribendis rationibus, quas dare debet Datario, quoties is eas postulaverit. Vestitur colore violaceo, fruiturque annuo reditu mille Scutorum ex Camerâ.

10. Officialis *Perobitum* eligitur à Datario ex Procuratoribus seu Expeditoribus Datariæ, cujus praxin callere debet. Est Substitutus Datarii in negotiis, quæ ad Beneficia per obitum vacantia spectant, ideoque pro illis impetrandis porriguntur ei ut plurimum supplicationes, quamvis sæpius etiam immediate tradantur Datario. Et si ipse supplicationes accipiat, exponit contenta Datario, ut hic Pontificem, cum supplicatio-

plicationes pro ejusmodi Beneficiis impetrandis defert, informare possit.

11. Sunt præterea alii Officiales quamplurimi, quos omnes constituit Datarius, nimirum: Duo Revisores, qui adjuvant Datarium in revidendis supplicationibus, ne errores irrepant, quando sunt subsignatæ examinant, an aliquid in supplicationibus forte concessum sit, quod Pontifex non erat concessurus. Hi corrigere eas possunt, clausulas addendo, minuendo, expungendo & immutando etiam in iis, quæ narrari debent pro valore gratiæ, sed ob stylum non expedit, ut exprimantur in literis desuper expediendis. *De Luca* Horum unus dicitur primus, alter secundus, versatissimi in rebus Datariæ.

12. Officialis *Parvæ Datæ*, qui eadem die, qua supplicatio est signata in extremo margine supplicationis ponit parvis characteribus diem, mensem & annum Pontificatus hoc modo: *Kalendis* &c. *Anno* &c. sine illis particulis: *Datum Romæ* &c. ut extendi postea à Datario possit, quando supplicans eam expediri petit. *Corrad. in prax. l. 2. c. 7. n. 29. & 30.* Contingit enim subinde, vel ex defectu expensarum, vel ali-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ex causâ legitimâ, ut nonnisi post plures menses à subsignatione extendatur Data, & supplicationes expediantur. Interim curam earum habet hic Officialis parvæ Datæ.

13. Est etiam Officialis, seu *Præfectus componendarum*. Si enim pro gratia solvenda sit Compositio scribit Subdatarius in calce Summarii literam C. quæ significat: *Componat*, & mittitur huic Præfecto Componendarum, cui taxatâ materia solvitur compositio, nec extraditur supplicatio, nisi numeratâ pro eâ pecuniâ, quæ in eleemosynam erogatur. *De Rosa. l. 1. de exemt. lit. Apost. c. 1. n. 26.*

14. Officialis *de Missis*, à quo in calce supplicationis scribitur Missa die tali, & notatur in libro, absciſſisque datâ parvâ & Summario, mittitur ad Regiſtrum vel publicum vel secretum, ad quod eas hic Officialis direxerit. Mittit quoque appositio die ad Regiſtrum Resignationes, & Reservationes pensionum.

15. Et Officialis, qui dicitur Revisor *Dispensationum Matrimonialium*; Hujus Officium est signare supplicationes pro dispensationibus in gradibus consan-

sanguinitatis, & affinitatis impetrandi, atque etiam super excommunicationibus *Ad revelationem.*

16. Sunt præterea viginti *Registratores* Supplicationum, qui referunt de verbo ad verbum supplicationes signatas à Pontifice, vel ab alio ad hoc ab eo deputato ad Registrum. Unus Registrator secretus. Sex Clerici Registri Supplicationum prædictarum. Quatuor Magistri Supplicationum, qui conferunt Supplicationes registratas cum Registro, ut videant, num cum eo in omnibus concordent. Hi scribunt in tergo supplicationum majusculam R, & in eâ nomen suum, quâ significant esse registratas.

17. Nunc praxin, quæ in Datariâ observatur paucis subjungo; Ut ergo Beneficium, vel gratia aliqua à Summo Pontifice per Datariam obtineatur, petenda illa est humiliter ab ipso Papâ per Supplicationem scriptam in folio, vel dimidio folio juxtà qualitatem materiarum; Quia literæ Apostolicæ sine Supplicatione expeditæ ex stylo Curiæ Romanæ rejiciuntur tamquam suspectæ de falsitate. *Corrad. prax. Disp. Apost. l. 2. c. 1. n. 23.* Scribenda vero est Supplicatio chara-

charactere Italico, sive Gallico, & sermone latino, *De Rosa par. 1. de exec. lit. Apost.* hic enim est dignior & frequentior aliis. *Corrad. l. c. n. 25.*

18. Hæc Supplicatio porrigitur Datario, vel Subdatario, aut Officiali *per obitum*, prout est gratia quæ petitur, à quorum Substitutis ponitur Summariú petiti sub plicâ, quæ fieri debet in calceo Supplicationis, & defertur à Subdatario, & Officiali *per obitum* ad Congregationem quotidianam Datariæ, & si gratia sit resolubilis, & non necesse plurium vota audire in Signaturâ, colligantur in unum fasciculum signandæ à Pontifice.

19. Hunc accedit quotidie, nisi dies sint impediti, Datarius cum Subdatario, eique exponit, quæ beneficia vacent, & qualitates illorum, qui pro iis obtinendis supplicant, ut Pontifex unum è pluribus, cui conferendum sit, designet. Hac designatione factâ porriguntur eidem Supplicationes eorum, qui in priori audientiâ præelecti fuerunt; Itemque diversæ aliæ super resignationibus, Coadjutoriis, dispensationibus, provisionibus Officiorum, aliisque similibus gratiis, quas Pontifex, lectis vel auditis earum Summariis, si ita Datarius suaserit,

rit, & ſtylus non ſit contrarius, firmat manu ſuâ duobus in locis: Primò in ſpacio, quod relinquendum eſt inter petitionem gratiæ principalis, & petitionem formæ, ſub quâ literæ expediendæ ſunt, ſcribendo: *Fiat ut petitur*, cum initiali literâ nominis ſui proprii in Baptismate accepti; Sic modernus Pontifex Innocentius XII. quem DEUS conſervet, ſupplicationes hoc modo firmat: *Fiat ut petitur A*, id eſt: *Antonius*, hoc enim nomine ante aſſumptionem vocabatur. Secundò firmat eas in fronte ſecundæ partis, hoc modo: *Fiat A*. Subdatarius interim Papæ ſubſcribenti inſervit, tanquam primus Datarii miniſter quiq; ſi hic vel per morbum, vel aliud impedimentum abeſſe cogitur, vices illius ſupplet.

20. Signatis in hunc modum Supplicationibus remittuntur illæ ad Datariam ab Officialibus ejusdem revidendæ, quia committi in iis poſſent errores in ſcribendo, aut apponi clauſulæ inſolitæ, & contra ſtylum. Traduntur ergò primo Reviſori pro reviſione, & correctione. Tum Officiali *parvæ Datæ*, qui apponit Datam diei, menſis & anni Pontificatus paucis verbis, & parvis characteribus ſic

Apud

Apud sanctum Petrum quarto Kal. Jun. Anno primo, ut nimirum constet quo die gratia concessa sit. Hæc vero Data nullam facit fidem in judicio, sed ad hoc solum servit, ut Datarius eam, si illi videbitur, postea extendat. *Corrad. prax. Disp. Apost. l. 2. c. 7. n. 30.*

21. Deinde dantur secundo Revisori, à quo pariter revisæ remittuntur ad Subdatarium, qui distinguit materias, & si pro gratia solvenda sit compositio, scribit in margine C. id est, *Componat*, traditurque Præfecto Componendarum, cui compositio solvitur. Postea apponit Datarius modo supradicto Datam magnam, & committuntur Officiali *de Missis*, qui eas distinguit, notata quæ ad publicum, & quæ ad secretum Registrum referri debeant, & sic distinctas tradit Magistro Registratorum, qui easdem distribuit inter inferiores Registratores, ut per eos libris seu Registris, quæ subinde in Archivo Apostolico reponi solent, inscribantur.

22. Hoc facto gratia omnino perfecta est, & jus quæsitum dicitur ei, qui obtinuit gratiam; Non ante, cum non solum supplicationes etiam signatæ, & datæ corrigi, & reformari possint, sed

etiam à Datario omnino lacerari & abjici, ut dictum est. Registratæ hoc modo supplicationes auscultantur à Magistris Registri, qui illas mittunt per Procuratores, seu Sollicitatores, qui & Expeditores, vel Spedicionarii nuncupantur ad Notarium Regentis Cancellariæ, ut distribuantur inter Abbreviatores Præsidentiæ majoris, à quibus vel eorum Substitutis demum conficiuntur minutæ Bullarum & literæ, quæ pro gratiæ executione, & effectu necessariæ sunt, prout dicetur capite sequente de Cancellaria.

23. At vero quæri hic potest primò: Cur Supplicationes firmentur à Pontifice subscriptione nominis proprii, Literæ verò Apostolicæ desuper confectæ appositione nominis assumpti in Pontificatu? An ut Sarnen. Corradus aliique putant apud Thomam de Rosa *de execut. lit. Apost. p.* 1. *c.* 1. ad denotandam utramque personam (privatam & publicam)? An, ut iidem sentiunt quia Supplicationes ipse Papa subscribit, ideoque vero & originali nomine in his utitur, in Bullis verò nomine ascititio, & officii seu Papatus, quia hæ per Officiales expediuntur, nec ipse Pontifex manum illis apponit? An ut Andreæ Gamb. *de aut. Legati à latere lib.* 8. placet, ne nomen Sum-

mi

mi Pontificis in vili chartâ descriptum contemptui habeatur? An potius, ut existimat de Rosa *l. c. n.* 20. dicendum non aliam posse dari hujus rei rationem quam illam Jurisconsulti *in l. Non omnibus ff. de leg.* quod non omnibus, quæ à Majoribus nostris facta sunt, ratio assignari possit, sed stylo acquiescendum sit.

24. Quæritur secundo; Cur Pontifex in primâ signaturâ subscribat: *Fiat ut petitur A*, in secunda solum: *Fiat A*? Respondet non incongruè Amydenius *l. 1. de stylo Datar. c. 32. n. 9.* quod clausulæ non contineant principaliter gratiam, sed ordinariè admittantur, ideo subscribi à Papâ per solum verbum: *Fiat*, quasi dicat: Servetur stylus. At prima subscriptio, cum respiciat petitionem hujus, vel illius Beneficii, aut alterius gratiæ individuæ, formanda est per hæc verba: *Fiat ut petitur.*

25. Jam verò si Papa vel infirmitate, vel alio casu impeditus signare Supplicationes non possit, committit vel Cardinali, vel alteri Prælato idoneo, ut eas nomine suo in formâ *Concessum* subsignet, quod fit his verbis: *Concessum in præsentia nostri Papæ*, & supponitur no-

men Prælati, sicque per attestationem declaratur concessum esse à Papâ quod petitur.

26. Idem etiam observari solet in Beneficiis Galliæ, pro quibus non expediuntur Bullæ, sed sufficit sola signatura *Lotterius l. 3. q. 1. n. 12. & 13.* Atque etiam in Gratiis levioribus, quæ de stylo omnibus concedi solent; Nimis enim incommodum & operosum foret Pontificitatâ rerum mole oppresso manu suâ illas signare, ideo ex generali delegatione committitur Datario, ut per eum aliosve ejus Officiales id præstetur. Sunt vero Gratiæ ejusdem valoris, & efficaciæ sive factæ sint per concessum, sive signatæ ab ipso Pontifice. *c. Institutionis 25. q. 2.*

27. Cum ergo Literæ Apostolicæ quæ juxta antiquum stylum Gothico seu Gallico charactere scribuntur, cæteraque quæ in Datariâ expediuntur per tot in utroque jure peritissimorum Officialium manus transeant, eademque exquisitâ diligentiâ ab iis ponderentur, pro indubitato haberi potest, in Pontifice de iis, quæ Juris sunt, & hoc in Tribunali tractantur, non dari ignorantiam, & si quæ Juri adversantia concedat, censendus sit illis per dispensationem derogare.

Ca

CAPUT X.

De Cancellaria Apostolica.

CAncellaria juxta Covarruviam *t. 2. Pract. qq. c. 4.* dicta est à Cancellario, qui Princeps olim fuit in Curiâ, & Præfectus summus Prætorii, estque Cancellaria Tribunal & auditorium, in quo responsa dantur suppliciter adeuntibus, & in quo nomine & sigillo Principis Literæ expediuntur super rebus judicatis, aliisque negotiis, quæ in hoc auditorio examinantur & definiuntur. Ideoque Cancellaria Apostolica dicitur organum mentis & vocis Papæ *Mandos. reg. 34. quæst. 45.* & quicquid gerit ab ipso Papa geri videtur. *Rota apud Farinac. decis. 356. n. 8. p. 1. t. 1.*

§. I.

De Cancellario, seu Vice-Cancellario.

1. *Cancellarius unde sic dicatur.*
2. *Cancellarii nomen antiquissimum*
3. *Quando sit in Curiam Romanam introductum.*
4. *Quod sit Officium Cancellarii.*
5. *Est antiquissimum.*

6. & 7.

6 & 7. *Qui olim id obierint.*
8. *Translatum est ad Cardinales.*
9. *Et Cancellarii dicti.*
10. & 11. *Hoc tempore cur Vice-Cancellarii dicantur.*
12. *Sunt in Curia primi post Papam.*
13. *Datus est Vice-Cancellario Titulas SS. Laurentii & Damasi.*

1.

QUi præest Cancellariæ Apostolicæ Cancellarius, vel ut nunc Vice-Cancellarius dicitur, à cellulâ, ut placet Hotomanno *de verbis Juris*, in quâ scribere consuevit, & cancellis munita fuit. Sed verius hoc nomine appellatur, quod rescripta, diplomata & privilegia, antequam sigillo muniantur, cancellare soleat, id est, transversis lineis, veluti cancellis expungere & illinire *l. Cancellaverat ff. de his quæ in Testam. delent.* & *l. Chirographum ff. de probat.* de quo ita Polycrates in initio libri:

Hic est, qui leges regni cancellat iniquas,
Et mandata pii Principis æqua facit.

2. Cancellarii nomen & officium in aulis Principum sæcularium antiquissimum esse constat ex *l.* 1. *tit.* 51. *C. de Assessoribus & domesticis & Cancellariis Judicum*, ubi

ubi *l.* 3. inter cætera Arcadius & Honorius A. 403. sanxerunt, ut Cancellarii post depositam administrationem quinquaginta dies in provinciâ resideant: Dicti hi quoque fuerunt Quæstores *Glos. universos c. de divers. rescrip. c. Florus de verb. signif.* Quod fuerit illorum officium in aulis Regum & Principum indicat Budæus *in Rubric. ff. de offic. Præfect. Præt.* Et Chassanæus *in Catal. glor. p. 7. cons. 7.*

3. In Curiâ Romanâ Pontificis hoc nomen Cancellarii primis sæculis insuetum fuisse videtur, quando vero primum sit introductum, non constat. Bernardus à Mallinckrot refert *de Archi-Cancell. l. 2. c. 5.* reperisse se apud Lindenbrogium inter privilegia Hamburgensia Leonis IV. (qui conscendit thronum A. 847.) literas his verbis subscriptas: *Data per manum Stephani Cancellarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Panvinius teste eodem Mallinckrotio jam inde à Leonis IX. Pontificatu, qui cœpit A. 1049, Cancellariorum, Pro-Cancellariorum, & deinde Vice-Cancellariorum seriem producit. In Bullario primam Constitutionem, quæ à Cancellario subscripta est, reperio illam, qua Anastasius IV. anno 1154. privilegia concedit Hospitali,

&

& Religioni S. Joannis Hierosolymitani hæc ergo sic terminatur. *Dat. Laterannen. per manum Rolandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii.*

4. Officium Cancellarii, prout primitus fuit describit sic Panvinius: *Hic Epistolas Romani Pontificis nomine dictabat, Synodicis Episcoporum consultationibus respondebat, Sacerdotum Romanorum decreta scribebat*, proindeque conficiebat ea omnia, quæ nunc Secretarii *Brevium*, & Secretarius *Intimis* expedire solent. Nunc vero Officium Vice-Cancellarii spectat primaria & graviora Curiæ Romanæ negotia publica, & solennia, qualia sunt acta Consistorialia, conscribere & authenticare, atque etiam Apostolicarum provisionum literas solemnes in forma Bullarum sub antiquo sigillo plumbi aliaque de quibus infra num. 12. expedire.

5. Officium hoc Cancellarii antiquissimum, & forte statim à principio primitivæ Ecclesiæ institutum esse videtur. Siquidem si primi Pontifices assumpserint in adjutorium Clericos pro Baptismo aliisque divinis administrandis, Archi-

chi-Diaconos pro curandâ re temporali, & Historiâ Ecclesiasticâ, dicendum omnino videtur ab initio statim à S. Petro constitutum esse aliquem, qui literas, monitaque & decreta Apostolica, atque etiam acta Conciliorum conscriberet, prout colligitur ex epistolis ipsiusmet S. Petri, actis Apostolorum aliisque sacris Historiis. Certè Officium hoc antiquissimum esse in Curiâ Pontificiâ constat ex S. Hieronymo, qui & ipse hoc munere functus est, prout testatur in Epistola ad Gerontiam de Monogamiâ his verbis: *Ante annos plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem &c.*

6. Priscis temporibus hoc munus exercuerunt Presbyteri aliique probitate, & eruditione spectatissimi Viri. *Onuphrius. Chokier in præm. Reg.* & ut verisimile est Notariorum Primicerii, ac deinceps Protoscriniarii dicti sunt, prout colligitur ex Onuphrio Panvinio *de vocibus Ecclesiast. obscurior.* & testatur Mallinckrotius *l. c.* legi in Bullâ Nicolai I. qui creatus est A. 858, apud Lindenbrogium inter

inter privilegia Hamburgenſia hanc ſubſcriptionem: *Scriptum per manum Leonis Notarii, Regionarii, & Seriniarii &c. Datum Kalend. Jul. per manus Tiberii Primicer. Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.*

7. Poſtmodum obeuntes hoc Officium appellati ſunt *Bibliothecarii. c. 2. Adrianus diſt.* 63. quod deſumptum eſt ex octava Synodo celebrata A. 869, eo quod curæ illorum quoque commiſſi eſſent libri Bullarum, & Regularum Extravagantiuu. *Alphons. in Proœm. Reg.* Sic literæ Canonizationis S. Udalrici Epiſcopi Civitatis Auguſtanæ factæ a Joanne XV. A. 993. ita ſubſcriptæ reperiuntur in Bullario: *Dat. 3. Kalendas, alias Nonas Februarii, per manum Joannis Epiſcopi S. Nepeſinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.* Neque officium Datarii ab eo, quod eſt Cancellarii olim diſtinctum fuiſſe oſtendit Amydonius *de ſtylo Datariæ c. 1. & 2.* quamvis id reprobet de Luca. *Rel. Rom. Cur. diſc. 9. n. 4. & ſeq.* Separationem verò, & diſtinctionem utriuſque officii factum eſſe Avenione, cum Pontifices ibidem commorarentur tradit Hieronymus

mus Lunadorus in relatione suâ *della corta di Roma.*

8. Transiit vero officium hoc ab hominibus inferioris sortis ac conditionis ad Episcopos, ut patet ex supracitata Bulla Joannis XV. ad Cardinales Episcopos, & per indultum Benedicti VIII. post annum 1012. Cardinalis S. Sabinæ Episcopus hoc munere semper fungebatur. Deinde vero sub Alexandro II. administrare cœperunt idem officium Cardinales Presbyteri, vel Diaconi usque ad annum 1187, ut patet ex ejusdem Alexandri II. Bullâ approbationis Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldulensium data & subscripta A. 1062. hoc modo: *Dat. Lucæ IIII. Kalend. Novembris per manus Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. & Bibliothecarii.* Et ex Bullâ Paschalis II. edita A. 1106. quæ habetur in Bullario sic subscripta: *Dat. Lateranen per manus Joannis S. R. E. Card. ac Bibliothecarii.* Ex quibus similiter patet *Bibliothecarii* titulum adhuc in usu fuisse, eoque & Cancellarii titulo, nunc utroque junctim, nunc alterutro seorsim longo tempore usi sunt.

9. Re-

9. Rejecto deinde Bibliothecarii titulo remansit aliquamdiu solus Cancellarii, usque ad A. 1187, quando primum Bulla subscripta reperitur per Vicesagentem; Sic enim legitur in Constitutione Urbani III. qua dicto anno 1187 confirmavit Ordinem Fratrum Cruciferorum. Dat. *Veronæ per manum Moysi Lateranen Canonici Viceagentis Cancellarii.* Videtur hic Moyses vices supplevisse in Cancellariâ pro Alberto Morâ Presbytero Cardinali Tit. S. Laurentii in Lucinâ, cùm is Cancellarius fuisse legatur, qui deinde mortuo Urbano creatus Pontifex, & Gregorius VIII dictus, eundem Moysen Canonicum Eccleſiæ Lateranensis, nullo alio constituto Cancellario, in hoc confirmavit, atque ita hoc munus extra Collegium Cardinalium translatum mansit ultra fæculum usque ad tempora Bonifacii VIII, sub quo postliminio ad Cardinales rediit, perstatque apud eos ad hæc usque tempora.

10. Quæstio hic moverur ab auctoribus, cur qui præest Cancellariæ, etiamsi is Cardinalis sit, non ut olim Cancellarius, sed Vice-Cancellarius appelletur? Variæ sunt hac de re conjecturæ Go

Gomesius *ad Reg. Cancell.* & Hostiensis putant Vice-Cancellarium dici ad differentiam Papæ, qui est primus in terrâ Christi Cancellarius? Verum si hoc ita, cur antiquiores dicti Cancellarii? Cur Leo IX Hermanum II. Archi Episcopum Colonienſem Archi-Cancellarium S.R.E. dixit? qui titulus certè major est titulo Cancellarii. Zabarella *in cap. Ne Romani de Elect. in Clement.* id factum existimat ad deprimendam illius auctoritatem, & existimationem, quod aliquando oppoſuerit ſe Papæ, in conſcribendis mandatis; Sed hoc Gomesius *in proœm.* aliique ut fabellam rejiciunt. De Luca *in Relat. Cur. Rom disc.* 10. existimat, eum sic appellari ob excellentiam officii, cùm τὸ *Vice* non denotet hic statum inferiorem, sed digniorem. Quemadmodum dicitur Datarius, cum Officio illius fungitur Prælatus, vel Clericus inferior dignitate Cardinalitiâ; Cum autem per Cardinalem administratur, dicitur is Prodatarius.

11. Verum probabilius est, quod refert Onuphrius in epitome de Pontificibus & Cardinalibus Romanis, & Lunadorus *l. c.* fuisse hoc munus ante 500. annos, ut supra quoque insinuatum, penes Cardinales, qui Cancellarii dicti sunt.

sunt. Cum vero Gregorius VIII, transtulisset Officium hoc extra Collegium Cardinalium in Moysen Canonicum Lateranensem, appellatus est hic, quod Cardinalis non esset *Cancellarii vicem agens*, quo titulo etiam Successores in dignitate Cardinalitiâ non constituti, exceptis duobus proximè illi subsequentibus, qui Cardinales fuerunt, & *Pro-Cancellarii* dicti sunt *Onuph. in epit.* usi sunt usque ad Honorium III. qui Pontificatum adiit A. 1216. sub hoc Raynerius de Castro veteri Canonicus Regularis, & Prior S Fridiani Lucensis primus reperitur in Bullario dictus *Vice-Cancellarius* in Bullâ confirmatoriâ Ordinis B. Dominici eodem anno 1216. Quo nomine postmodum appellati sunt Successores quotquor extra Collegium Cardinalium ad hoc munus assumpti sunt. Cum ergo Bonifacius VIII, qui Pontifex creatus est A. 1294. Officium hoc contulisset Ricardo Petroni, atque is subinde ad dignitatem Cardinalitiam promotus esset, immemor antiquæ consuetudinis retinuit nomen Vice-Cancellarii, sicque titulus Cancellarii & Pro-Cancellarii in Curiâ Romanâ antiquatus est.

12. Est vero hoc tempore Vice-Cancella-

cellarius major post Papam in Curiâ Romanâ *Card. in Clem. 2. de elect. quæst. 4.* eique primus post Pontificem in Urbe locus conceditur, & præfertur etiam Camerario, licet Cameræ Apostolicæ officium prius Cardinalibus, quam Vice-Cancellarii munus commissum fuerit. *Gomes in proœm. reg Canc* Quia Vice Cancellarius Justitiæ sceptrum gerit, & regit ex Officio Cancellariam secundum Regulas, quæ ad ejus dispositionem dantur in & extra Curiam. *Card. l. c.* Estque Judex in iis, quæ pertinent ad expeditiones juridicas Bullarum, omnesque literas Apostolicas cujuscunque materiæ (exceptis illis, quæ per Breve dantur sub annulo Piscatoris) signat litera L, qua significat lectas esse, & ex alterâ parte litera majuscula R, qua mandat, ut registrentur. *Alphon. in Proœm. Reg. Canc.* Adhæc traduntur Vice-Cancellario in Consistoriis secretis Decreta Collationum Titulorum factarum Cardinalibus, & Promotionum Episcoporum, atque Abbatum Consistorialium, ut literæ factarum provisionum in Cancellariâ conficiantur, quas ipse deinde promotis extradit.

13. Assignatus est Vice-Cancellario Titulus & insignis Ecclesia Collegiata

SS. Laurentii & Damasi à Clemente VII. *Const.* 34. *Etsi ad singula.* Cui amplum & regium planè adjunctum est palatium, in quo Officiales Cancellariæ Apostolicæ ter in septimanâ, nimirum die Martis, Jovis & Sabbati convenire solent. Habet hoc tempore ex Officio suo in proventu annuo quatuordecim aut sedecim millia Scutorum. *Lunad. l. c.*

§. 2.

De reliquis Officialibus Cancellariæ.

1. *Magnus est numerus Officialium in Cancellaria.*
2. *Regentis Officium.*
3. *Corrigit Bullas male formatas.*
4. *Et distribuit causas inter Referendarios. Officium ejus enitur.*
5. *Qui constituant Collegium Abbreviatorum.*
6. *His multa concessa sunt privilegia.*
7. *Abbreviatorum majoris Præsidentiæ munus.*
8. *Non admittuntur nisi prævio examine.*
9. *Abbreviatorum minoris Præsidentiæ Officium.*
10. *Scriptorum Apostolicorum Collegium.*
11. *Scriptorum minoris gratiæ Officium & numerus.*
12. *Janizerorum numerus & Officium.*
13. *Præter hos sunt alii quamplurimi in Cancellaria Officiales.*

14. *Qui ultra taxas nil exigere aut accipere possunt.*

15. *Taxa hæc constituta videtur Avinione.*

1.

VIce-Cancellarius præest omnibus in Cancellariâ Officialibus, qui ei parere debent, Martinus V. *Const. 3. In Apostolicæ,* & de aliquorum officiis officio suo annexis liberè disponit, Sixtus V. *Const. 1. in append. Cum sanctæ.* Est vero in Cancellariâ ingens turba Officialium, præcipui sunt: Regens, Abbreviatores majoris & minoris Præsidentiæ, Jannizeri, Plumbatores, Regiſtratores, Scriptores Apostolici, & minoris gratiæ, aliique de quibus nunc ordine agemus.

2. Regens est Locumtenens & primarius Officialis Vice-Cancellarii, hic distribuere solet supplicationes signatas inter Abbreviatores majoris Præsidentiæ per turnum, ut ab iis minutæ conficiantur. Facultatem habet addendi vel minuendi gratiam in Supplicatione contentam, & mentem Pontificis interpretandi. Potest etiam corrigere Bullas malè formatas, si erratum sit v. g. in nomine Oratoris aut Beneficii, in dispensatione matrimoniali, si pro affinitate expressum fuerit impedimentum consanguinitatis &c.

3. Sciendum namque, si malè formatæ sint Bullæ contra Regulas Cancellariæ, vel conceptæ non sint juxta signaturam, eas remitti solere ad Cancellariam ut corrigantur, quod facit Regens, aliusve Officialis Bullâ cum transumpto signaturæ collatâ. Qui casus si occurrat, & error in Literis correctus sit, scribit in capite Literarum Regens: *Corrigatur in Registro pro ut jacet N. Regens.* In inferiore verò parte, ac in plica versus dexteram subscribit unus Magister supplicationem. *Correcta per me N. Registri Magistrum* Rosa *de Exec. lit. Apost. l. 1. c. 9. n. 21.* Si error commissus sit ab Abbreviatore, vel Scriptore Apostolico corrigendus est gratis, idque infra tres dies sub pœna suspensionis, & ingressu Cancellariæ juxta Constitutionem Martini V, *In Apostolicæ Corrad. in prax. Dispen. l. 2. c. 3. n. 26.*

4. Regens quoque committit omnes causas appellationis ad Curiá Romanam, easque distribuit inter Auditores Rotæ & Referendarios. Habet locum in Sacello Pontificio, sed in eo comparere non solet ob loci competentiam cum aliis Prælatis. Officium Regentis comparatur à Vice-Cancellario 22. mille Scutis, ex quibus centum proferunt pro cen-

censu annuo octo vel decem Scuta *Lunadoro.*

5. Abbreviatores proprium constituunt Collegium institutum primò à Pio II. ac deinde anno 1478. innovatum à Sixto IV. per constitutionem *Divina* quâ præscribit, ut in Cancellariâ præter alios Officiales sint septuaginta duo Abbreviatores; Quorum duodecim dicuntur Abbreviatores de Parco majori, seu majoris Præsidentiæ, viginti duo de Parco minori, seu minoris Præsidentiæ, & reliqui Abbreviatores examinantes literas in prima visione, omnesque constituunt sub nomine Abbreviatorum unum Collegium ad quod non admittuntur nisi viri à pietate commendati, in ætate decenti constituti, & in Officio Abbreviatoriæ bene instructi.

6. His Paulus V. qui & ipse in minoribus constitutus, Abbreviatoris munere functus est, multa privilegia concessit per Constitutionem *Romani Pontificis Anno* 1605. *Corrad. in Praxi Disp. l. 2. c. 8.* Inter cœtera eò ipso, quod ad hoc Collegium assumuntur, Referendarii censentur. *Paulus V. l. c.* & Nobiles, Comites Palatini, ac familiares sunt Pontificis *Leo X. Const. 14. Summi.* ideoque portione panis & vini ex Palatio Apostolico fruuntur

untur *Paulus V. l. c.* Officia eorum sunt compatibilia cum aliis Curiæ officiis, & resignari possunt. Ascendunt etiam Abbreviatores à minori ad majorem Præsidentiam *Sixtus IV. Const.* 16. *Divina.*

7. Abbreviatorum majoris Præsidentiæ munus est ex Supplicationibus à Papa signatis diplomata seu literas conficere, quas minutas Bullarum dicunt, ad quarum formam conscribuntur Bullæ. *Vestrius. De Rosa l.* 1. *de Execut. lit. c.* 1. *aliique.* Accipiunt etiam Regulas Cancellariæ à Pontificè, secundum quas possunt gratiam in Supplicationibus contentam expedire, denegare, ampliare, limitare, ac mentem Pontificis pro vel contra impetrantes interpretari. *Corrad. l.* 2. *prax. dispens. c.* 3. *n.* 2. Non tamen ita minuere possunt gratiam, ut nihil prosit, nec extendere ultra substantiam clausulas. *De Rosa de execut. lit. l.* 1. *c.* 3. *n.* 36. Omnes quoque literæ, quæ in Cancellariâ expediuntur, subscribi debent ab aliquo ex his Abbreviatoribus majoris Præsidentiæ, aliàs nullæ sunt, iisque utentes tenentur pœnâ falsi ex constitutione Leonis X. *Corrad. in prax. Dis. l.* 2. *c.* 8. *n.* 2.

8. Quare cum tantæ sint auctoritatis, circa ea quæ concernunt expeditio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nes literarum Apostolicarum, & Assistentes sint Vice-Cancellarii ac Regentis, nonnisi præmisso examine, & approbatione cæterorum Abbreviatorum Cancellariæ ad hoc munus admittendi sunt juxta Constitutionem Martini V. *In Apostolicæ dignitatis.* Quâ etiam obligantur quotidie convenire coram Vice-Cancellario, nec ab eo conventu abesse unquam possunt sine licentiâ ejusdem Vice-Cancellarii, aut Præsidentis. *Corrad. l. c. n.* 6. Sex Abbreviatorum majoris Præsidentiæ provisio spectat ad Pontificem, & sex ad Vice-Cancellarium, emiturque Officium hoc undecim vel duodecim mille Scutis. Vestiuntur Abbreviatores illi more Prælatorum colore violaceo, & locum habent in Capellâ Pontificiâ. *Lunadoro in relat.*

9. Abbreviatores minoris Præsidentiæ suum quoque habent Officium in expeditione Literarum, ut patebit infra, ubi exponemus ordinem & praxin expediendarum Literarum. Hoc officium precio quoque comparatur, & Abbreviatores illi participant de emolumentis, quæ proveniunt ex expeditione Literarum & annatis.

10. Scri-

10. Scriptores Apostolici sunt centum & unus, qui constituunt Collegium, quod unum est ex præcipuis in Cancellariâ, cum illi adscripti sint nonnulli Cardinales, imò & ipse Pontifex. Signat hoc Collegium inter cætera literas Oratorum, pauperum, & quarumcunque indulgentiarum gratis. *Conrad. prax. Disp. Apost. l. 8. c. 6. n. 4. 7.* Emitur Officium Scriptorum Ducatis 1800. *Lunadoro.*

11. Sunt quoque Scriptores minoris gratiæ dicti, viginti septem, hi ex integro taxant literas dispensationum matrimonialium in formâ Pauperum pro Oratoribus à Curia absentibus, pro præsentibus vero *Gratis.*

12. Jannizeri seu publici Sollicitatores in Cancellaria sunt centum. *Conrad. Prax. Disp. l. 4. c. 5. n. 19.* qui & ipsi manum apponunt in expeditione Bullarum, pro ut ex dicendis clarescet, & pro rata emolumentum suum exinde habent. Quilibet solvit pro Officio illo Ducatos 1700. *Lunadoro.*

13. Præter hos est Præfectus sollicitatorum unus, Magistri plumbi tres, Præsidens plumbi unus, Collectores plumbi centum & quatuor. Magistri Registri Supplicationum quatuor. Clerici

ejus-

ejusdem Regiſtri ſex ; Scriptores Archivii nonàginta unus. Corrector contradictarum unus, Correctores Archivii decem. Cubicularii ſexaginta. Scutiferi centum quadraginta duo. Auditor contradictarum unus. Procuratores Contradictarum quatuordecim. Procuratores minoris gratiæ viginti quatuor. Depoſitarius Cubiculariorum & Scutiferorum unus. Qui omnes ſuas agunt partes in Cancellariâ Apoſtolicâ, & exinde emolumenta ſua habent. *Corr. prax. Diſp. Apoſt. l. 4. c. 5. n. 19.*

14. Ne verò exceſſus fiat & abuſus committatur in exigendis pecuniis pro expeditione Literarum Apoſtolicarum aliarumque gratiarum proviſum eſt à Julio II. per Conſtitutionem. *Etſi Romanus Pontifex* & per Regulas Cancellariæ. Julius enim Pontifex ne Officiales Cancellariæ totiusq; Curiæ Romanæ quicquam ultra taxas aut poſtulent, aut accipiant ſub graviſſimis pœnis inhibuit, nimirum ſub pœnâ excommunicationis latæ Sententiæ, & pro prima vice centum Ducatorum auri de Camera ; Pro ſecunda ſuſpenſionis exercitii & perceptionis emolumentorum ad ſex menſes Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis applicandorum ; Pro tertiâ verò vice, quibus

quibus contra fecerint privationis Officiorum, pœnis ipso facto incurrendis. Insuper declaravit contra facientes ad restituendum quidquid ultra taxam perceperint, fore obligatos. *Julius II. Const. Etsi Romanus Anno 1512. Tertio Kal. April.*

15. Taxa hæc statuta creditur à Joanne XXII. Avinione cum Curia ibidem resideret, & continetur in libro, qui asservatur in Cancellariâ Apostolicâ, quem se vidisse testatur Corradus *in prax. Disp. Apost. l. 6. c. 4.* una cum alio libro, qui continet valorem Beneficiorum Consistorialium, ex quibus annatæ solvendæ sunt.

§. 3.

De Protonotariis.

1. *Notarii ab ortu Ecclesiæ fuerunt.*
2. *Qui deinde aucto eorum honore dicti sunt Protonotarii; Quorum 12. Participantes dicti multis sunt privilegiis cumulati.*
3. *Alii sunt honorarii.*
4. 5. 6. *Eorum privilegia, & quæ circa eos S. Congregatio rituum declararit.*
7. *Quales creari soleant Protonotarii.*

1.

PRotonotarii quoque proprium habent locum in Cancellariâ Apostolicâ.

câ. *Mandos. in prax. signat. Tit. Protonotarii.* Hi ab exordio Ecclesiæ originem suam ducunt. Nam Clemens I. Anno 48. septem deputavit Notarios, qui Martyrum agones describerent, ac eorum verba, in fide constantiam, aliasque circumstantias annotarent. *Baronius in annal.* Postmodum cessante persecutione mandavit Julius I. quascunque res ad Ecclesiam pertinentes scripto per Notarios consignare.

2. Cum verò successu temporis horum auctoritas & honor augeretur ad differentiam aliorum in Urbe Notariorum dicti sunt Protonotarii & duodecim per Sixtum V. aono 1586. constituti multis privilegiis & emolumentis, propter quæ participantes dicuntur, aucti sunt. *Lotter. de Benef. l. c. 2. q. 28. n. 37.* Nam præter proprios reditus, quos habent à sede Apostolicâ, fruuntur etiam quibusdam emolumentis ex expeditione quarundam Literarum Apostolicarum; Sunt familiares & domestici Papæ, panem quotidie & vestes in morte & Coronatione Pontificis, locumque in Calvalcatis, seu solenni equitatione obtinent. Possunt legitimare spurios, & creare Notarios seu Tabelliones; Sunt exempti à jurisdictione Ordinariorum, & eorum fami-

familiares arma gestare possunt. *Sixtus V. Const.* 12. *Romanus decimo sexto Kal. Dec.* 1585. Consuluntur quoque in Canonizatione Sanctorum aliisque quibusdam rebus gravioribus. *Lunadoro.* Concessus est illis privativè quoad omnes alios Prælatos pileus niger cum cordulis & ornamentis violaceis *S. Congr. Rituum* 17. *Febr.* 1607. præceduntque Canonicos cujuscunque Cathedralis, etiam quatuor Patriarchalium Urbis. *Eadem Congreg. Rit.* 4. *Maji* 1613. & in Capella Pontificis præcedunt Sacristas & Abbates usum mitræ habentes. *S. Cong. Rit.* 13. *Jul.* 1601. Emunt Officium suum Protonotarii septem millibus Scutatorum aureorum, & percipiunt ex eo quot annis 400. Scutata.

3. Reliqui Protonotarii extra hunc numerum duodenarium, id est non participantes, honorarii appellantur. Quemadmodum vero participantes, ita & hi exempti olim erant à jurisdictione Ordinariorum per Leonem X. in Concilio Lateranensi *Sess.* 10. Sed hanc exemptionem ademit illis Concilium Tridentinum *Sess.* 24 *c.* 11. in causis criminalibus, non autem civilibus excedentibus summam 25. Ducatorum *S. Congr. Conc.* 14. *Dec.* 1630. Circa hos Protonotarios Titulares

tulares seu honorarios quam plurima declaravit S. Congregatio Rituum, quæ pro notitiâ hic brevibus ex Barbosa *in Collect. Bullarii V. Protonotarius*, referenda duximus, nimirum.

4. Anno 1601. 21. Aug. Apponere possunt pileum super insigniis, & habere annulum, sed sine gemmâ, dum celebrant.

Anno 1619. 23. Mart. Nec supra nec inter Canonicos locum habere debent.

A. 1604. 30. Cedere debent locum digniorem Officialibus Episcopi, Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium.

A. 1601. 16. Maji. Præcedunt Canonicos Cathedrales singulos non autem Collegialiter comparentes.

A. 1601. 16. Maji. Non debent ratione Protonotariatus munera, quæ aliis de jure, vel consuetudine debentur, sibi vendicare.

A. 1610. 6. Martij. Si habeant dignitatem aut Canonicatum in Ecclesiâ Cathedrali, uti debent habitu Canonicali, vel dignitati suæ convenienti, & sedere, stare ac incedere in loco sibi debito, aliàs non lucrantur distributiones quotidianas, si vero uti velint in ea Ecclesia habitu Protonotarii, reputantur tanquam

quam extranei, & assignatur illis locus non inter Canonicos, sed post Abbates, nec lucrantur distributiones.

A. 1614. 15. Mart. Si Canonici sint, non possunt in Choro dum assistunt horis Canonicis uti Rochetto sub cottâ.

5 A. 1610. 19. Novembr. Si Archi-Diaconi sint, in functionibus publicis sibi tanquam Archi-Diaconis competentibus uti debent habitu Canonicali non Protonotarii.

A. 1612. 14. Jan. Si Canonici sint possunt in Ecclesia uti subtana violaceâ, licet reliqui Canonici ferant nigram, in reliquis verò gerant habitum similem Canonicis.

A. 1601, 21. Aug. Si habeant primam dignitatem possunt in Choro deferre Rochettum cum Mantelletto, si verò eam non habeant, sedere debent in suo stallo cum habitu Canonicali.

A. 1611. Utentes habitu Protonotarii & Prælati, licet non sint in primâ dignitate præcedere debent Archi-Diaconum primam Dignitatem, sed non lucrantur distributiones; Non possunt tamen ut anno 1611. 9. Nov. declaratum fuit illo habitu uti in Processionibus, aliisque actibus publicis, quibus cum Capitulo intersunt.

6. A.

6. A. 1621. 7. Aug. Si Canonici sint, non lucrantur distributiones nisi proprio habitu Canonicali intersint Choro, Processionibus &c.

A. 1610. 6. Mart. Canonici vel Dignitates in Cathedrali, si celebrare voluerint, debent sumere paramenta in Sacristia, ut Canonici alii, & non ex Altari.

A. 1615. 4. Jul. Si sint Vicarii Generales uti possunt Rochetto & Manteletto in Choro, Processionibus aliisque functionibus in locis per Diœcesin suæ jurisdictionis ; Si verò sint de Capitulo non lucrantur distributiones nisi in habitu Canonicali.

A. 1630. 28. Sept. Protonotarius extra numerum non potest prohiberi habitum ferre Prælatorum nempe Rochettum cum Mantelletto coloris violacei & in Ecclesiis ac functionibus cum eodem habitu incedere, & sedere juxta dispositionem Cæremonialis

A. 1637. 5. Jul. Debent incedere, stare ac sedere in habitu Prælatorum in Ecclesia, & in Processionibus juxta dispositionem Cæremonialis.

A. 1631, Incedentes in habitu Cleticali tam in Civilibus, quàm in criminalibus causis gàudent privilegio fori, quamvis

vis non sit adscriptus servitio alicujus Ecclesiæ.

A. 1626. Gaudent privilegio fori & Clericali etiamsi Ecclesiæ non inserviant.

7. Cæterum Protonotarius sive à Papa sive ab aliis ab eo facultatem habentibus regulariter creari non solet nisi persona sit Nobilis seu graduata, nec ante 20 annum, nisi Nepos, aut filius Principis sit, qui ex privilegio post 17. annum creari possunt. *Corrad. prax. Dispens. Apost. l. 5. c. 7. n. 52.* Dignitas verò illorum ut ait Abbas *in c. 1. de privil.* hodie vilescit propter numerum eorum excessivum.

§. 4.

Ordo expeditionis Literarum.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Forma & modus expediendi literas in Cancellaria.*

8. *Qui primi literas obsignarint plumbo; Quorum effigies in eo sint expressæ.*

9. *Plumbum quomodo Literis appendatur.*

10. *Bullis plumbatis quid porro illis fiat.*

1.

POstquam supplicationes in Dataria secundum formam & modum cap. 2. traditum datatæ, registratæ & auscultatæ

tæ sunt, mittuntur à Magistris Registri in Cancellariam ad Notarium Regentis Cancellariæ. Per Regentem distribuuntur inter Abbreviatores de parco majore seu majoris Præsidentiæ, à quibus vel eorum substitutis conficiuntur minutæ Bullarum. *Amyd. l. 1. c. 6. n. 10.* Dictata Literarum minuta per Abbreviatores, conscribitur ex ea à Scriptoribus de verbo ad verbum Bulla, seu Literæ Apostolicæ in crassa membrana Gallico seu bullatico charactere.

2. In his literis ponitur in Principio Titulus Pontificis: *Innocentius Episcopus Servus Servorum DEI.* In contextu voluit Pius II. brevitatis causâ ne Diphthongi scribantur, & ob eandem rationem scribuntur nomina civitatum ac Diœcesium truncate, sic: pro Neopolitana, Capuana ponitur Neapolitan. Capuan. *Corrad. Prax. Disp. Apost. l. 2. c. 7. n. 78.* Data vero scribitur extensa hoc modo. *Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo secundo. Sexto Id. Aprilis Pontificatus nostri anno primo.*

3. Annus ergo ponitur per consequentiam Literarum, & dies per Kalendas, Nonas & Idus, dictiones autem numerales

ante Kalendas, Nonas & Idus per literas & Syllabas extensè scribuntur hoc modo: *Sexto Id. Aprilis* ad evitandas fraudes, quia si scriberetur VI. Id. addendo I foret VII. vel radendo I esset V Id. At Kalendæ, Nonæ & Idus non extensè scribuntur sed per Abbreviationem sic: *Kal. Non. Id.* quia in his non potest fraus facilè committi. *Corrad. Prax. Disp. Apost. l. 2. c. 7. n. 48.* In Brevi verò notatur data per numerum Cardinalem hoc modo: Die VIII Aprilis M. DC. XCII, vel Die 8 Aprilis 1692. Apponitur etiam Datæ locus specialis. *Apud S. Petrum.* Si Papa resideat in Palatio Vaticano; Si in monte Quirinali, in quo æstivo tempore Pontifices commorari solent scribebatur ante hac: *Datum Romæ in monte Quirinali.* Sed Paulus V. ob devotionem erga DEI genitricem illiusque Ecclesiam S. Mariæ Majoris, quæ non longè à Quirinali sita est, voluit ut deinceps scriberetur. *Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem &c.* Si Papa commoretur extra Urbem v. g. in villâ Tusculanâ scribi solet: *Dat. Tusculi,* & ante hac: *Dat. Frascati Tusculan. Diœcesis.*

4. Notandum hic verò à parum peritis ne perplexi hæreant putantes errorem esse in Bullâ, quam impetrarunt

(pro

(pro ut nonnullis accidisse memini) Annum ex stylo Curiæ incipere ab 8 Kal. April. quæ est dies vigesima quinta Martii Annunciationi B. M. Virginis & Incarnationi D. N. sacra ob insigne nostræ Redemptionis Beneficium, & non à primâ die Januarii. Nunc prosequamur Ordinem expeditionum Literarum.

5. Bulla dicto modo conscripta taxatur ad Bancum Scriptorum per Rescribendarium, taxatæ suam apponit manum Computator, & solvitur Scriptoribus taxa. Deinde mittitur ad Abbreviatores de parco minore, seu minoris Præsidentiæ, quorum unus perlectis literis nomen adscribit, & acceptâ juxta Taxam pecuniâ Bullam ad Abbreviatores majoris Præsidentiæ remittit. Ex his duo quoque ab hoc Deputati nomen suum paulò infra subscriptionem Abbreviatoris minoris Præsidentiæ supponere solent. Deinde deferuntur literæ ad sollicitatores Literarum Apostolicarum, quos Jannizeros vocant, quibus solvuntur duo Ducati, totidemque Caroleni de Cancellariâ (quorum decem constituunt Ducatum *Corr. in praxi Disp. l. 9. c. 4. n. 45.*) si taxatæ sint literæ triginta Ducatis, si verò infra, solvitur unus tantum Ducatus & duo Caroleni.

6. Inde deferuntur literæ ad ſedes Abbreviatorũ, quos de prima viſione vocant, ubi unus illorum Abbreviatorũ paulò infra ſubſcriptionẽ Scriptoris Apoſtolici manum ſuam ſupponit, cui à ſollicitatore ſolvitur unus Carolenus. Et ſi ſolvenda quæque ſit annata, ſolvitur ex ea omnibus participantibus in Cancellaria reſidentibus nimirum Jannizeris, Scriptoribus Archivii, Cubiculariis, Scutiferis & ripalibus Portionariis rata eis contingens. Quo facto remittitur Bulla unà cum ſupplicatione eidem inſerta ad Abbreviatorem majoris Præſidentiæ qui minutam dictavit, hic factâ Bullæ collatione cum ſupplicatione, ſi eam concordare judicet, ſubſcribit eidem in Signum ſui judicii nomen, & Bullam unà cum ſupplicatione illi inſerta de Banco ſuo projicit in terram quam ſublatam per ſe, vel per famulum ſuum Cuſtos Cancellariæ omnes ex parte perluſtrat, an omnes Officiales, quos materia requirit, ſubſcripſerint, & an Bullæ data cum data Supplicationis concordet.

7. Demum transmittitur Bulla ad Regentem Cancellariæ, qui examinat à quo collationata ſeu judicata ſit, & ſi vel alteri ex Abbreviatoribus iterum collationandam & judicandam committat, et

est in arbitrio illius. Deinde Supplicationes tradit Custodi, qui eas partibus accepto à singulis uno Julio restituit & Bullas adscriptâ primùm manu sua in margine literâ majusculâ A. à latere dextro, à sinistro vero I & circumductis lineis circa taxas scriptorum, & Abbreviatorum in Bulla determinatas, finitâ Cancellariâ tradit Plumbatori, à quo plumbantur & cordulis alligantur. Quo facto nemo potest in illis aliquid addere, aut ex illis detrahere, vel minuere sine incursu excommunicationis latæ in Bullâ cœnæ.

8. Stephanus III. & Hadrianus I. qui electus est A. 672. Primi fuerunt qui literas Apostolicas ut diuturniores essent plumbo obsignarunt *Polyd. l. 8. c. 2. de Rerum Invent.* In plumbo impressum est nomen Pontificis ex una, & ex alterâ parte effigies & nomina SS. Petri & Pauli. Sed cur Paulus dexteram hìc occupat, Petrus verò sinistram, cum dextra sit signum honoris & præeminentiæ? Respondetur primò, si id honoris gratiâ fiat, tres illius causæ assignantur. 1. quia Paulus plus profuit Ecclesiæ prædicatione, quàm Petrus. 2. quia Paulus Doctor fuit Gentium Petrus Judæorum, Gentiles autem Judæis sunt ante positi: sicque impletum illud: *Major serviet*

minori. 3. quia Petrus vocatus est, a Christo adhuc mortali, & quodammodo in sinistris constituto; Paulus autem de cœlo vocatus est à Christo immortali & sedente ad dexteram Patris. *Petrus Dam. Epist. ad Desid.* Hæc verò dignitas Pauli ab Ecclesia delata nihil officit Primatui Petri, quia datur hæc ob utilitatem & ex gratitudine in ipsum. Sic Stephanus & Laurentius Diaconi, hic S. Sixti Pontificis, ille S. Jacobi Episcopi magni honorantur ab Ecclesiâ, quàm Jacobus & Sixtus, ut patet ex eorum Octavis in officio, quia nimirum clarissima horum Diaconorum martyria toti Ecclesiæ præluxerunt. Respondetur 2dò: Non semper dexteram majoris honoris indicium fuisse, ut constat ex *Eusebio l. 2 de vita Constant.* nec hodiedum apud omnes nationes esse. Respondetur 3tiò: In quibusdam antiquis imaginibus, quæ Romæ visuntur, tenet dexteram Paulus, in quibusdam Petrus, eo forte consilio, ut significarent veteres id quod monet S. Maximus *Serm. ult. SS. Petr. & Paul.* Petrum majorem esse potestate, Paulum verò sapientia *Bellarm. l. 1. de Rom. Pontif. c. 27.*

9. Jam verò Bullis sub forma gratiosa expeditis, hoc est, cum Papa contu-

lit Beneficia habens plenam notitiam de proviſorum habilitate, quæ diriguntur ad ipſos Proviſos, appenditur Plumbum in cordula ſerica rubei & crocei coloris. In Bullis verò executionis, quæ diriguntur ad duos, vel tres in dignitate conſtitutos ad petitionem Proviſi, quibus in ſolidum committitur immiſſio Proviſi in poſſeſſionem, appenditur plumbum cum Cordula canapis; In Bullis etiam in forma dignum expeditis, quæ diriguntur ad Ordinarium, iisque mandatur de providendo, appenditur Plumbum cum Corda canapis. *De Roſa de Execut. lit. Apoſt. l. 1. c. 2. n. 70. & ſeq.*

10. Bullæ plumbatæ traduntur Collectoribus plumbi, qui pecuniam ſecundum taxam illis debitam à ſollicitatoribus exigunt. Poſtmodum unus Jannizerorum, qui tum adeſt, nomen ſuum intra Bullam à latere dextero adſcribit & in fidem officii ſui publici addit *N. ſollicitavit & tantum expoſuit*, calculando omnes impenſas in expeditioue factas, adeò ut Oratores abſentes vix decipi poſſint. Inde per aliquem è Scriptoribus vel eorum famulum ad Regiſtrum Bullarum portantur, ubi uni Regiſtratori

tori ſolvitur taxa ſimilis ſolutæ Scriptoribus, alteri verò Regiſtratori ad hoc deputato ſolvitur Regiſtratura Bullarum plus minusvè pro ut ſunt extenſæ. Is ſolutâ Regiſtraturâ Bullas alteri Regiſtratori in libris publicis deſcribendas, & ad Regiſtrum referendas diſtribuit, Regiſtratæ cum originali auſcultantur, auſcultatis Bullis Magiſter Officii ſeu plumbi à tergo illarum auſcultationis ſuæ fidem facit per verbum : *Auſcultata*, & ſi annatæ non ſunt ſolvendæ, partibus illas ſollicitantibus conſignantur. Si verò annata ſit ſolvenda deferuntur Bullæ per Regiſtratorem, qui eas deſcripſit ad aliquem ex Notariis Cameræ Apoſtolicæ ſimilium Bullarum Receptorem deputatum, qui ſolutâ annatâ, quæ ad Pontificem ſpectat, partibus ſollicitantibus easdem tradit. Ita fere Veſtrius *l.* 1. *c.* 4.

§. 5.

De Monetarum valore in Curia Romana.

1.

CUm, ut vidimus capite præcedente in Cancellaria Apoſtolica non ſolum annatæ ſint ſolvendæ de quibusdam Beneficiis

neficiis, sed etiam pro Literis Apostolicis danda sint emolumenta quibusdam Officialibus, subjiciemus hic diversarum monetarum valorem in Camera, Dataria, & Cancellaria receptum pro informatione exterorum, qui in Curia Romana aut gratias impetrarunt aut alia negotia expediri cupiunt. Reducitur vero omne monetæ genus Romæ à Dataria ad Ducatos auri de Camera. *Corrd. prax. Disp. Apost. l. 9. c. 4. n. 50.* Quod si ponatur simpliciter Ducatus non addendo de Camera attenditur valor currens in loco Beneficii. *Garc. p. 5. de Benef. c. 3. n. 147.*

2. Quinque *quatrini* constituunt Romæ unum *Bajocchum* qui æquivalet Neapoli *Grano*, vel *Obolo*, vel *Tareno* Regni. *Nicolius in Flosc. V. Taxa.*

Bajocchi decem constituunt Romæ *Julium* à tempore Julii secundi, vel *Paulum*. *Corrad. prax. Benef. l. 2. c. 13.*

Decem *Julii* vel *Pauli* constituunt Romæ unum *Scutum*.

Tredecim *Julii* constituerunt ante tempora Pauli V. unum *Scutum auri* in auro octo stamparum; Exinde undecim *Julii*, ut constat ex ejus Constit. *universi*

versi agri §. 3. n. 7. & nonnunquam quin-decim. Corrad. l. c.

Solidus unus in jure est, ac juxta communem usum loquendi in Curiâ Romanâ *Scutum unum auri* in auro cusum, qui *nummus aureus* dicitur. Abb. in c. Conquerente de offic. Ordin. Corred. in prax. Dat. Apost. l. 9. c. 4. n. 46.

Unum *Scutum auri* in auro octo stamparum, & unus *Julius* argenteus constituunt *Ducatum auri de Camera.* Corr. prax. Benef. l. 2. c. 13.

Ducatus auri de Camerâ æquiparatur *Ducato Florentino* Ibid.

Ducatus Florentinus æquiparatur *Libræ Turonensi.* Ibid.

Libra Turonensis valet unum *Florenum auri.* Ibid & Reg. 25. Cancell.

Florenus aureus est *Ducatus auri de Camera.* Ibid.

Ducatus Hungaricus (quo nomine omnes alii Ducati in Imperio & Belgio cusi nominantur) tempore Innocentii X. & Alexandri VII. valebat Romæ *septendecim Julios.*

3. *Valor monetæ cujusque regionis ex libro Cancellariæ Apostolicæ excerptus*

cerptus, & impressus Lugduni anno 1549.

Libra Turonensium parvorum valet Ducatum unum auri de Camera.

Tres libræ Turonensium Monetæ in Francia faciunt duos Ducatos.

Tres libræ Majoricen. faciunt pariter duos Ducatos.

Libra Barchinonen. Jaccen. Valentin. quælibet facit Ducatum unum.

Tres libræ monetæ Normandiæ valent duo scuta non antiqua.

Libra monetæ Britaniæ valet minus, quam Ducatus, quia decem libræ valent Ducatos octo.

Libra Parisien. valet modicum minus libra Brjtaniæ, & modicum plus monetæ Franciæ.

Libra monetæ Sterlingorum in Scotia valet Ducatos duos cum dimidio.

Libra monetæ usualis in Scotia valet Ducatum unum auri, & tres libræ similes valent tres Ducatos, qui faciunt unam libram Sterlingorum.

Libra Sterlingorum in Anglia valet Ducatos sex, reducta tamen ad Ducatos quatuor.

Libra monetæ Meten. valet Ducatum unum auri.

Libra

Libra monetæ Flandriæ valet Ducatos tres.

Tres franchi Franciæ faciunt Ducatos duos.

Florenus Rhenensis auri valet grossos Papales octo, & computantur in Camera Apostolica quatuor floreni pro tribus Ducatis.

Florenus Sabaudiæ valet Bajocchos II. duo floreni cum dimidio, & unus grossus Sabaudiæ facit Ducatum unum.

Floreni septem Rhenen. ad rationem quadraginta grossorum monetæ Flandriæ pro quolibet, faciunt Ducatos quatuor.

Floreni tres regni Navarræ valent Ducatum unum auri.

Floreni tres monetæ Provinciæ faciunt Ducatum unum.

Marcha Sterlingorum in Anglia valet Ducatos quatuor.

Marcha Sterlingorum in Ibernia valet Ducatos duos cum dimidio.

Marcha argenti valet Ducatos quinque auri de Camera.

Marcha argenti puri valet Ducatos sex similes.

Marabatini in Hispania 400. faciunt Ducatum unum auri, solet tamen augeri & minui pretium. Mille Marabatini

ni valent Ducatos duos cum quart. 3. alterius Ducati.

Scutum antiquum Franciæ valet Ducatum unum.

Scutum novum auri Franciæ valet Ducatum unum minus uno grosso Papali, & sic computantur in Cam. Apostolica.

Salutrin. valet Ducatum unum auri.

Uncia valet Ducatos sex auri

Florenus Carolen. valet medium Ducatum.

Florenus Brabantiæ valet medium Ducatum.

§. 6.

De Auditorio Contradictarum.

1. *Qui audiantur in hoc Tribunali.*
2. *Quod dicitur publicum.*
3. *Quales Literæ per hoc auditorium dentur.*
4. *Conceduntur expeditiones ordinariæ.*
5. *Primus Officialis hîc est Auditor Contradictarum.*
6. *Est deinde Corrector Contradictarum.*
8. *Duo Lectores.*
9. *Quatuordecim Procuratores.*
10. *Nunc Literæ ab hoc Auditorio aliàs petitæ, expediri solent per Secretariam.*

1.

EST præterea in Cancellaria aliud Tribunal seu Auditorium, quod Contradictarum vocant, in quo audiuntur ii, qui ob impetrationem gratiæ alicujus vel Justitiæ in Provinciis expeditioni se opponunt, & excipiunt vel contra personam Judicis, vel locum agendi Judicii, vel gravari se conqueruntur in re aliqua impetrationem illam concernente.

2. Hoc Auditorium dicitur quoque publicum, quia in eo res quæ publicari debent, ut sunt acceptationes expectantium juxta Regulam *de publicandis acceptationibus*, Resignationes Beneficiorum juxta Regulam *de publicandis Resignationibus*, Literæ tum justitiæ, tum mixtæ ac meræ gratiosæ in quibus dantur Judices vel Executores cum clausula: *Vocatis vocandis*, per Lectores ad hoc deputatos quasi per Præcones altâ & intelligibili voce legi solent, ideoque hoc Auditorium vocavit Eugenius quartus *Vocem Præconis*, & si quæ in eo publicentur tanquam gesta, censentur omnibus esse nota. Quare mos est in Judiciis, ut citationes, quæ per edictum publicum ob non tutum ad citandos accessum, decer-

decernuntur, in hoc Auditorio prius publicè legantur, & deinde ut magis innoteſcant in valvis Baſilicæ S. Petri, aliisque Eccleſiis vicinis illis qui citantur, affigantur, quæ publicationes & affixiones arctant citatum ad comparendum, ut ſi non compareat pro contumace victo reputetur. Præterea ſolent Judices Rom. Cur. ſi quem abſentem legitimè citatum reputent pro contumace, alteri parti comparenti facultatem concedere citandi contumacem per hoc Auditorium, quam facultatem vocant : *Proceſſum per audientiam Contradictarum.*

3. Solet quoque Cancellaria per hoc Auditorium ad Judicis decretum Literas Judiciales, quas vocant majoris juſtitiæ, ut ſunt Remiſſoriæ, Sequeſtratoriæ, Executoriales, Interdictoriæ, & Brachii ſæcularis invocatoriæ litigantibus dare ſub Plumbo & nomine Pontificis, poſtquã tamen Procurator Audientiæ totum revidit Judicis proceſſum, eumque in Auditorio retulit & Auditorium eundem approbavit.

4. Ab hoc quoque Auditorio petuntur & impetrantur, pleraque illa quæ minoris Juſtitiæ, & ordinariæ expeditiones dicuntur, ut ſunt : Simplices cauſarum Commiſſiones in forma conqueſtus,

ſtus, Commiſſiones appellationum in formâ: *Cum à nobis*: Confirmationes libertatum & immunitatum familiæ alicujus, vel loci, in forma: *Cum à nobis*. Confirmationes concordiarum & tranſactionum; Fundationis alicujus Altaris ac reſervationis Juris Patronatus. Confirmationes Beneficiorum ad modum novæ proviſionis. Translationes Profeſſi alicujus regularis de uno ordine ad alium. Dantur etiam in hoc Auditorio Literæ Revocatoriæ eorum, quæ per uſuram geſta ſunt, alienationem rei Eccleſiaſticæ concernentia & eorũ omnium quæ contra aliquem ad Sedem Apoſtolicam venientem poſt arreptum iter ſunt patrata. Item literæ ad Ordinariũ ut promoto ad ſacros ordines Diœceſano ſuo de Beneficio provideat. Literæ conſervatoriæ privilegiorum, item contra Laicos moleſtantes Clericos, contra prædones & inferentes extra judiciales moleſtias, contra Parochianos non ſolventes decimas, & ſimiles. *Veſtrius l. 1. c. 5.*

5. In hoc Tribunali primus Officialis eſt Auditor Contradictarum, qui tanquam Judex ordinarius contradictiones audire & definire ſolet. *Veſtr. l. c.* ſubſcribit etiam Bullas omnes quæ dantur cum clau-

clausula *Vocatis*, quæque dicuntur *Si in evidentem.* Vestitur habitu Prælati, coloris violacei cum Rochetto, & in Capellâ Pontificiâ locum obtinet inter Prælatos. *Lunadoro.* Olim amplissima erat ejus dignitas & post Cardinales & Vice-Cancellarium primas obtinebat, nunc verò cum antiquata sit ferè ejus jurisdictio, plurimùm quoque diminutus est gradus ejus dignitatis. *Host. in Clem. Auditor de rescrip.*

6. Præter Auditorem est Corrector Contradictarum, & est quasi substitutus Auditoris, cujus Officium est corrigere Bullas quæ expediuntur per Auditorem. Emitur hoc Officium 12. millibus Scutatorum, pro reditu annuo profert 1200. Scutata. Vestitur quoque ut Prælatus colore violaceo cum Rochetto, & locum habet in Capella. *Lunadoro.*

7. Habet præterea hoc Auditorium duos Lectores qui ex Scriptoribus Apostolicis eliguntur, & Lectores Audientiæ Contradictarum vocantur, à quâ singuli stipendium habent menstruum quatuor Ducatorum, Officium eorum colligitur ex supra dictis *num.* 2.

8. Sunt deinde duo Notarii, alter ad obsequium Vice Cancellarii, qui publica-

tiones, citationum literarumque lectiones, quæ quotidie in hoc Auditorio fiunt, annotat. Alter ad servitium Auditoris, qui Actuarius est causarum, quæ coram Auditore ventilantur.

9. Præter hos sunt in Auditorio hoc quatuordecim Patroni seu Procuratores partium vel impetrantium, quorum Officium est omnes literas, quæ in eo expediuntur dictare, easque supplicibus vel litigantibus, retentis juxta taxam debitis solutionibus, nomine Pontificis & sub plumbo expeditas dare.

10. Nunc verò solet Signatura in Rescriptis justitiæ mixtis, ac pluribus etiam merè gratiosis in istâ literarum expeditione dispensare, ut possint ejusmodi literæ per Secretariam sub annulo Piscatoris expediri, ad quam proinde magnus est petentium concursus, ut Auditorium hoc maneat ferè otiosum & desolatum. *Vestrius l. c.*

CAPUT XI.

De Regulis Cancellariæ, earumque origine & auctoritate.

1. *Qui Regulas has confecerint.*
2. *Quotuplices sint.*
3. & 4. *An constituant ius universale.*

5. 6. 7

5. 6. 7. *Constituunt universale.*
8. *Sed novum.*
9. *Quia carent perpetuitate.*
10. *Et publicatione.*
11. *Regulæ mutantur, ideo sub plumbo peti debent, ut probent.*
12. *In Regulis notis non est necessaria tanta cautela.*
13. *Cur dicantur Reg. Cancellariæ.*
14. *An sententia contra Reg. Concellariæ valeat.*

1.

REgulas Cancellariæ primus, ut traditur, dedit & hoc nomine appellavit Joannes XXII, quas deinde Successores Rom. Pontifices auxerunt & declararunt. Nam Nicolaus V. novas proposuit aut certè priores meliorem in ordinem redegit, quæ ubique in usu & observantia fuerunt usque ad tempora Innocentii VIII. Hic anno 1484. 30. Aug. reservationes quasdam Beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum, Constitutiones item & Regulas præscripsit publicavitque per Rodericum Episcopum Portuensem S. R. E. Vice-Cancellarium, quæ appellatæ sunt *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ.* vel quod magna illarum pars concernàt literarum expeditionem, quæ fit in Cancellaria, vel quod

in ea illæ publicentur. His additæ subinde sunt aliæ quædam à Julio II, Clemente VII. Paulo III, & Paulo V. *Strein. in Prol.* §. 11.

2. Sunt vero duplicis generis, nam aliæ Regulæ dicuntur *de Dandis*, ut habet textus, dum requirit *Cedulam, cui stare debeant Judices à duobus majoris Præsidentiæ signatam, quod dandasit*, & expediuntur sub plumbo in forma aliarum Bullarum præmissa supplicatione ad Papam. Aliæ non sunt de Dandis, nec solent partibus communicari, quia dant formam solis Officialibus Cancellariæ, quo ad expeditiones literarum. *Chokier in Rub. Reg. Canc.*

3. Constitutiones in Regulis Cancellariæ contentas observari in Curia & Cancellaria, docet quotidiana praxis; Sed controvertitur, an jus faciant universale in toto Orbe Christiano observandum. Negat Salas. 1. 2. *tract.* 14. *disp.* 21. *Sect.* 1. *n.* 7. cum Anchar. Zabarel. Jas. Belanz. Decio. Affirmat Chokier *in Tit. Reg. Canc. n.* 17. cum præstantissimis Jurisconsultis & Rotæ Auditoribus.

4. Distinguit & conciliare conatur utramque sententiam Ludov. Gomes *in Proœm.*

ni

Proœm. Regul. Cancel. dicendo Regulas *de Dandis* jus facere universale, secus vero illas, quæ non sunt de dandis ; Verum de non dandis videtur certum non constituere jus universale, quia hæ solis Officialibus Cancellariæ præscribunt normam, qua expediri debent literæ in Cancellaria, & ad hunc determinatum & particularem effectum locumque restrictæ sunt, adeoque petentibus dari non solent, nec extra Curiam ligant. Quæstio ergo instituitur de Regulis, quæ *de Dandis* dicuntur.

5. Dicendum videtur cum Valente *Concord. Jur. Pont. in tit. 2. de Constit. 5. Sect. 3.* Jus constituere generale, sed novum novo modo formaq; ex Papæ dispositione introductum. Quod constituant jus universale testantur decisum esse sæpius in Rota præclarissimi Rotæ Auditores. Nicolaus Milis *in Repert. V. Lex.* Felin. *in c. 2. de Rescript. & in c. Quod super his de fid. instrum. coll. 3. Concl. 2.* Franciscus Patavinus *in Præl. Extrav.* aliique apud Gomes.

6. Et evincunt rationes. 1. Quia ex persona Conditoris metienda est lex, an generalis sit, vel specialis. *c. fin. de Const. in 6.* Conditor vero harum Regu-

larum est Pontifex, qui generalem habet jurisdictionem in toto Orbe: 2. Materia legis modificat legem & determinat limites illius, odiosa namque restringit, favorabilis ampliat legem. *Reg. Odiosa de Reg. in* 6. sed materia Regularum Cancellariæ, ut sunt Beneficia, dispensationes, aliæque gratiæ Pontificiæ est favorabilis; Ergo extenditur ad omnes toto Orbe Summo Pontifici subjectos. 3. Ab his Regulis excipiuntur Cardinales *Felinus.* Ergo cæteri omnes comprehunduntur, nam exclusio unius est inclusio alterius. *l. Cum Prætor ff. de Judic.* adeoque constituunt jus universale.

7. Ideo S. Congregatio ejusmodi fecit Decretum anno 1607. *S. C. censuit, inhærendo decreto alias facto sub die* 11. *Jan.* 1600. *præcipiendum Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Pharen. ut in posterum omnino abstineant ab electione, nominatione seu præsentatione ad Canonicatus, & dignitates ejusdem Ecclesiæ vacantes in mensibus reservatis S. D. N. obstantibus clarissimè Regulis Cancellariæ. Immo sic electos male & nulliter provisos declaravit. Insuper ut etiam abstineant ab electione, nomi-*

natio-

natione, seu præsentatione ad eosdem Canonicatus, & dignitates vacantes mensibus Ordinarii, si quod tamen deducere pro eorum prætensione quo ad vacantes in mensibus Ordinarii voluerint. deducant infra bimestre.

Monendum etiam per literas Archi-Episc. Spalaten. Metropolitanum Ecclesiæ Pharen. ne amplius in posterum audeat confirmare electiones Capituli & Canonicorum Pharen. de Canonicatibus & dignitatibus Ecclesiæ Pharen. neque in mensibus reservatis, neque Ordinarii. Imò Arguen. male se gessisse confirmando tales electiones. Octavius Card. Bandinus 16. *Maj.* 1607. Nicolius *Can. l. 5. tit. 41 ex Lesina.*

8. Quod vero hoc Jus sit novum, & non ejusdem modi ac formæ, qua Jus antiquum fuit institutum, patet ex eo quod careat perpetuitate & publicatione, quæ necessario requirit communis forma & modus juris generalis. *Arch. in c. Donatum 1. q. 7. & DD. communiter in l. Edicta C. de edendo. S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 4.*

9. Perpetuitate carent hæ Regulæ, quia morte cujuslibet Papæ illas promulgantis

gantis extinguuntur, cum in Procœmio dicatur: *Suo tempore duraturis*: Ergo durant solum tempore vitæ, nec extenduntur ultra. *Simoneta de Reserv. q.* 58. quia voluntas expirat cum Conditore. *c. si gratioſe de Reſcrip. in 6.* ideoque Sede vacante possunt Episcopi ex jure communi Beneficia vacantia conferre, nisi per Concordata Germaniæ, aliavè ratione affecta sint Pontifici, aut si Beneficia, quæ Sede vacante vacarunt nondum ab Ordinariis sint collata, & de novo sibi reservet. *Chokier. in Proæm. Wagenereckl. t. 5. de Præb. & Reg. Cancell.*

10. Promulgatione etiam debita carent, quia nonnisi in Curia Romana promulgantur Quæ autem generaliter obligant, jure antiquo generaliter quoque promulgari debent, ut omnibus innotescere possint, cum ignorantes non obligentur. *c. Cognoscentes. c. ut animarum de Constit.* Quinimo nec ulla est necessaria publicatio Regularum, ut effectum suum saltem aliquem sortiantur, nimirum effectum nullitatis actus in contrarium gesti, licet non quoad culpam & pœnam. *Æneas de Falconibus Tract. de rei serv. p. 4. n. 21. & 22. Gometius in Proœm. Regul. q. 2. §. 4. Pro ista* cum Glossatore asserit ante publicationem Regularum novum

novum Pontificem ſtatim ac aſſumptus eſt Regulis virtutem ſuam tribuere, ita ut ſi vacaret Beneficium poſt Pontificis creationem & ante Regularum promulgationem, id non caderet ſub expectativis Prædeceſſoris, quia hæ per Regulas Cancellariæ cenſerentur revocatæ, prout deciſum fuiſſe ſuo tempore in Rota idem teſtatur. Cæterum ordinariè fieri ſolét Regulæ Cancellariæ die immediate ſequenti Aſſumptionem novi Pontificis. Atque ita hoc Jus Regularum ſecundum antiquum & communem modum non eſt inſtitutum.

11. Cum ergo hæ Regulæ uſu ſic exigente ſoleant mutari, atque ita pro mutatione temporum fieri expediat. *c. Non debet de Conſan. & affin. l.* 16. *Cum quæritur ff. de Adminiſt. & peric. Tuto. l.* 27. *in Cauſ. ff. de Procur.* Ne ob hanc mutabilitatem dubia & lites oriantur, petendæ ſunt ſemper à Vice-Cancellario ſeu Regente Cancellariæ in Bulla ſub plumbo, ut extra Curiam in judiciis fidem faciant. Debent vero eſſe à tergo ſignatæ & à duobus aliis Abbreviatoribus in ipſa Cancellaria auſcultatæ, & Vice Cancellarii ſeu Regentis manu ſubſcriptæ. *Reg.* 28. *Cancellariæ* alias ex ordinatione Papæ

Papæ non ligant, & sententia vigore earum lata esset nulla. *Alph. ad Reg. 20.*

12. Existimat tamen Chokier *in Reg.* 28. *n.* 18. secutus Glossatorem non necessario observari extra curiam formam in illa Regula præscriptam in Regulis notis & usitatis, quæ per libellos Regularum in Camera Apostolica Romæ impressos probari possunt. *Wagnereck. in Reg.* 8. quia ejusmodi libelli imprimuntur quasi in præsentia Principis ibi præsentis, in qua non præsumitur aliquid fraudulenter actum. *Arg. l. Omnibus C. de Fest.* In Curia vero sufficit, quod dentur per Vice-Cancellarium, & semel in judicio productæ possunt pro quacunque causa repeti habita productionis semel factæ sufficiente fide.

13. Nec obstat supradictis 1. Quod dicantur Regulæ Cancellariæ, quasi sint locales, & Cancellariâ solum Romanâ circumscriptæ, quia sic appellantur, vel quod magna illarum pars concernat literarum expeditionem, quæ fit in Cancellaria, vel quod in ea publicentur, & registrentur, quod non impedit quominus Regulæ sint generales. *l. 56. Insula ff. de acquir. rer. dom.* quemadmodem jus Prætorium dicebatur à Prætorio, in quo jus

jus dicebatur, & tamen est jus universale. *l. 35. inhonorariis ff. de act. & oblig.*

14. Nec obstat 2. Quod sententia contra Regulam Cancellariæ etiam allegatam, non tamen productam valeat. *Felin. in c. 1. de sentent. & re jud.* Et ut actus contra Regulam Cancellariæ irritetur necessaria sit Regulæ prohibentis impetratio, allegatio, in actis productio & Registratio. *Chokier in Reg. 26. n. 6.* Si autem legem constituerent generalem, jam ipso jure sententia contra illas lata esset nulla. *l. 32. Cum prolatus ff. de re jud. & c. Cum inter de sent. & re judic.* Nam respondetur, quod nec sententia lata contra Extravagantes est ipso jure nulla, & tamen formam servant juris generalis communem. Felinus & Canonistæ communiter *in c. de sent. & re judic. & c. Pastorolis de fid. instrum.* quia cum Extravagantes extra Corpus juris minus notæ sint, & multæ incertæ circumferantur, ne sententiarum valor identidem esset incertus, merito sententia contrà Extravagantes lata non repudiatur tanquam nulla. Cum autem Regulæ Cancellariæ quoque non ubique æque notæ sint & mutari soleant, etiam in his idem admittendum erit. Hæ vero Regulæ non comprehenduntur sub gene-

generalibus derogationibus etiam motu proprio, & ex certa scientia factis, nisi fuerit de illis expressa mentio. *Reg.* 71.

CAPUT XII.

1 Regulæ, 2 Ordinationes, & 3 Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ SS. D. N. INNOCENTII Divina Providentia PP. XII.

Brevibus notis inspersæ.

1. *Regulæ* dicuntur, quod respiciant substantiam agendorum.

2. *Ordinationes*, quod modum & ordinem dent agendorum.

3. *Constitutiones*, quod obligent sub culpa & pœna; Cum enim diversa sint nomina, diversæ quoque erunt significationes.

4. Antea dictus Antonius Pignatelli fuit Cardinalis & Atchi-Episcopus Neopolitanus.

Proœmium.

SANCTISSIMUS in Christo Pater, & D. N. D. INNOCENTIUS Divina Providentia Papa XII. suorum Prædecessorum vestigiis inhærendo, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens 1 *in crastinum suæ* 2 *Assumptionis ad summi Apostolatus apicem,* 3 *videlicet, die tertia decima mensis Julii anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo primo*

Refer-

Reservationes, Constitutiones, & Regulas infrascriptas 4 *fecit, quas etiam* 5. *ex tunc,* 6 *licet nondum publicatas,* 7 *Et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vice Cancellarius die vigesima prima ejusdem mensis in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.*

1. *In crastinum*, id est die sequenti, *Alphons. in proœm.*

2. *Assumptionis*, id est, electionis, tunc enim statim administrat. **DD.** *in c. Licet de Elect.*

3. *Videlicet*, refertur ad *in crastinum*, quia electus est die 12. Julii, adeoque die decimotertio has Regulas edidit.

4. *Fecit*, quia licet plerasque Prædecessores quoque præscripserint, cum tamen expirent cum morte decedentium, de novo fieri ab electis censentur.

5. *Ex tunc*, id est statim à dicta die 13. Julii, qua factæ sunt.

6. *Licet nondum publicatas.* Hæc non reperiuntur in Regulis Innocentii VIII, & Pauli V. *Chokier*, hic ponuntur ad tollendam controversiam DD. an hæ Regulæ incipiant ligare à die electionis, an vero publicationis.

7. *Et suo tempore duraturas*, verbum *duraturas* non est in Regulis Innocentii VII, licet fuerit in Prædecessorum ejus *Chokier.* Cum vero *suo tempore* tantum duraturæ sint, morte Papæ exstinguuntr hæ Regulæ, ideoque tunc poterunt

Episcopi

Episcopi ad jus commune redeuntes conferre Beneficia, usque dum novus Pontifex novas fecerit Regulas, nisi ea alia ratione v. g. per concordata Germaniæ affecta sint Papæ.

REGULA I.

1 Reservationes generales, 2 & speciales.

3 *In primis fecit easdem Reservationes, quæ in Constitutione fel. recor. Benedicti* PP. XII. *quæ incipit,* Ad regimen, *continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi Officiales in eadem Constitutione express. Apostolicæ Sedis Officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarat nihilominus Beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, & quandocumque assecuti fuerint sub hujusmodi Reservationibus comprehendi. Ac reservavit Beneficia, quæ per Constitutionem piæ mem. Joannis* PP. XII. *quæ incipit,* Execrabilis, *vacant, vel vacare contigerint. Quam Constitutionem, & Reservationem S. S. tam ad Beneficia obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, & disponent in futurum extendit, & ampliavit,*

& ea etiam Beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra eosdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, &c.

1. Reservatio est Beneficii alicujus Ecclesiastici vocaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio. *Simonet. de Reserv. q.* 1.

2. Est duplex *generalis*, qua reservantur plura Beneficia ejusdem generis, *& specialis*, qua reservantur certa Beneficia ratione loci, Beneficii, vel personæ. *Azor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 36. *q.* 3.

3. *In primis.* Hæc prima Regula aucta est per Sixtum V. quem deinde secuti sunt Succeessores in duobus. Primò, quod ultra Reservationes Benedicti XII. & Joannis XXII. Regula ampliata sit ibi: *Declarans nihilominus* &c. usque ad illa verba: *Ac servavit*, ad tollendum dubium, circa quod in utramque partem decisum fuerat diversis temporibus in Rota. *Garc. de Benef.* 5. *part. c.* 1. *n.* 200. Secundo quod adjecta sit appendix: *Quam Constitutionem* &c. ut præter dictas Reservationes, etiam hæc in appendice contenta induceretur ob non servatam Constitutionem Pii V. datam 16. Maji 1566, quæ conformis est Concilio Trid. *Sess.* 24. *c.* 18. *Chokier.*

REGULA II.

Reservatio Cathedralium Ecclesiarum & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatuum, vacaturorum Beneficiorum.

2. *Item*

Item reservavit 1 *generaliter omnes Eccle-*
sias Patriarchales, 2 *Primatiles, Archi-Episcopa-*
les, Episcopales, nec non 3 *omnia Monasteria Vi-*
rorum, valorem annuũ 4. *ducentorum florenorum*
auri 5 *communi æstimatione excedentia, nun*
quomodocumque vacantia, & imposterum va-
catura 6. *Et voluit, quod excessus hujusmo-*
in literis exprimatur 7. *Ac etiam reservavit Di-*
gnitates, & Beneficia omnia ad Collationem,
præsentationem, electionem, & quamcumque
aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum
Archi-Episcoporum, & Episcoporum necnon
Abbatum, ac aliorum quorumcumque Collato-
rum, & Collatricum sæcularium, & regula-
rium quomodolibet (non tamen ad collationem
cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius pre-
sentationem, vel electionem pertinentia) que
post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Mo-
nasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum
dimissionem, seu amissionem, vel privationem
seu translationem, vel alias quomodocumque
vacaverint, & usque ad provisionem Successorum
ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Digni-
tates Apostolica auctoritate faciendam, & ad-
eptam ab eisdem Successoribus pacificam illorum
possessionem quomodocumque vacaverint, &
vacabunt in futurum. Decernens irritum, &

Prima pars Regulæ non habet locum in Germa-
nia & Gallia propter Concordata cum S. Sede inita
servat

servatis tamen modificationibus in iis comprehensis. Sed neque secunda pars Germanos ligare videtur, cum Collatores Beneficia ad se spectantia, quæ Sede vacante contigerit vacare, liberè conferant.

1. *Generaliter*, in Regula Innocentii VIII. est *specialiter*. Cum ergo nunc reservatio sit generalis, debet nunc in expeditione literarum expressa fieri mentio de ea juxta Reg. 56. infra ponendam.

2. *Primatiales*, hæc vox non habetur in Regula Innocentii VIII, sed addita est à Successoribus majoris claritatis & dubii tollendi gratia.

3. *Omnia Monasteria Virorum*, puta solita commendari, & Consistorialia dicuntur.

4. *Ducentorum florenorum auri*, secundum taxam Cameræ Apostolicæ sunt 150. Ducati, seu 300. Daleri Imperiales, quia in Camera Apostolica computantur quatuor floreni auri pro tribus Ducatis.

5. *Communi æstimatione* ideo tametsi Monasterium taxetur in Camera 200 Ducatis, communi vero æstimatione valeat solum centum, non censetur reservatum, nisi aliud obstet. *arg. l. de pretii ff. de public.*

6. *Et voluit, quod excessus hujusmodi in literis exprimatur.* Reposita hæc sunt in locum clausulæ: *Quotiescunque illis uti voluerit*, quæ fuit in Regula Innocentii VIII, ut averteretur dubium, quod oriri poterat, an in Regula de valore comprehenderentur etiam Monasteria.

7. *Ac etiam reservavit* &c. usque ad finem, addita est hæc reservatio à Pio V. quam deinde

Succeſſores ejus ad hæc uſque tempora ſuis quoque Regulis inſeruerunt.

8. *Uſque ad proviſionem* &c. hoc eſt quouſque literæ confirmationis, inſtitutionis, aut proviſionis Apoſtolicæ ſint expeditæ & præſentatæ Capitulo vel Conventui. *Gonzalez ad Reg. 8. Cam. gloſſa 51. n. 52.*

REGULA III.

Extenſio reſervationis Beneficiorum per aſſecutionem pacificam vacaturorum.

Item, ſi qui de Beneficiis Eccleſiaſticis præſertim curam animarum habentibus, ſeu alias perſonalem Reſidentiam requirentibus, dum pro tempore vacant 1. *Apoſtolica auctoritate proviſi, ſeu providendi, ante illorum aſſecutionem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica per eos tunc obtenta in fraudem reſervationis ſuæ reſignarent, ſeu dimitterent, voluit, decrevit, & declaravit, quodſi imperterum quibusvis perſonis de aliquibus Beneficiis Eccleſiaſticis, tunc vacantibus, ſeu vacaturis per Sanctitatem ſuam, aut ejus auctoritate provideri, ipſos-*

ipsosque providendos intra vacationis, & provisionis, seu assecutionis eorundem Beneficiorum tempora, quæcumque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica sæcularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos tunc obtenta nulla speciali, & expressa de eisdem in provisionibus prædictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, & singulæ concessiones, collationes, provisiones, & quævis aliæ dispositiones de Beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendæ cum inde sequutis quibuscumque cassæ, & irritæ nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed

Beneficia, & jura, ut præfertur resigna-
ta, dimissa, & cessa eo ipso vacent,
ac sub reservatione prædicta, quam
Sanctitas sua, etiam quoad hoc exten-
dit, & ampliavit, comprehensa cen-
seantur. Ita quod de illis per alium,
quam per eandem Sanctitatem suam,
vel pro tempore existentem Romanum
Pontificem nullatenus disponi possit, in
omnibus, & per omnia perinde, ac si
per pacificam assecutionem Beneficiorum
aliorum hujusmodi verè, ac realiter
vacavissent. Ac ulterius voluit Bene-
ficium, de quo resignans fuerit aucto-
ritate Apostolica provisus, ac per cujus
assequutionem Beneficia vacare debe-
bant, ut prius vacare, perinde, ac si
collatio favore resignantis facta non
fuisset, salvis tamen quibuscumque ju-
ribus competentibus alteri parti, ad
cujus favorem facta esset resignatio,
etiam ex causa permutationis, sum-
mariè, simpliciter, & appellatione re-
mota exercendis. Decernens irritum,
&c. attentari.

I. Apo

1. *Apostolica auctoritate provisi.* Regula ergo intelligenda est de assecutione incompatibilis, quæ contingit auctoritate Apostolica, ut tunc non possit fieri resignatio primi coram Ordinario in fraudem reservationis, sed hoc simpliciter dimitti debet, & est reservatum. *Garz. p* 11. *c.* 5. *n.* 58. Sed si secundi assecutio fiat auctoritate Ordinarii, secundum ordinem juris, ex verbis Regulæ videtur fieri posse pura resignatio primi coram eodem. *Rosa de execut. lit. l.* 1. *c.* 5. *n.* 89. quia hæc permittitur à Pio V. in Constit. *Quanta.* Et dispositio hujus Regulæ non est extendenda ad alium casum, cum sit odiosa. Nihilominus tamen contrarium expresse decisum habetur in Rota *per Rub. collectarum, & in dec.* 241. quæ fuit in *Regien. Presbyteratus* 28. *Maji* 1657. Apud Rosam l. c. n. 90.

REGULA IV.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum, & S. R. E. Cardinalium familiarium, Beneficiorum.

Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes 1 *Dignitates majores post Pontificales, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, &* 2 *Patriarchalibus, nec non valorem* 3. *decem florenorum auri communi æstimatione excedentes* 4 *principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam* 5 *Prioratus,* 6 *Præposituras, Præpositatus,*

tatus, ac alias Dignitates Conventuales, & 7 *Præceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non militarium,) ac quæcumque Beneficia, quæ sui,* 8 *etiam dum Cardinalatus fungebatur honore existentes, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium familiares* 10 *continui commensales obtinent, & imposterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem vel alias recessèrint.* 11 *Declarans Dignitates, quæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales non majores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis Indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quovis modo in quibuscumque Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur sub reservatione prædicta comprehendi debere. Decernens irritum, &c.*

1. *Dignitates majores.* Tales dicit esse Mandosius ad hanc Reg. q. 3. quæ sunt electivæ, habentque administrationem bonorum temporalium, & prærogativam in stallo Chori, & loco, ac voce Capitulari. Respicienda tamen est consuetudo, cui omnino hac in re standum est. *Glos. in c. Deliberatione de Offic. Leg. in 6.*

An autem, si una tantum sit Dignitas post Pontificalem, aut una solum principalis in Collegiata, ea etiam sic reservetur, contravertitur. Ne-

gat Gonzalez *ad Reg.* 8. Cardinalis *Conſt.*30. *n.* 7. Geminianus *Conſ.* 36. & Mandoſius hic q. 5. quia Papa non præſumitur voluiſſe privare Collatores uno ſuo lumine, nec majoritas propriè eſt, ubi una tantum eſt Dignitas. Affirmat validè Simonetta *de Reſerv. Benef. q.* 85. *n.* 5. *& ſeqq.*

2. *Patriarchalibus.* Hæc dictio non fuit in Regula Innocentii VIII, addita vero eſt à Succeſſoribus ad tollendnm dubium, an major Dignitas poſt Patriarchalem per hanc Regulam reſervetur.

3. *Decem florenorum auri,* qui conſtituunt ſecundum taxam Cameræ ſeptem Ducatos, & paulo amplius.

4. *Principales in Collegiatis,* in quibus eliguntur Præpoſiti ex Canonicis Cathedralium Eccleſiarum, horum utique dignitates ſunt reſervatæ, ſic deciſum eſſe in Rota, ait Gloſſator.

5 *Prioratus,* nimirum Conventuales, ut patet ex ſubjecta clauſula: *Ac alias dignitates conventuales.* Eſt enim Prioratus dignitas. *Abb. in c. Niſi eſſent de Presb. & in c. Cum terra de elect.*

6. *Præpoſituras* ſcilicet Regulares, ſubnectitur enim: *Ac alias dignitates conventuales;* Congregatio vero Religioſorum Conventus dicitur, ſecularium Capitulum. *Abb. in c. Niſi eſſent de Presb. & in c. cum terra de elect.* Si tamen Præpoſituræ perpetuæ ſint. *Mandos q.* 10. *n.* 8. *& ſeq.* In hac ergo reſervatione comprehenduntur Monaſteria Fratrum, quæ non reguntur per Abbates, quæ enim per hos reguntur comprehenduntur in Regula 2.

7. Præ-

7. *Præceptorias*, nempe Religiosorum, quæ dantur in Titulum seu administrationem perpetuam; Nam militares, ut sunt Ordines S. Jacobi de Spata, de Alcantara, de Calatrava, S. Joannis Hierosolymitani, S. MARIÆ Teutonicorum, aliæque similes eorum, qui militant pro fide Catholica hic excipiuntur. *Paris. cons.* 36. *l.* 1 *n.* 14. *& seqq.*

8. *Etiam dum Cardinalatus fungebatur honore existentes.* Hæc verba non habentur in Regulis Innocentii VIII; Postmodum vero apposita sunt ad tollendum dubium, an istorum etiam familiarium Beneficia hic reserventur, quia isti non sunt familiares Papæ, ut supponitur, nec amplius etiam Cardinalis, cum hic elevatus sit ad Papatum, & desierit esse Cardinalis; Sunt ergo horum Beneficia reservata, quia Beneficia semel affecta, manent semper affecta, prout declaravit Paulus V. *Const. ad Romani Pontificis.*

9. *Quæ sui*, Familiares Papæ sunt omnes Referendarii omnesque Officiales, qui panes habent ex Palatio Apostolico (nisi eos accipiant tanquam amici, aut consanguinei, vel ex eleemosyna aliave de causa non ut familiares) Protonotarii Subdiaconi, Auditores Rotæ, Acolyti, Scutiferi, Secretarii, Literarum Apostolicarum Scriptores, Cubiculatii, Conclavistæ ex Const. Sixti V. ac milites S. Petri, & reliqui Officiales Rom. Pontifici deservientes. Non tamen Cardinales, quia licet hi vel maxime videantur esse familiares Papæ, id tamen in favorabilibus tantum est, non in odiosis; Neque etiam sunt continui Commensales Papæ, & licet essent, eos tamen non comprehendit Constitutio, nisi de eis expressa fiat mentio. *c. Ne aliqui de privil. in* 6. 10.

10. *Continui Commensales.* Non ergo reservantur Beneficia Curialium, qui habent certam portionem à Cardinali, ut solum comitatum honestent, nec ad alia servitia familiarium adhibentur. Manent vero continui Commensales, licet absentes sint in negotiis Dominorum suorum animo tamen redeundi. *c. fin. de verb. sign. in 6.* Imo tales habentur, licet in propria causa absint, suisque expensis vivant, dummodo non ultra quinquennium, quia eo casu præsumeretur animi mutatio. *Simonet. de Reserv. q. 35. n. 15.*

11. *Declarans dignitates* &c. Hæc Julius III, aliique ejus Successores addiderunt; Per quam appendicem reservantur dignitates etiam minores in Cathedralibus & Metropolitanis, si in Collegiatis Ecclesiis principalem habuerint præeminentiam, v. g. Præposituram. Verum hæc reservatio sublata est in Germania per Concordata.

REGULA V.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum.

Item reservavit generaliter omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica 1 *quorumcumque Collectorum,* 2 *& unicorum in quacumque Civitate, vel Diœcesi, qui suo tempore* 3 *Officia exercuerint, Subcollectorum fructuum, &* 4 *proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet Beneficia dumtaxat, quæ* 5 *durante eorum Officio obtinebant & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum, &c.*

1. *Quo-*

1. *Quorumcumque Collectorum*, ideoque si sint plures Collectores, simul in una Diœcesi vel Civitate, eorum omnium Beneficia sunt reservata.

2. *Et unicorum*, copulativa *Et* non reperitur in Regula Innocentii VIII, hic vero apponitur ad declarandum *Unicorum*, referri ad *tò Subcollectorum*, quorum unicus tantum debet esse in quolibet civitate vel Diœcesi; Si tamen uno remoto succedat alter, utriusque Beneficia sunt reservata. *Glossator hic.*

3. *Officia exercuerint*, nisi impedimento aliquo detenti fuerint. *Gonzalez ad Reg. 8. glos. 51. n. 71.*

4. *Proventuum Cameræ Apostolicæ debitorū.* Quid si imponatur Subsidium contra Turcas, an illius Collectorum & Subcollectorum Beneficia hic quoque reservantur? Negat Alphonsus Soctus hic in gloss. quia isti proventus non sunt debiti Cameræ Apostolicæ. Affirmat Mandosius q. 6. n. 3. quia Subsidium hoc imponitur super fructibus Beneficiorum, estque onus spectans ad Cameram Apostolicam.

5. *Durante eorum Officio.* Non itaque reservata sunt Beneficia, quæ defuncto Officio obtinuerunt.

REGULA VI.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

Item reservavit omnia, & singula Beneficia

ficia Ecclesiastica quorumcumque 1 *Curialium, quos dum* 2 *Curia Romana de loco ad locum* 3 *transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto. Decernens irritum, &c.*

1. *Curialium* Etiam Cardinalium, quia vocabulum *quorumcunque* est universale, ideoque & Cardinales comprehendit. *Glossator hic. Oldra. Cons.* 211. *n.* 6. Etiam Beneficia illa, quæ ante Cardinalatum adepti sunt hic reservantur, quia qualitas Beneficii cum persona mutatur. Comprehenduntur quoque sub hac Regula familiares Cardinalium, qui verè familiares, & in contubernio sunt Cardinalium, non qui officii & honoris tantum causa illos sequuntur. *Chokier hic*

2. *Curia.* Curiam alii dicunt esse, ubi Papa est, ut Glossator; Alii verius ubi sunt Cancellaria & Tribunalia Curiæ Romanæ. *Sarenen. in Reg. de verisimili quæst.*

3. *Transfertur.* Curia dicitur transferri, cum Papa defertur cum Cancellaria & Tribunalibus. Hinc concludit Garzias *de Benef p.* 5. *c.* 5. §. 7. reservata non fuisse per hanc Regulam Beneficia sequentium Clementem VIII. Ferrariam, & ultra duas diætas decedentium.

REGULA VII.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Cursorum.

Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suæ omnia Beneficia Cubiculariorum, 1 *etiam*

1 *etiam honoris nuncupatorum, ac* 2 *Cursorum suorum, declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoriis Beneficiorum Cubicularium, etiam Cubicularios honoris nuncupatos etiam à die earum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque, &c. attentari Decernens.*

Hæc Regula extensior hic datur, quam fuerat Regula VI. Innocentii VIII.

1. *Etiam honoris nuncupatorum.* Horum Beneficia non comprehendi sub hac Regula existimarunt ante hac complures, inter quos Chokier in Comment. Reg. VI. Innocentii; Sed contrarium declarat Pontifex in hac Regula, simulque Antecessores suos eosdem in Regulis & Constitutionibus comprehendisse.

2. *Cursorum suorum.* Papæ Cursores sunt propriè, qui Banchum habent in Urbe, suntque Clerici, & in habitu Clericali incednnt, atque de his loquitur Regula. *Mandos. hic quæst. 2. n. 5.* non de Apparitoribus, qui in Judiciis mandata Officialium exequuntur; Nec de Sollicitatoribus Literarum Apostolicarum, quos Jannizeros, aut Janixarios appellant.

RE-

REGULA VIII.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris de Urbe, & Beneficiorum titulorum Cardinalium à Curia absentium.

Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscunque Canonicatus, *&* Præbendas, *ac* Dignitates, Personatus, *&* Officia *in* 2 *S. Joan. Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Majoris de* Urbe 3 *Ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem, & præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E.* Cardinalium *à* Romana Curia 4 *absentium ratione suorum Episcopatuum* Cardinalatus, *ac ipsorum* Cardinalium titulorum, *&* Diaconiarum *spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit,* Canonicatus, *&* Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, *&* Officia, *cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, ac in Ecclesiis Civitatibus, ac Diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia, ac decrevit irritum &c.*

1. Quæritur hic, cur Pontifex reservet sibi Beneficia trium illarum Ecclesiarum, cum Beneficia in Urbe existentia conferat Papa jure ordinario tanquam Episcopus Romanus. *c. Si quis Episcopus*

ſcopus quæſt. 16. *c. Multum* 3. *quæſt.* 6. Exceptis iis, quæ ſubſunt Titulis Cardinalium in Urbe præſentium. *Gomes ad Reg. de trienn. q.* 31. *n.* 17. Reſpondetur, quia dubitaripotuit, an jus Collationis Beneficiorum in Eccleſiis illis vacantium non pertineat ad Archi-Presbyteros & Decanos earundem Eccleſiarum, qui ſunt Cardinales.

2. *In S. Joan. Lateranenſis.* In Innocentii Regula præponitur Baſilica Principis Apoſtolorum; Sed cum Lateranenſis Eccleſia ſupremum locum teneat ſuper omnes Eccleſias Urbis & Orbis *Gregor. XI. Conſt.* 1. *Pius V. Conſt.* 94. & Romanorum Pontificum ſit Patriarchium. *Sixti V. Conſt.* 19. atque etiam antiquiſſima ſit ædificata à Conſtantino Imp. *Greg. XI. Conſt.* 1. jure hæc præponenda fuit.

3. *Eccleſiis.* In Reg. Innocentii dicitur: *Baſilicis*; Ne vero ex eo quiſpiam deducat, Eccleſiam S. Petri nondum eſſe conſecratam, cum Baſilica propriè vocetur ante Conſecrationem *Gloſ. notabilis in c.* 1. *de relig. dom.* ideo in præſenti Regula vocatur Eccleſia.

Sed cur Beneficia in Eccleſiis S. Pauli & S. Laurentii extra muros, quæ etiam cenſentur primariæ, & quaſi Cathedrales, non reſervantur? Reſpondet Gloſſator, quia ſunt Eccleſiæ Monachorum, & non ſecularium.

4. *Abſentium* à Romana Curia, vel ſuis Titulis, vel Epiſcopatibus, nimirum Cardinalatibus annexis, ideo non comprehenduntur hac Regula Beneficia vacantia in aliis Diœceſibus, ubi per accidens Cardinales electi, vel conſtituti ſunt Epiſcopi. *Chokier hic.*

RE-

REGULA IX.

Reservatio mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis Residentibus.

Item cupiens SS. D. PP. 2 pauperibus Clericis, & aliis 3 benemeritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis ordinum regularia qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam alias, quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, & Collatricum sæcularium & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant acceptatis, & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis tunc vacantibus,

bus, etiam Motu proprio fient, de mense, in quo va-
caverint 13 dispositivè 14 mentionem fieri; Alio-
quin gratias nullas esse. 15 Ac consuetudines
etiam immemorabiles optandi majores, pingui-
res Præbendas necnon privilegia, etiam in
mine erectionis concessa, & indulta Apostol
circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi Be-
neficiis, aut quod illa sub hujusmodi reserva-
tionibus nunquam comprehendantur, etiam cum
quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & for-
tioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis,
necnon irritantibus, & aliis Decretis, quorum
tenores pro expressis haberi, & latissimè extend
voluit, quibusvis personis, & Collegiis, cujus-
cumque dignitatis, status, gradus, ordinis, &
conditionis existentibus quomodolibet conces
adversus Reservationem hujusmodi minimè suf-
fragari. Insuper Sanctitas sua ad gratificandum
Patriarchis, Archi-Episcopis, & Episcopis intra
ta ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Diœceses
suas 16 verè, & personaliter residerint
duntaxat de omnibus, & quibuscumque
Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine
cura sæcularibus, & regularibus (ad liberam
ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum
dispositionem, seu præsentationem, vel electio-
nem, nec etiam cum consilio, vel consensu seu
interventu Capitulorum, vel aliorum, aut
alias pertinentibus) quæ 17 in antea in mensibus
Febru-

Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicæ 18 reservata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem 19 tempore sui Pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione Beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit,) seu etiam aliorum, dispositioni suæ, & dictæ sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectorum se se intromiserint, aut quo minus provisiones, & gratiæ Sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, & Beneficio prædictæ facultatis, eo ipso privati existant, ac collationes, & aliæ dispositiones de Beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. Illi verò qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptionem hujusmodi per 20 patentes literas manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, & 21 in sua quisque Civitate, vel Diœcesi datas declarare, & literas ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, 22 ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, & non antea uti incipiant gratia supradicta. 23 Insu-

per declaravit, quod si idem Episcopus pluribus Ecclesiis quomodocunque unitis ex Apostolica concessione, & dispensatione quomodocunque præsit, teneatur hujusmodi alternativæ gratiam quatenus ea potiri velit, utriusque Ecclesiæ nomine explicitè acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, & admissionem in Dataria neutri parti liceat nisi concordi consensu ab ea recedere. Declarans præterea exceptionem positam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, & indultum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortii juxta declarationem fel. recor. Urbani PP. VIII. Prædecessoris sui editam die decima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas Sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus quoscunque &c. judicari debere, ac irritum &c.

1. Pars prior hujus Regulæ, cujus auctor est Clemens VIII, non habet locum in Germania, cum per Concordata concedantur Ordinariis Collatoribus sex menses; Sed neque pars posterior, cum in mensibus non Papalibus collatio Canonicatuum Cathedralis Ecclesiæ vel ex consuetudine, vel ex privilegio vel alio titulo passim in Germania pertineat ad Capitula, non ad Episcopos, licet in Ecclesiis suis resideant.

2. *Pauperibus Clericis.* Hæc prima fuit causa impulsiva, cur Pontifices Beneficia illa reservarint, ut Clericis pauperibus providere possent pro-

prout consonum est juri communi. *c. Ecclesiasticis 12. q. 2. c. Secundum Apostolum de Præbendis.*

3. *Benemeritis.* Hæc fuit secunda causa, ut Benemeritis Beneficia conferri possint, quibus ea propriè debentur. *c. Grave 29. de Præb. & c. Ex parte de Constit. c. Nihil est. c. Causam quæ de Elect.*

4. *Beneficia,* non ergo Altaria, Oratoria & Capellaniæ sine auctoritate Superioris fundatæ per hanc Regulam reservantur. Nec Præbendæ temporales, ut sunt prædia quæ dantur tanquam Salaria Advocato, Procuratori, aliisque similibus Ministris. *Gonzalez in Glos. 5. n. 25.* Nec manualia, & ad nutum amovibilia. *Gomes de exspect. n. 94.* Nec Hospitalia *Mandos ad Reg. 1. Canc. q. 9. n. 2.* Nec Pensio reservata super Beneficio. *Gigas de Pens. q. 1. n. 5.* Nec Præstimonia, quæ non dantur in Titulum perpetuum. Nec Beneficia de mensa, nimirum illa, quæ perpetuo incorporata sunt mensæ Episcopali, aut Capitulari, aut Abbatiali, cum ea nunquam vacent. *Glos. V. de mensa in Clem. 1. de Suppl. neg. Præl.* Nec commendæ, sive eæ temporales sint, sive ad vitam commendatarii. *Gomes in Reg. de Triennali q. 5.* Nec Coadjutoriæ, sive eæ simplices sive cum futura Successione. *Greg. Tholos. in inst. rei Benef. c. 11. n. 2.* Neque demum Officia Ecclesiastica, quæ in titulum non dantur, ut est Officium Custodis, Cantoris &c. *Mandos. ad Reg. 21. q. 7. & ad Reg. 32. q. 2.*

5. *Qualificata* exceptis iis, quæ sunt Jurispatronatus Laicalis vel mixti ex majori, vel æquali parte Laicorum, idque ex fundatione, constructione, dotatione vel donatione. *Mandos. ad Reg. 1. Cancell. q. 8. n. 6. & seqq.* An autem Jus Patronatus Ecclesiasticum certis personis debitum, sub hac Regula comprehenditur? Negat Garcia *de Benef. p. 5. c. 1. §. 11. n. 562.* quo ad Hispanos duntaxat, seu Castellanos. Sed affirmativa sententia jam sæpius per Rotam recepta est. *Chokier hic Glos. 1.*

6. *Cum cura* Beneficia curata per hanc Regulam reservata conferri quoq; debent per concursum *Trid. Sess. 24. de Reform. c. 18. & Pius V. Const. In conferendis*, quamvis in multis casibus soleat ea conferre Pontifex sine concursu. *Gonzal. Glos. 6. n. 115. & seq.*

7. *Regularia.* Non tamen Prioratus Religionum S. Augustini & S. Dominici & similes, quia non sunt perpetui, nec Fratres Mendicantes habere possunt Beneficia Ecclesiastica. *Alphons. ad Reg. 8. Cancell.* An autem comprehendantur hac Regula Beneficia Regularia Ordinum militarium? Vide Gonzalez *in Glos. 8. n. 52. & seqq.*

8. *Qualitercunque qualificata*, ideoque etiam monocula. *Chokier hic Glos. 4.* Non comprehenduntur vero sub hac reservatione Canonicatus Doctorales & Magistrales, qui conferendi sunt per concursum alicui Doctori vel Licentiato Juris aut Theologiæ. *Gonz. Glos. 9. §. 2. n. 63.* Neque Beneficia Ecclesiæ non numeratæ. An autem Beneficia noviter erecta post Datam reserva-

tionis

tionis hic comprehendantur, dubitatur, probabilius tamen est contineri, quia Regula est generalis, quæ semper loquitur & reservat. *l. Arriani C. de hæret. Mandos, in Reg. 3. Cancel. n. 21.*

8. *Usque ad suæ voluntatis beneplacitum*, ideo morte Pontificis expirat reservatio; Secus si facta esset ad dispositionem Sedis Apostolicæ, quia hæc nunquam deficit. *c. Si gratiosè 5. de rescript. in 6.*

10. *Præsentationem.* Ergo per hanc Regulam tollitur etiam Jus Patronatus ex fundatione, seu dotatione, nimirum Ecclesiasticum, non Laicum vel mixtum. *Crescent. decis. 3. de Jure patron.* Id vero teste Gracia *de Benef. p. 5. c. 1. §. 11. n. 557.* non obtinet in Hispania, ubi Beneficia Juris Patronatus etiam Ecclesiasticis ad præsentationem Patronorum conferuntur in quocunque mense vacaverint; Quo titulo & jure, viderint Hispani.

11. *S. R. E. Cardinalium*, nempe Episcoporum in suis Diœcesibus Residentium, non Legatorum de latere in suis Legationibus & Provinciis, ubi collationem tantum extraordinariam habent. *Cresc. decis. 217. de præb.*

12. *Generaliter reservavit.* Hinc Indultum Regis Scotiæ ad conferendum Beneficia vacatura exceptis generaliter reservatis non extenditur ad Beneficia vacantia in mensibus Pontificiis, quia hæc per hanc Regulam generaliter reservata sunt. Beneficia vero, quorum collatores sunt Reges Galliarum & Hispaniarum aliique nonnulli Principes ut tradit Böet. Epo *de Reg. n. 14. & seqq.* non comprehenduntur sub hac Regula, cum eorum non

fiat expressa mentio, uti fieri debet. *c. fin. de offic. deleg. c. Ne reliqui de privil. in* 6.

13. *Dispositivè*; Non sufficit ergo, si narratio fiat dubitativè de mense per particulam *forsan*, vel etiam generaliter vacationem numerum esse in mensibus reservatis. *Garz. de Ben. p. 5. c. 1. n.* 656.

14. *Mentionem fieri*; Non tenetur autem Provisus à Papa de Beneficio vacante in mense Ordinarii mentionem facere in Supplicatione de mensi. *Garc. de Benef. p. 5. c. 1. glos.* 11. *n.* 657.

15. *Ac consuetudines etiam immemorabiles optandi majores*, quæ invaluerant in quibusdam Ecclesiis, ideo hæ, uti & indulta, & privilegia Apostolica optandi pinguiores præbendas, per hanc Regulam excluduntur; Ita tamen, ut cessante Regula hac per obitum Papæ, talia privilegia & consuetudines reviviscant. *Simonet. de Reserv. q.* 58. *n.* 13. *&* 14.

16. *Verè & personaliter*, sic à tempore Sixti V. nam antea habebatur solummodo: *Quamdiu residerint*, vel *personaliter residerint*; Ut ergo alternativa frui possit Episcopus, requiritur numvera, personalis & actualis ejus residentia, nec sufficit, ut ante, fictitia, quæ est cum Episcopus presta de causa abest, quia tum præsens esse censetur. *c. Ex parte. c. Ad audientiam de Cler. non resid. c. Unico eod. in* 6.

17. *In antea*, id est, in futurum, in perpetuum, in posterum. *c. Ego N. de jurejurando. c. Cum Clerici Placentani* 19. *de verb. sign.*

18. Et

18. *Reservata vel affecta.* Reservatio fit per verba expressa à Papa voce, vel in constitutione dicendo: *Reservamus*: Affectio fit per actum realem, ut cum Papa apponit manum super dispositione alicujus Beneficii, ex quo tacita oritur reservatio. *Simonet. de Reserv. Benef. q. 69.*

19. *Tempore sui Pontificatus tantum.* Hæc non habentur in Reg. Clem. VIII. & Pauli V. hic ponuntur, ut expresse significet Pontifex alternativam cum morte sua expirare.

20. *Patentes literas*; Sunt illæ, quæ non clauduntur sigillo, clausura, seu ligatura tali, ut sine læsione illius aperiri aut legi possint. *l. Hac consultissima C. de Testam.*

21. *In sua quisq; Civitate vel Diœcesi datas*: Est contra jus commune, vi cujus Episcopus potest extra suam Diœcesin voluntariam jurisdictionem exercere & Beneficia conferre. *c. Post electionem de concess. præb. c. Qua fronte de appell.*

22. *Ac in libro ad id deputato registratis*, quæ non habentur in Reg. Clementis VIII, & Pauli V. hic autem inseruntur, ut sicuti cæteræ gratiæ tum demum in Cancellaria perfectæ dicuntur, cum registris inscriptæ sunt Supplicationes, ita & hac gratia nemo uti potest, priusquam literæ illæ patentes de acceptione alternativæ registratæ sint, adeoque particula *Tunc* denotat tempus, quo literæ illæ registris inscriptæ sunt, ut ex eo Episcopus acceptans incipiat uti alternativa.

23. *Insuper declaravit* &c. quæ sequuntur in hac Regula usque ad *Decernens sic* desunt in Reg. Clem. VIII. & Pauli V.

RE-

REGULA X.

De literis in forma rationi congruit expediendis.

1 *Item voluit idem D. N. Papa quod* 2 *concessa per fel. rec. Alexandrum Octavum Prædecessorem suum, & de ejus mandato expediantur in forma* Rationi congruit &c. 3 *sub die Coronationis suæ, ut moris est, & idem quoad concessa per piæ mem. Innocentium Undecimum etiam Prædecessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit.*

1. *Item voluit.* Regula hæc Innocentii XII, & quorundam ejus Prædecessorum latius patet, quam Innocentii VIII, per cujus Regulam conceditur tantum facultas expediendi gratias Pontificis immediatè defuncti, per hanc autem Innocentii XII. Pont. fit extensio ad unum alium Prædecessorem, nimirum Innocentium XI, ita tamen, ut hujus mediati Prædecessoris gratiæ expediri debeant intra sex menses à die Coronationis computandos, ut dicitur in Regula, ad quos non astringuntur gratiæ Prædecessoris immediati. *Mandos. ad hanc Reg. q* 4.

2. *Concessa*; Si vero literæ jam sint plumbatæ locum non habet hæc Regula, quia Bullæ non mittuntur

tuntur in Cancellaria ad plumbum, nisi sint plenè & totaliter expeditæ, in hujusmodi autem nullam habet partem Pontifex Successor. Regulariter vero locum habet hæc Regula, cum Supplicatio fuerit signata, quia gratiæ signatæ solum aptæ sunt, super quibus expediantur Bullæ; Contrarium tamen docet Mandosius *q.* 11. *n.* 2, *& Corrad. in prax. disp. l.* 2. *c.* 8. *n.* 14.

3. *Sub die Coronationis suæ*; Non ergo apponenda est Data in literis, sub qua gratia facta fuit.

REGULA XI.

Declaratio reservationis Ecclesiarum, & Beneficiorum per Prædecessores reservatorum.

Item declaravit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas prædicti Prædecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, necnon omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quæ dicti Prædecessores etiam prædictæ dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quæ quidem Ecclesiæ, Monasteria, necnon sic reservata Beneficia tempore, obitus eorundem Prædecesso-

decessorum vacabant, aut Ecclesiæ ipsæ, vel Monasteria hujusmodi, si commendata. vel eis Administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere per hujusmodi reservationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse sive posse quoquo modo, Decernens irritum, & inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel inposterum contingeret attentari.

Hæc Regula conformis est Regulis Prædecessorum Pontificum, nisi quod Innocentius VIII. declaret Ecclesias & Beneficia reservata solum a Sixto, & non collata ante obitum ejus remanere affecta & reservata. Innocentius XII. vero, & reliqui ejus Antecessores declararunt Ecclesias & Beneficia ab omnibus Prædecessoribus reservata & affecta manere talia, & hanc dicit tritissimam Regulam in Rota Geminianus. *Cons.* 93. *n.* 26.

REGULA XII.

Revalidatio Literarum Prædecessoris Gratiæ, & Justitiæ infra annum Concessarum.

Item prædictus D. N. omnes, & sin-

gula

gulas ab Alexandro VIII. Romano Pontifice Prædeceſſore ſuo infra annum ante diem ejus obitus conceſſas Gratiæ vel Juſtitiæ literas 2 temporibus debitis earum executoribus, ſeu Judicibus non præſentatas omninò revalidavit, & in ſtatum priſtinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè reſtituit, ac decrevit per executores, ſeu Judices prædictos, vel ab eis Subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi poſſe, & debere juxta illarum formam.

1. Hæc Regula revalidatoria diverſa eſt à Regula: *Rationi congruit*, quæ ſupponit ſolum ſupplicationem eſſe ſignatam non vero literas expeditas, hæc vero revalidatoria ſupponit Literas expeditas eſſe, & plumbatas, ſed tempore Papæ defuncti, qui illas conceſſerat, nondum ab Executoribus exequi cœptas, ideoque Pontifex Succeſſor revalidat jurisdictionem Executorum, quæ Sede vacante ſiluit. *Clem. Ne Romani de elect.* non vero novæ Literæ conceduntur.

2. *Temporibus debitis*: Tempus hoc unius eſt anni, infra quem Literæ præſentari debent Executoribus. *De Roſa de Exec. lit. p. 1. c. 4. n. 34.* Si autem iteretur negligentia tempore Papæ concedendis, revalidatoria difficilius Orationibus indulgetur.

RE.

REGULA XIII.

Revocatio Unionum.

Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, 1 suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes, 2 etiam perpetuas, de quibusvis Catheralibus, necnon aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis, 3 eorumvè domibus, prædiis, & locis per cessum, vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem, vel amissionem, qualitercumque fuerint invicum, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Mensis etiam Capitularibus, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Beneficiis, 4 ac Piis, & aliis locis. 5 Universitatibus etiam studiorum generalium, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis per eos obtentis quomodolibet Apostolica, vel alia quavis (6 non tamen Concilii Tridentini auctoritate, necnon pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum Piorum, & Religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum) factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum: Ac quæcumque concessiones, & mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus, & aliis præmissis

taliter

taliter faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nullumque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adjectiones, 7 aut decreta, quæ Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis etiam quæ Motu proprio, aut ex certa scientia, 8 & consistorialiter processerunt, & emanarunt literis, 9 etiamsi in eis decretum esset illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore quomodolibet contentæ adversus revocationem, & irritationem hujusmodi voluit aliquatenus suffragari. Decernens irritum &c.

1. *Suppressiones, extinctiones, applicationes & dismembrationes*; Hæ particulæ non habentur in Reg. Innocentii VIII. Additæ sunt à Julio III. ad tollendas difficultates & dubia, an sub voce unionis, omnes unionis species comprehendantur.

2. *Etiam perpetuas.* Nec hoc habetur in Regula Innocentii VIII.

3. *Eorumvè domibus, prædiis, & locis per cessum vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem vel amissionem.* Innocentius VIII. solum dicit: *Et locis Ecclesiasticis.*

4. *Ac piis & aliis locis.* In Regula ejusdem Innocentii est tantummodo: *Et aliis locis.*

4. *Universitatis etiam studiorum generalium in Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium seu Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis per eos obtentis.* Innocentius VII. hæc in robore

sua

suo permanere voluit, ideoque non inseruit illi Regulæ suæ.

6. *Non tamen Concilii Tridentini* &c. Quæ hic parenthesi includuntur desunt in Regula Innocentii VIII, habentur tamen in Regula Pauli V.

7. *Aut decreta, quæ Sanctitas sua pro expressis haberi voluit.* Nec hoc habet Innocentius VIII.

8. *Et consistorialiter.* Neque istud est in Reg. Innocentii VIII.

9. *Etiamsi in eis decretum esset istas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore.* Deest quoque in Regula Innocentii VIII.

REGULA XIV.

Reservatio facultatum quibusvis concessarum.

Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, & aliis Prælatis, & Personis, necnon Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super Matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & ætatis defectibus, & de incompatibilibus Beneficiis Ecclesiasticis in simul retinendis, necnon de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, &

cis, & aliàs à præmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directè non concernentes, 2 *etiamsi in literis desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores,* 3 *quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi Nunciis eisdem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum &c.*

1. *Ac de disponendo quomodolibet de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis.* His ampliarunt Regulam Innocentii VIII. Julius III. Paulus IV. Gregorius XIII. cæterique ad hæc usque tempora Pontifices.

2. *Etiamsi in literis desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ, & aliæ efficaciores.* His pariter ampliata est Regula Innocentii VIII. à Successoribus illius.

3. *Quas pro expressis haberi voluit, quo ad omnia.* Hæc quoque non habentur in Reg. Innocentii VIII.

REGULA XV.

Revocatio facultatum conferendi Beneficia reservata.

Item revocavit quascumque facultates, & literas desuper confectas, per quas

quas quicumque sui Prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quavis etiam Patriarchali, Archi-Episcopali, 2 Episcopali, vel alia dignitate, vel alio non tamen Cardinalatus honore fulgentibus quavis consideratione, vel intuitu etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine 3 cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de Beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim spectantibus disponere liberè, & licitè valerent, aut etiam ad id per eosdem Prædecessores Vicarii perpetui,

vel ad tempus constituti forent; Decernens irritum, & inane &c.

1. *Item revocavit.* Post Innocentium VIII. inducta est hæc Regula à Pontificibus.

2. *Episcopali*, non habetur in Regula Pauli V.

3. *Cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis.* Nec hæc habentur in Regula Pauli V.

REGULA XVI.

De dictionibus numerabilibus.

Item ut in Apostolicis literis committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio voluit, & ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis literis ante Nonas, Idus, & Kalendas, immediatè poni consueverunt, per literas, & syllabas 1 *extensè describantur & illæ ex prædictis literis, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullarium nullatenus mittantur.*

1. *Extensè describantur*, non per notas numerorum sive zifras v. g. non scribitur Vl. Ca-

lendas, sed sexto Calendas, idem est de Nonis & Idibus, ad evitandas fraudes & falsitatem. Literæ autem aliter scriptæ habentur subreptitiæ.

REGULA XVII.

De Concurrentibus in Data.

Item voluit quod de concurrentibus in data ejusdem diei, super vacantibus seu certo modo vacaturis Beneficiis, illi, quibus gratiæ, Motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliàs 1 *graduati non graduatis, aut inter graduatos* 2 *magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas aliàs in Curia præsentes, absentibus ab ea, ac inter præsentes non Beneficiati Beneficiatis, & similiter inter absentes, cæteris paribus oriundus non oriundo, &* 4 *Diœcesanus non Diœcesano : In reliquis verò singuli, qui priùs Apostolicas desuper literas eorum executoribus præsentaverint, aliis in ipsorum de quibus agi contigerit, Beneficiorum assecutione præferantur.*

1. *Graduati* quamcunque habeant scientiam, quia gaudent privilegiis Doctorum. *Mandos. ad Reg.* 16. *q.* 13.

2. *Magis graduati*; Quod sint 1. gradu superiore, sic Doctor Licentiato præferendus. 2. Existentes in eodem gradu præferantur graduati in majori

majori & digniori scientia, ut Doctor in Theologia Canonistæ. 3. in utroque jure graduati præferantur illis, qui in uno tantum jure promoti sunt. 4. Promoti ab habente majorem potestatem veluti à Papa, Cæsare, præferuntur graduatis ab inferioribus. *Mandos. l. c. q.* 15.

3. *In Curia præsentes* actu, non qui per fictionem, ut illi qui causa Sedis Apostolicæ absunt Chokier hic lit. M. Præsentes autem in Curia judicat Mandosius tantum eos, qui vel Papæ vel Cardinalibus, vel aliis Prælatis in ea obsequia præstant.

4. *Diœcesanus*, id est, qui sub Diœcesi seu territorio est, Episcopi, ibique domicilium habet, licet aliunde sit oriundus. *Franc. in c. statutum. n.* 13. *de Rescrip. in* 6.

REGULA XVIII.

De non tollendo Jus quæsitum.

Item, ne per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & de-declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, Justitia postponatur. Idem D. N. decrevit, & declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumque Signaturam seu concessionem, aut gratiam, vel literas Apostolicas pro commissionibus,

seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi Motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

1. *Seu mandatis & declarationibus.* Addidit hæc Paulus III.

2. *Aut gratiam vel literas Apostolicas procommissionibus seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, & ex certa Scientia, ac etiam ante motam litem.* Sic ampliavit Regulam Paulus III, quem sequuntur ejus Successores, ne nimirum jus alteri quæsitum per quamcunque Papæ concessionem, & quodcunque illud sit jus non solum in re, sed etiam ad rem, tolleretur. Non tamen locum habet Regula ante registrationem supplicationis signatæ, quia ante eam impetrans non acquirit jus considerabile, cum possit non solum à Papa, sed etiam ejus Officialibus lacerari. *De Rosa de Execut. lit. l. 1. c. 1. n. 64.*

REGULA XIX.

Regula de Viginti.

Item voluit, quod si quis 1 *in infirmitate constitutus resignaverit,* 2 *sive in Romana Curia. sive extra illam, aliquod Beneficium, sive simpliciter, sive*

*ex causa permutationis,*3 *vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ & posteà infra viginti dies* 4 *à die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium,* 5 *quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque Beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.*

In infirmitate constitutus, sive gravi, sivè levi; Jmo etiamsi non sit infirmus, sed post consensum præstitum moriatur infra 20. dies, locus erit Regulæ propter annexam appendicem à Clemente VII, *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ*, quam etiam annectere suis Regulis consueverunt ad hæc usque tempora Pontifices.

2. *Sive in Romana Curia, sive extra illam.* Desunt in Regula Jnnocentii VIII.

3. *Vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore Supplicationis, dum esset sanus, signatæ.* His ampliorem fecerunt Regulam Jnnocentii VIII. Hadrianus VI. Clemens VII. Julius II. cæterique subinde Pontifices.

2. *A die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos.* Addiderunt posteri Pontifices ad Regulam Jnnocentii VIII. Non sufficit vero consensus per Constitutionem Procuratoris, sed requiritur consensus præstitus, ubi fit resignatio, scilicet in Camera vel Cancellaria.

5. *Quavis auctoritate*, nec hoc est in Regula Jnnocentii VIII.

6. *Ex ipsa infirmitate decesserit.* Non ergo locum habet Regula in morte civili resignantis, si v. g. uxorem ducat vel professionem faciat. Neque etiam si accusatus resignet metu sententiæ privativæ. *Rebuff. in addit. ad hanc Reg.* Secus si renuncians moriatur in carceribus intra 20. dies.

REGULA XX.

De Idiomate.

Item voluit quod si contingat tam in Curia, quàm extrà, alicui personæ de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochiarum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel Beneficium hujusmodi; nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum &c.

1. *Tam in Curia quam extra.* Addita à posterioribus Pontificibus.

2. *Vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente.* Addita hæc sunt per Gregorium XIII, & Successores ejus ad hæc usque tempora, ut includantur Succursus, qui non sunt curata Beneficia, sed simplicia. Rebuff. in addit. ad Reg. Cancell. 55.

3. *Nullius sint roboris vel momenti,* nisi Papa expresse dispenset. *Rebuff. in addit. ad hanc Reg.* vel ex certa scientia & motu proprio conferat Parochialem non intelligenti idioma. *Alphons. hic & Mandos. q. 5. & 6.*

REGULA XXI.

De non impetrando Beneficium pro obitum viventis.

Item si quis 1 *supplicaverit sibi de Beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & posteà per obitum ejus vacet, provisio,* 2 *& quævis dispositio* 3 *etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.*

1. *Sup-*

1. *Supplicaverit.* Non ergo locum habet hæc Regula, si provisio facta sit *motu proprio de plenitudine potestatis*, quia ex hac clausula constat de intentione Papæ etiam cum alterius præjudicio & per eam tolluntur ea, quæ sunt juris positi. *Chokier hic.* Obtinet vero vigorem suum Regula, si collatio Beneficii viventis facta sit cum clausula solius motus proprii, quia hæc non tollit ambitionem, & votum captandæ mortis nec operatur in his, quæ sunt facti, & de quibus Princeps non est informatus. *Mandos. q. 2. n. 1.*

2. *Et quævis dispositio*, addidit hæc Julius III. & Successores ejus, quibus comprehenditur omnis modus ordinandi de Beneficiis. *c. Licet Ecclesiarum de Præb. in 6.*

3. *Etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ.* Hæc quoque adjecta sunt ab Innocentio XII, quibus inhabilitatur talis Supplicans ad tale Beneficium retinendum, & impetrandum, ne nimirum detur materia captandi mortem alterius *c. 1. & 2. de Conces. præb. & c. 2. & 4. in 6.* Nisi impetrans putasset ex justa & probabili causa vacasse Beneficium, eo casu licet collatio Beneficii viventis nulla sit, non tamen fit inhabilis ad illud impetrandum pro alia vice, cum verè vacaverit.

REGULA XXII.

De unionibus, & unionum confirmatione.

Item voluit quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri teneantur 1 *exprimere verum annuum*

annuum valorem secundum communem æstimationem, tam Beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat & semper in unionibus 2 *commissio fiat ad partes,* 3 *vocatis quorum interest: Et idem voluit observari* 4 *in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.*

1. *Exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem.* Particula *annuũ* non reperitur in Regula Innocentii VIII. & Pauli V. hic additur, ut constet clarius de valore Beneficiorum; Valor vero exprimitur communi æstimatione, si dicatur, quantum deductis oneribus tempore provisionis, & per quinque annos ante valuerit. *Gomes. ad Reg. de valore quæst. ult.*

2. *Commissio fiat ad partes,* hoc est in loco, in quo Beneficia quæ uniri petuntut, sita sunt, melius enim veritas habetur per vicinos, quam alios. *Rebuff. ad hanc Reg. gloss.* 10.

3. *Vocatis quorum interest,* illis nimirum, quibus competit jus conferendi, vel præsentandi Beneficia unienda. *Rebuff. hic gloss.* 11. Non vero vocandus est possessor Beneficii illiusque consensus postulandus. *Card. Serap. decis.* 1459. *num.* 13. Clausula hæc: *Vocatis* non requiritur, si commissio fiat per Papam in forma gratiosa, quia sic derogatur huic Regulæ. *Rebuff. hic glos.* 10.

4. *In*

4. *In quibusvis Suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus, & applicationibus, etiam de quibuscunque fructibus & bonis Ecclesiasticis; ac etiam in Confirmationibus unionum, singulvrumque dispositionum hujusmodi.* His auctiorem fecit Regulam Clemens VIII, quem secuti sunt reliqui Pontifices, ut omnes unionis species sub hac Regula comprehenderent. Dismembrationes ad fructus referuntur, cum corpus Beneficii non dismembretur. *Mandos. ad Reg. de Revocat. unio q. 2. n. 6.*

REGULA XXIII.

De Mendicantibus transferendis.

Item de 1 *Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, voluit* 2 *Constitutionem fel. record. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit* Viam ambitiosæ cupiditatis &c. *firmiter observari.*

1. *Mendicantibus*, nimirum Religiosis professis.

2. *Constitutionem*, quæ habetur *in Extrav. Comm. Tit. de Regular. & trans. ad relig.*

RE-

REGULA XXIV.

De male promotis.

Item de Clericis extra tempora à jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, aut abſque Dimiſſoriis literis ad Sacros Ordines ſe promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit 1 *Conſtitutionem piæ mem. Pii Secundi ſimiliter Prædeceſſoris ſui deſuper editam, & in d. Cancellariæ Apoſtolicæ libro deſcriptam, quæ incipit.* Cum ex Sacrorum Ordinum &c. *pari modo obſervari.*

1. Hæc non eſt inter Regulas Innocentii VIII, obſervatur autem in Cancellaria à tempore Pii II.

2. *Conſtitutionem piæ mem. Pii II.* qua ſuſpenduntur Beneficiati ſeu Clerici taliter promoti, qui ſi in Ordinibus miniſtraverint, irregularitatem Papæ reſervatam incurrunt, & Beneficiis Eccleſiaſticis per ſententiam Judicis privantur. Et quamvis Sixtus V. *Conſt. Sanctum & ſalutare* voluerit hanc privationis pœnam ipſo jure incurri eam tamen Clemens VIII ad terminos Juris communis, Concilii Trid. ac dictæ Conſtitutionis Pii II. reduxit.

RE-

REGULA XXV.

De Moneta.

Item declaravit idem Dominus Noster, quod 1 libra Turonensium parvorum, & 2 florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus literas, & Cameram Apostolicam computari, & æstimari debeant.

1. *Libra Turonensium parvorum*, quis sit valor illius diximus supra *cap.* 11. §. 5.

2. *Florenus auri de Camera*, & hujus valorem eodem cap. & §. expressimus.

REGULA XXVI.

De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quòd quæcunque concessiones, gratiæ, & mandata etiam 2 motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis Beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque, ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina

gimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promovendorum ipsorum praecesserint, necnon quæcunque collationes, provisiones, & 3 dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibusvis aliis Beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque Prælaturas, inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicumque resignari, vel alias dimitti contigerit cum inde sequutis pro tempore sint cassæ, & irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

1. Hæc Regula astringit etiam Germanos, continetur enim re ipsa in *Extrav. Ad regimen*, prout inserta est **Concordatis.**

2. *Motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis.* Est contra dispositionem juris communis, quia quomodocunque & per quæcunque verba daret privilegia Papa, majorem tamen retineret potestatem penes se ad ea revocanda. c. *Dudum & c. Quamvis de præb. in 6.*

3. *Dispositiones*, non habetur in Regula Innocentii VIII. & Pauli V.

REGULA XXVII.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum.

Item cum ante confectionem literarum gratia

tia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, quod Judices in Romana Curia, & extrà eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, ejusque Palatii Apostolici Auditores, vel quicunque alii non juxtà supplicationum signaturum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones justitiam concernentes per Placet, S. R. E. Vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta literarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum &c. Et si literæ ipsæ per præoccupationem, vel alias minus benè expeditæ reperiantur ad illorum quorum interest instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt per ejus Officiales, quibus hujusmodi tenores, & formas restringere conveniet, ad formas debitas reducendæ.

1. *Item cum ante confectionem Literarum gratia Apostolica sit informis.* Hæc addidit Adrianus VI, quem cæteri deinde Pontifices secuti sunt. Dicitur vero gratia informis sine literis, quia per literas formam accipit, & sine illis est quasi homo in utero matris conclusus, donec per expeditionem literarum in publicum edatur. Hæc tamen forma non est essentialis, sed solum probatoria. *Paris. de resig. l. 8. q. 2. n.* 11. quia Executor non nisi Bullis expeditis gratiam exequi potest. Cæte-

Cæterum de jure communi non requiritur ad essentiam gratiæ Bullarum expeditio. *Mascard. de Probat. Concl.* 846. *n.* 41. Nam, ut inquit Baldus, *in lingua Principis stat gratia, in scriptura testimonium.*

2. *Et extra eam*, àdjecit Julius III, & subsequentes Pontifices, cum ante dubitatum fuerit ab aliquibus teste Alphonso hic, an Regula loqueretur solum de Judicibus in Curia Romana.

3. *Nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones*, addita per Julium III. Propriè Supplicatio continet meram gratiam, commissio justitiam. *Alphonsus.*

REGULA XXVIII.

De Regulis Cancellariæ producendis.

1 *Item attendens D. N. Papa quod super habendis de Cancellaria Apostolica Regulis, & Constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos qui in Romana Curia indiguerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret quòd super earundem Regularum, Constitutionum (quæ juxtà varietatem concurrentium causarum, & negotiorum aliquoties immu-*

mutari convenit) probando tenore, vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, & ordinavit, quòd deinceps quilibet ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, & aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate Apostolica Judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore, vel effectu probando duntaxat stet, fidemque adhibeat cedulæ, seu scripturæ desuper à duobus Majoris Præsidentiæ, quod danda sit à tergo signatæ & etiam à duobus aliis literarum Apostolicarum Abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatis & Vice-Cancellarii, seu dictam Cancellariam Regentis manu subscriptæ, ut moris est, quidquid autem secus fieri contigerit nullius sit roboris, vel momenti.

1. De origine & auctoritate harum Regularum actum est supra cap. 11.

2. *A duobus majoris Præsidentiæ*, qui Abbreviatores de Parco majori dicuntur, quemadmodum alii Abbreviatores de Parco minori, idque ut existimat Alphonsus, ἀπὸ τῦ Parcus, vel Parcum, quod est temperamentum, nimirum judicii, ne excedant limites supplicationum, & Regularum.

RE-

REGULA XXIX.

De Subrogandis Collitigantibus.

Item D. N. cupiens litium succidere anfractus, & ne novi collitigantibus adversarii dentur, providere, voluit, statuit, & ordinavit, quod quoties deinceps aliquem super quovis Beneficio Ecclesiastico collitigantem in Jure, vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto Beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo prædictus collitigans in dicto Beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contrà dictum adversarium postquam illud per triennium pacificè possederit lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso Jure, sive tunc vacet, vel cùm vacaverit impetrationes, 2 vel concessiones etiam Motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ nullius sint roboris, vel momenti. 3 Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Be-

neficia illorum præsertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret vitæ periculum impetrant, ut illis decedentibus tanquam Collitigantes in eorum Juribus facilius subrogentur; Voluit, ut deinceps nullus in Jure, vel ad Jus in Beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit aliquo modo subrogetur, ac subrogatio, vel gratia, Si neutri, Si nulli, seu Novæ provisionis, aut Perindevalere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissimè observari mandavit in impetrationibus Beneficiorum per privationem, & amotionem ex quibusvis criminibus, & excessibus forsan perpetratis, etiamsi, usque ad diffinitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

1. Surrogatio est, qua quis vel quidpiam in locum alterius sufficitur. *l. Proponebatur ff. de Judiciis* ut cum Judex in locum alterius substituitur. Ideoque rescriptum Pontificium surrogationis est, quo Pontifex mandat aliquem in locum alterius de Beneficio litigantis substitui, vel ipse illum substituit, ut

idem

idem jus habeat, quod prior. *c. 1. Ut lite pendente in 6.* Hoc autem fit, cum vel unus ex litigantibus vita decessit, vel matrimonium, aut statum Religiosum iniit, vel ob crimen privatus est, aut sponte cessit.

2. *Vel concessiones etiam motu proprio.* Addidit Leo X. & sequentes Pontifices ad tollendam difficultatem, quæ oriri poterat in his concessionibus, & videbantur excluſæ à Regula propter vocabulum *impetrationes.*

3. *Et nihilominus cupiens,* &c. ad finem usque addidit Adrianus VI. & cæteri deinde Pontifices, quo dolis & fraudibus magis obviarent.

REGULA XXX.

De verisimili notitia.

Item voluit, & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, vel sine cura sæcularibus, vel regularibus 1 *per obitum quarumcunque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N.* 2 *verisimiliter potuerint pervenisse.*

1. *Per obitum,* qui probatur per testes, & ex fide Parochi. *Ferin. dec.* 496. *n.* 2. *&* 4. *par.* 2.

in Novis. Extendenda vero non est Regula ad aliud quam mortis casum. *Mandos. hic q. 7.*

2.° *Verisimiliter*, quod summi potest pro credibili. *arg. l. 3. in 2. & 3. resp. ff. Si pars hær. p* & relinquitur arbitrio Auditorum, vel cujuscunque Judiciis judicantis. *Alphons. & Mandos. hic quæst. 4. n. 6.*

REGULA XXXI.

Non valeant Commissiones Causarum nisi Literis expeditis.

Item quod omnes, & singulæ Commissiones causarum, quas 1 *in antea fieri contigerit, obtentæ, vel concessionum duntaxat Apostolicarum, de Beneficiis Ecclesiasticis gratiarum, super quibus literæ Apostolicæ* 2 *confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.*

1. *In antea*, id est, in posterum.

2. *Confectæ non fuerint.* Sed quid si confectæ fuerint literæ, sed non productæ? Negat Mandosius *hic quæst. 8.* eo casu obstare Regulam.

R. E.

REGULA XXXII.

De impetrantibus Beneficia per obitum familiarium Cardinalium.

Item voluit, quod impetrans Beneficium vacans 1 *per obitum* 2 *familiaris alicujus Cardinalis, teneatur exprimere* 4 *nomen, & titulum ipsius Cardinalis,* 5 *si ille in Curia fuerit, ipsius ad id accedat assensus, alias desuper grati a sit nulla, & idem servari voluit,* 6 *si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes, & ubilibet etiam in locis infra duas Dietas vicinis degentes, familiamquè, & lares in eadem Curia retinentes ab ipsa Curia recesserint ad eandem illicò reversuri, & infrà decem, vel ad summum quindecim dies verè, & personaliter reversi fuerint. Ita quod Cardinalibus alias quàm, ut præfertur* 7 *ex quacunque causa quantumlibet necessario exprimenda absentibus facultas præstandi consensum hujusmodi, non competat, sed Beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ provisionem, & dispositionem pertineant. Declarans Regulas, & Constitutiones suorum Prædecessorum, etiam à die earum editionis, & publicationis super assensu hujusmodi præstando sic intellectas, & intelligendas fuisse. Irritum-*

tumque &c. attentari decernens. Quodque [illegible] *prædicti familiares eorundem Cardinalium fa- miliares esse desierint; seu ad aliorum Cardi- lium familiaritatem similem transierint quoad- neficia, quæ familiaritate priori durante ob- nuerint, & in quibus, vel ad quæ priori [illegible] familiaritate durante jus eis competierit, Ca- dinales quorum prius familiares fuerint suos habeant adhibere consensum. 8 Declarans pra- sentem Constitutionem locum non habere in il- lis Beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obi- tus eorum in dicta Curia, vel extra eam obti- nerent aut anteà obtinuissent, & ratione Offi- ciorum per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse appare- rent. Necnon illos quoad effectum dictæ Con- stitutionis familiares eorundem Cardinalium cen- seri, qui ipsorum Cardinalium familiares con- tinui commensales ad minus per quatuor menses, computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum &c.*

1. *Per obitum*, non ergo locum habet Re- gula in alia vacatione, ut per resignationem, nisi resignans infra 20. dies moriatur. *Mandos. hic q. 6. n. 2. & seqq.* assecutionem incompatibilis, professionem Religiosam, matrimonium, quia mors civilis in hoc casu non æquiparatur naturali. *Rebuff. in Addit. ad hanc Reg.*

2. Ex-

2. **Familiaris.** Familiares Cardinalium sunt. 1. Qui continuum apud eos victum habent, & habitationem. 2. Qui obsonia etiam extra domum accipiunt, simulque in obsequiis sunt Cardinalium per quator continuos menses, ut infra declaratur; Nam si solum ex eleemosyna habeant victum familiares non fiunt.

3. *Cardinalis.* Ergo Regula non est intelligenda de familiaribus Papæ, qui ad eum ex servitiis Cardinalium transierunt, quia persona Papæ loquentis intelligitur excepta. *c. pen. & c. Venientes de jurejur.* Neque de familiaribus Papæ transeuntibus ad familiaritatem Cardinalis, quia si & hos comprehendere voluisset Papa, expressisset. *arg. c. Ad audientiam de decim.* etiamsi mortuus esset Papa quia Beneficia illorum sunt affecta Pontifici juxta Constitutionem Pauli V. & lumen majus obfuscat minus.

4. *Nomen*, ad hoc nimirum ut sciat Pontifex, quis sit Cardinalis, adeoque si nesciam nomen proprium Cardinalis, sufficiet scribere morituum esse familiarem v. g. Vice-Cancellarii Cardinalis S. Laurentii in Damaso. *Alphonsus hic.*

5. *Si ille in Curia fuerit*, refertur ad sequentia, ut tunc nimirum assensus illius accedat, qui debet esse expressus. *Paris. de resig. Benef. l. 8. q. 10.* & per scripturam probandus est, prout servatur in Cur. Rom. *Chokier hic*, non vero refertur ad priora, ideoque licet Cardinalis in Curia non fuerit, nomen tamen & Titulus illius exprimi debet in impetratione Beneficii. *Mandos. q. 21.*

6. *Si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia absentes* &c. usque *Irritum.* Non habentur in

Reg-

Reg. Innocentii VIII. & Pauli V. His vero post modum à Pontificibus additis decernitur Consensum quoque requiri Cardinalium etiam absentium in locis vicinis infra duas dictas, si reverti sint intra 10. aut 15. dies ; Cæterorum vero aut absentium consensum non requiri, atque hanc mentem Prædecessorum quoque & sensum Regularum ab iisdem editarum fuisse declaratur.

7. *Ex quacunq; causa quantumlibet necessaria*, ut nimirum visitet Ecclesiam suam, aut absit tanquam Legatus, etiam cum licentia Papæ.

8. *Declarans præsentem* &c. usque ad finem ; Neque ista reperiuntur in Reg. Innocentii VIII, & Pauli V, quibus declaratur primo sub hac Regula non comprehendi Beneficia reservata, vel affecta ratione officiorum ; Deinde qui familiares Cardinalium censendi sint, quo ad effectum hujus Constitutionis.

REGULA XXXIII.

Super eadem familiaritate.

Item D. N. ad evitandas lites & contentiones, quæ præcedenti sua Constitutione exoriri possunt vestigiis Prædecessorum suorum inhærendo. Voluit, statuit, & ordinavit, quod si Beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum Commensalium eorundem Cardinalium, in futurum vacabunt, cessantibus Apostolicis reservationibus ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere debe-

rent,

rent, in dicta præcedenti Constitutione non compehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium Beneficiorum super expeditione literarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed Beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem Cardinalis Ordinarii Collatoris, ut præfertur liberè spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam Beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint; tunc in provisione talium Beneficiorum, super expeditione literarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in Romana Curia præsens fuerit, ad quem eorundem Collatio, & dispositio, ut præfertur pertinere deberet. Ita ut Cardinalis Ordinarius Collator, in concursu cum Cardinali Patrono semper indultis concessis, & concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus. Decernens irritum &c.

Hæc tota Règula addita est per Julium III, & per eam limitatur præcedens in eo, quod si Collatio Beneficii familiaris Cardinalis spectet ad alium Cardinalem conferre hic libere possit Beneficium non requisito consensu Cardinalis in cujus servitio familiaris moritur, quia Cardinalis privilegiatus uti non debet privilegio adversus alium Cardinalem privilegiatum. *Rebuff. in addit. ad hanc Regul.*

RE-

REGULA XXXIV.

Signatura per Fiat præferatur alteri per concessum.

Item voluit idem D. N. quod concurrentibus 1 *eadem die super quocunque Beneficio per Fiat, & Concessum, signaturis, ex eis per Fiat* 2 *etiam, ut petitur habens alteri per Concessum etiam Motu proprio habenti præferatur,* 3 *etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, & quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ.*

1. *Eadem die*, si tamen habens *per Concessum* probaret prioritatem Signaturæ per horam præfertur *Alph. & Mandos hic q. 5. n. 3.*

2. *Etiam ut petitur* adjecit Julius III, & post vocabulum *alteri* addidit *per concessum etiam motu proprio habenti* præfertur. Solus Papa subscribit: *Fiat ut petitur*, alii præter papam potestatem ab eo habentes: *Concessum, ut petitur.*

3. *Etiamsi in illa per Concessum prægnantiores, & quantumlibet privilegiatæ essent clausulæ,* Hæc adjecit Gregorius XIII, quem sequentes Pontifices secuti sunt.

RE-

REGULA XXXV.

De Annali Possessore.

Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, & ordinavit, quod quicunque 1 *Beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præcedentem* 2 *pacificè possessum, & quod certo modo vacare* 3 *prætenditur, deinceps impetraverit nomen,* 4 *gradum & nobilitatem possessoris ejusdem, & quotannis ipse illud possederit, ac specificam, & determinatam, ex qua clarè poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto Beneficio Jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, &* 5 *infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causamque extunc desuper* 6 *infra annum* 7 *usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat, & teneatur. Alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum injustè, frivolè, & indebitè molestare repertus extiterit,* 8 *quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec alius quam præmissæ vacationis modus etiam per literas si neutri, aut subro-*

rogatio-

gationis, aut alias sibi quoad hoc, ut Beneficium hujusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illique nullatenus in antea litigiosum propter censeatur. 9 *Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Beneficia Ecclesiastica cujuscunque qualitatis per privationem, & amotionem, vel alias propter commissa excessus, & crimina vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes Beneficia tanquam vacantia per devolutionem.*

1. *Beneficium Ecclesiasticum.* Hac appellatione veniunt quoque ad effectum hujus Regulæ Officia & Dignitates Ecclesiasticæ, quæ administrationem habent sine jurisdictione, ut Thesauraria *Glos. Clem. Auditor de Rescript. V. Beneficio, Rebuff. de pacif. possess. n.* 71. Etiam præstimonia, si data sint in titulum perpetuum. *Mandos. hic* q.12.& Hospitalia. *Idem q.*10. Et Vicariæ perpetuæ. *Id. q.* 13. Beneficia commendata. *Gomes. q.* 26. Beneficia Jurispatronatus. *Mohedan decis.* 5. *de Jur. patr.* Capellaniæ datæ in titulum. *Gomes.* q.20. De pensionibus impositis super fructibus Beneficii per annum pacificè possessi asserit id quoque Gomesius q. 21. sed negat Mandosius q. 9. Impetratio Beneficii reservati nulla est tacita annali alterius detentione. *Mand. q.* 23. Beneficia vero Consistorialia hac Regula non comprehenduntur.

2. *Pacifice possessum*, de qua nulla nec juris, nec

nec facti judicialis vel extra judicialis facta est controversia. *Tusch. to. 6. Pract. Concl. num. 1.*

3. *Prætenditur.* Reg. Innocentii VIII, & Pauli V. habet: *prætendit*, vel ut hic Alphonsus *prætendet*, quod cum etiam ad tempus futurum referri possit, clarius ponitur: *prætenditur.*

4. *Gradum & nobilitatem*, si id constet, si enim per famam haberetur non esse graduatum, licet clandestinè promotus sit in Doctorem impetrans sine culpa erit, si id non expresserit. Hodie tamen non exprimitur gradus, nobilitas aut tempus in quacunque impetratione Beneficii, ideoque quo ad hoc derogatum est huic Regulæ.

5. *Infra sex menses* à tempore datæ impetrationis, & non à tempore expeditionis Bullarum. *Alph. hic Gomes. q. 67.*

6. *Infra annum* à tempore citationis executæ. *Chokier.*

7. *Usque ad sententiam diffinitivam*, quantum in ipso fuerit, si enim per eam non steterit, quo minus intra annum sententia pronunciata non fuerit, culpabilis non erit. *Ganzal. ad Reg. 8. gloss. 12.*

8. *Quinquaginta florenos auri persolvere.* Hanc pœnam in usu non esse tradit *Gomes. hic. q. 40.*

9. *Quod etiam* &c. usque ad finem inseruerunt Regulis suis Pontifices ex Constit. Julii III, ut majus frenum injiciatur iis, qui ausu temerario & ambitiose satagunt Beneficia annalium possessorum impetrare.

RE-

REGULA XXXVI.

De Triennali.

Item statuit, & ordinavit idem D. N. quod 1 *si quis quæcunque Beneficia Ecclesiastica* 2 *qualiacunque sint* 3 *absque Simoniaco ingressu, ex quovis titulo Apostolica, vel Ordinaria collatione, aut electione,* 4 *electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet,* 5 *per triennium* 6 *pacificè* 7 *possederit, (dummodo in Beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris clausa reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.*

1. Si

1. *Si quis*, nimirum habilis, cum enim jura loquuntur de personis, intelligunt habiles & idoneas. *l. Ut gradatim ff. de muner. & honor.*

2. *Qualiacunque* ideo & Officia Ecclesiastica, *Gomes. hic. q.* 6. & Hospitalia si dentur in titulum *Rebuff. in prax. tit. de de vol. n.* 72. etiam Beneficia Jurispatronatus *Gomes. hic. q.* 9. & Cummendæ *Mohedon. de caus. poss. & prop.* Non vero unita, si unio sit perpetua. *Gom. q.* 8. nam vacare non possunt, cum sint extincta; Nec incompatibilia, ideoque possessor duorum incompatibilium non defenditur per hanc Regulam, quia contra Concilii Trid. decreta non operatur hæc Regula. Nec manualia. *Mohedan decis.* 169. Nec demum impetrata ante tempus verisimilis notitiæ. *Chokier hic.*

3. *Absque Simoniaco ingressu*, si nimirum in acquisitione Beneficii nec Simoniam realem, nec conventionalem commiserit, licet post ingressum & provisionem Beneficii aliquid dederit. Non peccat etiam contra hanc Regulam simoniacus ignorans, pro quo videlicet alii, ipso penitus inscio aliquid dederunt, ut conferretur illi Beneficium.

4. *Et electionis hujusmodi confirmatione*, quia sola electio non tribuit jus in re, sed ad rem tantum, nisi forte electio facta sit ab illis, qui habent simul potestatem confirmandi.

5. *Per triennium*, nempe continuum, nam præpositio *Per* denotat omnimodam continuationē. *l. Urbana §. pernoctare ff. de verb. signifi.*

6. *Pacificè*, si nimirum lis nulla sit mota judicialis vel extrajudicialis *Glos. in Clem.* 1. *se-*

questr.

questr. pos. & fruct. V. ante, ideoque si quis majorem partem fructuum non percipiat, licet in judicio nulla lis moveatur, non censetur possidere pacifice. *Alphons. hic.*

7. *Possederit* Regula hæc defendit solum possessorem triennalem in possessorio, non in petitorio sive quo ad titulum verum & proprietatem, & doct. Felinus *in c. Sicut de sent. & re judicata* & Gomesius q. 11. Ordinarium posse triennalem possessorem amovere à possessione si possideat titulo malo & vitioso.

REGULA XXXVII.

De non appellando ante Sententiam diffinitivam.

Item idem D. N. ut finis litibus celerius imponatur, & litigantium parcatur sumptibus, & expensis, suorum Prædecessorum Constitutionibus, & statutis inhærendo, statuit, & ordinavit, quod 1 *in causis pendentibus, & quas inposterum contigerit agitari nulli ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat amitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat diffinitivæ, vel à gravamine minimè concernente negocium*

gocium principale, quod non possit per appellationem à diffinitiva sententia reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à diffinitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes, & commissiones imposterum, & quicquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris, vel momenti, commissionibus appellationum jam Judicibus præsentatis, & exhibitis in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes verò & appellationes etiam ab interlocutoriis, & gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, & damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna mulctetur.

1. *In causis pendentibus*, in Regulis Innocentii VIII. & Pauli V. additum fuit *in Romana*

Curia, ideoque putavit Gloſſator extra Curiam non habere locum regulam, ſed ab aliis deinde Pontificibus hæc omiſſa ſunt, ut ſecundum jus civile non recipiatur appellatio, niſi poſt ſententiam diffinitivam, & interlocutoriam, quæ vim diffinitivæ habeat. Quod etiam diſpoſuit Tridentinum *Seſs. 24. c. 20.* & ſequitur Camera Imperialis teſte Gailio. *l. 1. Obſ. 129.*

REGULA XXXVIII.

Non ſtetur Commiſſioni poſt concluſionem.

Item ſtatuit, & ordinavit, quod in Commiſſionibus de juſtitia, ſeu mandatis etiam Conſiſtorialibus per eum, ſeu de ejus mandato, vel auctoritate in cauſis, in quibus concluſum exiſtat, impoſterum concedendis, etiamſi in eis de concluſione hujusmodi implicite, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil cenſeatur eſſe conceſſum, niſi per conceſſionem hujusmodi Commiſſionis, huic eidem concluſioni, ac præſenti regulæ, derogetur expreſsè.

1. *Eidem concluſioni, ac præſenti regulæ* additum eſt in hac Regula, ideoque huic quoque expreſsè derogari debet, ut commiſsiones contra concluſum valeant.

RE-

REGULA XXXIX.

De litteris Religiosorum expediendis.

Item voluit, & ordinavit, quod si aliqui Religiosi petunt aliquod Beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri non possint, litteræ quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in Signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

REGULA XL.

De Clausula ponenda in litteris permutationis Beneficiorum.

Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio ponatur clausula: Attente quoque provideas &c. *Etsi ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula*, Quod neuter permutantium jus acquirat, *nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.*

1. Duæ hic ponuntur clausulæ salutares: Prima est: *Attente quoque provideas*, quæ divinanda esset, nisi consulantur Abbreviatores: inquit Alphonsus, Et vero talis: *Attente quoque pro-*

videas, quod in renunciatione prædicta vis, metus, ac aliqua Simoniaca pravitas non intervenit. Altera clausula est: Quod neuter permutantium.

REGULA XLI.

De supplendis defectibus.

Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper 1 hujusmodi defectus exprimantur, vel per, Fiat, ut petitur, *supplicatio signata fuerit.*

1. *Hujusmodi defectus*, nimirum juris positivi, non naturalis, qualis est partis citatio, consensus, hos enim nunquam censetur tollere, etiam cum addit clausulam. *Supplentes de plenitudine potestatis, omnes defectus, si qui intervenerint.* Gomes ad Reg. *de non judicando quæst.* 16.

REGULA XLII.

De derogatione Jurispatronatus.

Item voluit, quod super quovis Beneficio Ecclesiastico de Jurepatronatus Laicorum non expediantur litteræ, nisi ponatur expressè, quod

tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè est devoluta, 1 vel quia tempus Patronis laicis ad præsentandum à Jure præfixum lapsum existat, aut ad id Patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum Jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositivè, ac specificè, & determinatè, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

1. *Vel quia tempus Patronis Laicis ad præsentandum à Jure præfixum lapsum existat.* Addidit hæc verba Julius III., ut intelligatur devolvi jus ad Papam immèdiatè, non ad proximè Superiorem elapso tempore præsentationis laicis præfixo, quod est quatuor mensium à vacatione beneficii. *c. Unico de Jurepat. in 6.* Sex vero mensium; si Jus patronatus sit mixtum. *Less. de Just. & Jur. l. 2. q. 34. n. 6.*

2. *Jurispatronatus hujusmodi mentio, dispositivè, ac specificè & determinatè, non autem conditionaliter fiat.* Addita sunt à Clemente VIII ut magis servetur jus Patronatus Regum & Principum, quorum offensam inprimis cavere solet Ecclesia.

REGULA XLIII.

De Commendis.

Item voluit, quod nulli sæculari de regula
1 *nec religioso de sæculari beneficiis Commenda*
detur, nisi in Signatura 2 *per Clausulam ad*
partem super petitione Commendæ hujusmodi,
de Commenda ipsa mentio fiat.

1. *Nec Religioso de seculari:* S. Congregatio Concilii tamen declaravit ex necessitate ob penuriam Sacerdotum, & cum Papæ dispensatione & ad tempus, quoad scilicet Episcopus provideret de Clerico seculari, Regulares nonnunquam admitti ad Parochiales. *Garc. de benef. p. 7. c. 10. n. 20. & seq.*

2. *Per clausulam ad partem.* Non habentur in Reg. Innocentii VIII. & Pauli. V.

REGULA XLIV.

De Reformationibus.

Item voluit, statuit, & ordinavit, quod super quibuscunque 1 *Reformationibus signatis super impetrationibus quorumcunque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litteræ super prima Data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali Data, cuiquam videatur posse fieri præ-*

præjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsa prima Data nullatenus expediantur, nisi Reformationes hujusmodi per Fiat sub prima Data signatæ fuerint.

1. *Reformationibus signatis.* Per reformationes hic intelliguntur correctiones, quæ petuntur ab impetrantibus, quia errores in supplicatione signata aut Bulla irrepserunt impetranti præjudicantes. Hæ vero literæ reformatæ secundum hanc regulam expediri non debent sub prima data, si ex tali data alteri præjudicium nascatur, nisi Pontifex in Signatura reformata addiderit verbum *Fiat.*

REGULA XLV.

De consensu in Resignationibus, & Pensionibus.

Item voluit, & ordinavit, quod super resignatione 1 *cujuscumque Beneficii Ecclesiastici, seu cessione Juris in eo, quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ litteræ nullatenus expediantur, nisi Resignans, vel cedens, si præsens* 2 *in Romana Curia fuerit personaliter, alioquin per* Procuratorem *suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi* 3 *in eadem Cancellaria expresse consenserit, &* 4 *juraverit, ut moris est.* 5 *Et si ipsum resignantem, seu Cedentem pluries super uno, & eodem beneficio in favorem*

vorem diversarum personarum successivè consecutive contigerit. Voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, & alii posteriores consensus, ac litteræ eorum prætextu etiamsi priori Data expeditæ pro tempore nullius interstitii, vel momenti, nec litteræ reservationis, vel assignationis etiam Motu proprio cujuscumque pensionis annuæ, super alicujus beneficii fructibus expedirí possint, & nisi de consensu illius, pensionem persolvere tunc debebit.

1. *Cujuscumque Beneficii*, etiam dignitatis & personatus. *Tusch. pract. Concl. to. 6. Concl. 99.* Non tamen Episcopatus, quia in ea cessat ratio Regulæ, cum nulla fraus intercedere possit; Renunciationes enim Episcopatuum fiunt in Consistorio. *Paris. de resign. l. 8. q. 5. n 649. & seqq.*

2. *In Romana Curia*, hoc est intra muros civitatis, vel certè in Suburbiis, nam Curia hic intelligi non debet pro duabus dictis. *Arg. cap. præsenti § loca de præb. in 6.*

3. *In eadem Cancellaria* vel Camera, quia secundum praxin & stylum Curiæ Romanæ præstari solet consensus in Camera vel Cancellaria. *Paris. de resign. l. 8. q. 8.*

4. *Juraverit ut moris est*, nimirum non interveniſſe fraudem, dolum, vim, metum aut Simoniam.

5. *Et sibipsum* &c. usque *vel momenti*, addiderunt Pontifices post Innocentium VIII. ad tollendam omnem ansam dubitandi de prælatione diversorum Resignatariorum; Præfertur vero primus,

mus, quia inconstantia, seu variatio in resignationibus suspecta est, aut indecens.

6. *Nisi de consensu illius*, qui solvere debet pensionem, fieri enim facile potest, ut qui pensionem desiderat, affirmet illum consensisse, qui non consensit. Sufficit vero præstare consensum per Procuratorem.

REGULA XLVI.

De ingressu Religionis.

Item non dentur litteræ super Beneficiis vacaturis 1 *per ingressum Religionis*, 2 *nisi professio præcesserit datam desuper petitionis.*

1. *Per ingressum Religionis* non inchoatum per Novitiatum, sed completum per professionem, & vota substantialia, quæ Religiosum constituunt.

2. *Nisi professio* vel emissio votorum substantialium *præcesserit*, id provide statutum, ne Novitius in Religione non perseverans, sustentatione, quam ex beneficio habebat, privetur.

REGULA XLVII.

Non valet impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.

Item voluit, quod si petatur aliquod bene-

beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis I *impetratio non valeat, nec litteræ desuper expediantur.*

1. *Impetratio non valeat*, cum mentio nunc fieri debeat ad præcavendas varias fraudes, de vacatione, & de modo vacandi, quod olim ante hanc Regulam necesse non erat, sed sufficiebat dicere generatim, *tale beneficium vacare, se vero supplicare, ut Sua Sanctitas sibi illud conferat. Gemin. in c. susceptum, de rescrip. in 6.* Facta enim simpliciter mentione vacationis, includebatur omnis modus vacationis. *Glos. in Clem. J. V. Quamvis de Præb. & Gloss. in. c. Si propter de Rescript. in 6.*

REGULA XLVIII.

De executione facienda.

Item voluit, statuit, & ordinavit, quod quotiescumque per Signaturam suam, vel de ejus mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, Judex datur, litteræ desuper expediantur cum expressione, quod idem

idem Judex executionem faciat 1 *per seipsum.*

1. *Per seipsum*, quia videtur electa industria personæ, alias secundum jura Delegatus Principis supremi potest subdelegare. C. *Pastoralis de offic. deleg. l. fin. ff de officio ejus, cui mand. est Jurisd. l. More majorum. ff. de Jurisd.*

REGULA XLIX.

De dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.

Voluit, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis, 1 *aut alias prohibito, ponatur clausula*, Si mulier rapta non fuerit. 1 *Et si scienter, ponatur* 3 *clausula addita in quaterno.*

1. *Aut alias prohibito*, quod intelligitur de publicæ honestatis justitia.

2. *Et si scienter*, hoc est juxta Rebuffum in addit. Quod si Raptor scienter contraxerit cum rapta, & petatur dispensatio à Papa, tunc apponenda est.

3. *Clausula addita in quaterno*, nimirum libro aliquo Cancellariæ, quæ est: *Quod tales separentur ad tempus, quousque ad arbitrium*

Commissarii

Commissarii congruam egerint pœnitentiam: & postea dispensetur secum.

REGULA L.

Super defectu Natalium.

Voluit, quod in dispensationibus super defectu Natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus ponatur clausula, Quod 1 non præjudicetur illis, *ad quos successio bonorum ab intestato* 2 *pertinere debeat.*

1. *Non præjudicetur illis,* non solum filiis, sed probabilius etiam propinquis, qui ab intestato succedere possunt.

2. *Pertinere debeat.* Addi nunc solet, ut refert Chokier n. 8. Hæc alia clausula: *Citra bona Emphiteutica & feudalia Ecclesiastica,* quæ reverti debent ad Ecclesias.

REGULA LI.

Super Dispensationibus.

1 *Item, quod perquamcumque Signaturam in quavis gratia, nullatenus dispensatio veniat,* 2 *nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effe-*

effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut 3 *operetur.*

1. *Item* sensus Regulæ est: Si Pontifex contulit gratiam v. gr. beneficium alicui, qui non habet v. gr. requisitam ætatem, & hic idipsum in supplicatione exposuit, Pontifex vero pergat nihilomnus in dispensando, censetur dispensare super atate; si autem supplicans reticuerit hoc impedimentum non censeretur per hanc Regulam dispensatum esse.

2. *Nisi specialiter exprimatur*, non habetur in Regula Innocentii VIII.

3. *Operetur.* In Regula Innocentii VIII. adduntur sequentia, quæ hic omissa sunt: *Et si super defectu ætatis sit dispensatio hujusmodi, de duobus duntaxat annis dari valeat, habita prius per testes idoneos, vel alias reformatione, quoad hoc de idoneitate personæ cui dicta dispensatio concedetur.*

REGULA LII.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

Item, cum Concessiones super gratiis Dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariæ Apostolicæ sint provide limitatæ,

tatæ, licet aliquando in petitionibus super hu-jusmodi concessionibus oblatis, multa sint po-tita, ne quis talium concessionum prætextu il dispensative tenere, aut facere præsumat, quod concessiones hujusmodi se non extendant voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam 1 in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litteræ Apostolicæ sint con-fectæ.

1. *In judicio vel extra.* Hæc addita sunt à Pio V. & Successoribus ejus ad tollendum dubium, an quis tutus sit in foro conscientiæ ex signatura sola dispensationis, & declaratur hic neque in judicio, neque extra, id est in foro externo ejusmodi dispensationem suffragari.

REGULA LIII.

De clausulis ponendis in litteris Indulgentiarum.

Item voluit, quod in litteris indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ, vel Capellæ, aut alias aliqua Indulgentia 1 fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujus-modi litteræ sint nullæ.

1. *Fuerit concessa.* In Reg Innocentii VIII. & Pauli V. habetur *fuerit per ipsum concessa*, adeoque si tunc alius Pontifex vel Episcopus juxta c. *Cum ex eo de pœn. in remiss.* dedisset indul-

gen-

gentias, quarū mentio non esset facta in ultimis literis indulgentiarū nihilomnus hæ validæ fuissent, nunc autem sunt nullæ, quia indefinite dicitur: *Alias fuerit concessa.*

REGULA LIV.

De Indulgentiis concessis ad instar.

Item voluit idem D. N. quod litteræ super Indulgentiis non expediantur 1 *ad Instar, nisi specificentur.*

1. *Ad Instar* nimirum aliarum Indulgentiarum aliis Ecclesiis, locis, personis concessarum, super quibus non vult Pontifex expediri literas, nisi specificentur, tum ne nimium multiplicentur Indulgentiæ, tum ut præcaveantur fraudes, quæ facilè in ejusmodi generalitate irrepunt.

REGULA LV.

De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus.

Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum, 2 *& aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum*

datum provideri, 3 *verus annuus valor* [illegible] *per Marchas argenti, aut Sterlingorum, vel libras Turonen. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri*, 5 *seu aliam monetam secundum communem æstimationem* 6 *exprimatur, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit*, 7 *juxta ipsarum oblationes*, [illegible] *alia dimittere teneantur, alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ*: 9 *Et idem servetur in gratiis, quas à Sanctitate Sua* 10 *Motu proprio emanave contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore provideatur seu provideri mandatur, aut alias dimittitur, ac literis per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchialium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, aut Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica secularia, & regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis competit, retinere possint.*

1. Conditorem hujus Regulæ facit Gomesius Urbanum IV. Alphonsus Urbanum VI.

2. *Aliorum quorumcunque Beneficiorum*, exceptis Beneficiis, quæ habentur in stipendium & non in titulum. *Alphon. hic Tuschus practic. concl. to. 6. concl.* 99. & pensionibus, si assignatæ non sint in titulum. *Gonz. ad Reg. Cancel. glos.* 5. §. 5. *n.* 15. *& seqq.*

3. *Verus*

3. *Verus annuus valor*, si itaque minor aut major expressus fuerit, gratia nulla est ex stylo Curiæ Rom. & exprimendus est distincte unum non excedere 100, & aliud 24, non in confuso, v. gr. utrumque non excedere 124. *Garc. de Benef. p. 6. c. 2. n. 155.* Valor vero Beneficiorum obtentorum exprimendus est, ne uni per plura Beneficia plus attribuatur, quam exigat illius indigentia, & capiat contra Canones plurimorum stipendia. Valor autem obtinendorum exprimitur, ne per valoris taciturnitatem Annatæ defraudentur, quæ ad subventionem Papæ & Cardinalium indigentiam introductæ sunt. *Gomes, ad hanc Reg.* Canonicatus tamen Germaniæ & Hispaniæ ex generali consuetudine & stylo Curiæ, atque etiam secundum Concordata Germaniæ rescribuntur omnes ad 24. Ducatos, ut nimirum vitentur Annatæ, ideoque ne gratia fiat nulla, addi solet in literarum expeditione. *Verus valor & vacationis modus &c. Habeantur pro expressis.*

4. *Per Marchas argenti &c.* quis sit valor monetarum, quæ hic nominantur diximus supra *Cap. 10. §. 5.*

5. *Seu aliam monetam* pro diversitate populorum, apud quos in usu est.

6. *Exprimatur.* Dupliciter exprimi potest valor, vel per ascensum v. gr. Reditus Beneficii ascendunt ad Ducatos centū, vel per non excessum, ut: proventus nō excedunt Ducatos viginti quatuor auri, & hoc posteriori modo fit hodie expressio valoris. *Lott. l. 9. q. 20. n. 86. & 87.* cum sit accuratior, nam primus modus non excludit majorem quantitatem. Cum autem verus valor difficulter habeat certitudinem, ideo error bona fide com-

missus non vitiabit gratiam. *Covarr. l.* 1. *variar. c.* 20. *n.* 7.

7. *Juxta ipsarum obligationes*, hoc est juxta petitionem partis impetrantis, quæ offertur supplicatione per assecutionem secundi Beneficii dimittere illud, quod obtinebat.

8. *Aut alias*, nimirum si impetrans Beneficium curatum, habeat aliud curatum, non tenetur illius valoris facere mentionem in assecutione secundi, cum primum vacet ipso jure.

9. *Et idem servetur in gratiis, quas à Sanctitate sua Motu proprio* &c. usque ad finem, addita sunt à Pio IV. aliisque post eum Pontificibus.

10. *Motu proprio*, ideoque hæc regula etiam observanda est in gratiis motu proprio concessis, quæ alia in Regula Innocentii VIII, excipiebantur, ac proinde à Pio IV. ac Successoribus ejus hæc verba expuncta sunt: *Nisi motu proprio gratiæ hujusmodi fiant.*

REGULA LVI.

De clausulis in Beneficiis vacantibus ponendis.

Voluit, & ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de Beneficio Ecclesiastico vacante, tunc dari potuerunt 1 *clausulæ si petantur, etiamsi illud quovis modo &c.*

seu

seu per Constitutionem Execrabilis *vacet, & specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, & ejus collatio devoluta fuerit, & si pro collitigante, vel subrogationem, aut* 2 Si neutri, vel 3 si nulli &c. *potente, si tunc lis specifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione specialis, & expressa, ac* 4 *purè, & non sub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reservationes ibi contentæ veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut* 5 *in Novis provisionibus, seu pro collitigantibus,* Si neutri, vel si nulli &c. *sit expressum, quod ab aliquibus asseritur illum, cujus beneficium conceditur, Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviatorem, vel familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuisse, clausula ponatur etiamsi dictum beneficium ex eo quod talis Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel familiaris, Notarius, aut dictæ Sedis*

Officialis fuit, dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum existat, Dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum. In reliquis verò nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex Fiat, signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

1. **Clausulæ si petantur,** nimirum in supplicatione, in qua post petitionem gratiæ principalis supponi solet relicto aliquo spatio, petitio formæ, sub qua literæ expediendæ sunt, prout dictum est. *Cap. 9. de Dataria.*

2. *Si neutri,* nimirum ex duobus litigantibus jus sit quæsitum.

3. *Si nulli,* hæc clausula ponitur, si ex tribus, vel pluribus litigantibus de eodem beneficio, & jus nullum habentibus, provideatur à Papa uni de tali Beneficio.

4. *Purè*, id est simpliciter, ut dicatur: Beneficium vacat per mortem talis, & non vacat, ut dicitur vel asseritur. *Arg. l. 1. §. si quis simpliciter ff. de verb. oblig. junct. Glos.*

5. *In novis Provisionibus.* Nova provisio est provisio Papæ ad alterius provisionis factæ ab alio confirmationem. Dicitur nova, quo ad Papam, qui eam de recenti confert, quamvis collatio, præsentatio, electio ab aliis jam ante facta fuisset, sed quia dubia fuit validitas prioris provisionis

visionis, petiit impetrans novam provisionem à Papa. *Rebuff. in praxi tit. de nova provisione.*

6. *Per duplex Fiat*, per unum namque concedit Papa petitionem gratiæ principalis, & per alterum *Fiat* concedit clausulas, quæ in posteriori parte supplicationis ponuntur.

REGULA LVII.

De expressione qualitatum Beneficiorum in impetrationibus.

Item voluit, quod super beneficiis Ecclesiasticis 1 *de qualitatibus illorum videlicet, an Dignitates, Personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmativè, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expressè desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.*

1. *De qualitatibus illorum.* Qualitates sunt exprimendæ, vel enim inductæ sunt à jure, & hæ si omittantur, vitiant gratiam. *Menoch. de arb. jud. l. 2. cent. 2. casu* 201. Vel sunt indu-

stæ ex stylo Curiæ, & hæ sunt exprimendæ, alioqui literæ vitiantur. *Menoch. l. c. casu* 201. *n.* 27. quia stylus Curiæ habetur pro lege.

REGULA LVIII.

De Beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii.

Item si reservetur beneficium per contractum Matrimonii, 1 *non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum*, 2 *nisi sequatur matrimonium. Sed in beneficiis per promotionem*, 3 *aut ingressum Religionis, vel assecutionem vacaturis, ponatur clausula etiamsi non petatur, Cum beneficia hujusmodi præmisso, vel alias quovis modo &c. præterquam per obitum obtinentis vacare contigerit, etiamsi vacent. Decernens irritum &c.*

1. *Non dentur alii modi vacationum de futuro*, ne nimirum Pontifex Clericum de Matrimonio cogitantem præcipitet in necessitatem, vel majorem det causam illud contrahendi: si videat, non solo Matrimonii titulo, sed aliis etiam modis se in periculo versari amittendi beneficium.

2. *Nisi sequatur Matrimonium* actu & reipsa per verba de præsenti, & non solum per verba de futuro, sive sponsalia *Sanchez. l. 7. de Matrim. Disp.* 42. *n.* 1.

3. *Aut*

3. *Aut ingressum Religionis.* Hæc non habentur in Reg. Innocentii VIII.

REGULA LIX.

De clausulis ponendis in litteris Religiosorum.

Item voluit, quod si petatur aliquem 1 *in Religionem recipi, & sibi de quovis beneficio Ecclesiastico provideri per simplicem signaturam Fiat, Receptio hujusmodi duntaxat detur, adjecto,* 2 *si petens idoneus sit, aut aliud Canonicum non obsistat, & exprimatur si certus numerus Regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur, & si numerus iste non existat, ponatur, Dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur.* 3 *Possintque Executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, procedere.*

1. *In Religionem* non mendicantem, nam ad Regulares mendicantes hæc Regula non spectat, hi namque incapaces sunt beneficiorum, ob renuntiationem omnis proprietatis.

2. *Si petens idoneus sit.* Licet hæc clausula semper subintelligatur. *c. Eunuchus dist. 55.* hic tamen exprimitur, ut examinetur admittendus à Prælato Monasterii, vel Canonico Ecclesiæ Cathedralis. *c. Statutum de rescrip. in 6.*

3. *Pos-*

3. *Possuntque Executores* &c. usque ad finem. His ampliata est Regula à Clemente VIII, & aliis postea Pontificibus. Quando ergo secularis per ingredi Religionem volens sibi conferri aliqua beneficium Regulare, poterit per hanc Regulam admitti ad professionem ante annum Novitiatus absolutum, quem alias exigit Concilium Tridentinum. *Sess.* 25. *c.* 15.

REGULA LX.

De translatione Religiosorum.

Item, si Regularis petat sibi de beneficio ab aliquo Monasterio, vel alio Regulari loco dependente provideri, & appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius Monasterii, vel loci Religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, 1 *nihilominus illa veniat.*

1. *Nihilominus illa veniat*, vult per hanc Regulam Pontifex, ut si Religiosus unius Monasterii petat Beneficium pertinens ad aliud Monasterium, vel locum Regularem ab eo dependentem, transferatur ad illud Monasterium vel locum etsi translationem ipse non petierit, ad vitandas nimirum dissensiones, & incommoda, quæ orirí possent inter Religiosos diversorum Monasteriorum eorumque Superiores.

REGULA LXI.

De clausula, Si est ita.

Item, quod in litteris super beneficiis per Con-

Constitutionem Execrabilis, *vacantibus ponatur clausula*, 1 Si est ita, *similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.*

1. *Si est ita.* Licet hæc clausula semper subintelligatur. *Glos. in c.* 11. *de rescrip.* ponitur hic tamen expressè, tum ob simplices animos dubitantes. *c.* 1. *de nova forma fidel. coll. x. & l.* 11. *C. de jurisd. vid. toll.* Tum quia conditio, quæ inest, etiam de jure non facit contractum conditionalem, si non exprimatur. *l. Conditiones ff. de cond. & demonst. Not. in c. Significasti de elect.*

REGULA LXII.

Petenti provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti.

1 *Item petenti sibi provideri de Vacaturo, dentur litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.*

1. *Item petenti.* Regula Innocentii VIII, paucis mutatis sic habet: *Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur etiam de vacante, & è converso, prout expedierit impetranti.* Sed re ipsa differre non videtur à præsenti Innocentii XII., & sensus illius est, quem refert Glossator, ut *si quis impetret beneficium proximè vacaturum per*

per matrimonium beneficiati, nuptias v. gr. jam institutas ad certum tempus ponatur in litteris: Providemus tibi de beneficio per talem modum vacaturo, vel jam vacante, si nimirum nuptiæ jam sint peractæ.

REGULA LXIII.

Revocatio Decimarum, & aliarum impositionum.

Item revocavit quascumque Decimarum, necnon subsidiorum, vigesimæ, & aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum per fel. rec. Innocentium XI. Prædecessorem nostrum impositarum quarto Kal. Octobris Pontificatus ipsius anno septimo, & per eundem extensarum, seu inâctarum ad aliud triennium per litteras in forma Brevis sub die vigesima quinta Novembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo Pontificatus ipsius anno tertiodecimo, necnon aliarum Decimarum, subsidiorum, & onerum impositorum in subsidium expeditionis contra Turcas & Orthodoxæ Fidei hostes) & quascunque facultates super Decimarum, vigesimæ, & onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum & proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum Collectoribus, & Apostolicæ Sedis Nunciis ab eisdem

eisdem Prædeceſſoribus conceſſas. Suſpendit quoque, ad Suæ Sanctitatis, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum quaſcumque plenarias Indulgentias ab eisdem prædeceſſoribus ex quavis cauſa etiam expeditionis hujusmodi ſi quæ per Nuncios, vel Quæſtores deferebantur, non tamen ab eodem Innocentio Prædeceſſore per litteras in forma Brevis ſub die tertia Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo quinto Pontificatus ipſius anno decimo conceſſas, necnon deputandi, & eligendi Confeſſores, qui plenarie abſolvant, & alia faciant ad earundem Indulgentiarum ſuſpenſarum effectum, reliquasque facultates, ipſas Indulgentias quomodolibet concernentes, præterquam quoad ea, in quibus Indulgentiæ, & facultates in aliqua ſui parte ſint ſortitæ effectum. Ita ut illis, qui implentes injuncta eis in litteris Indulgentiarum hujusmodi jam conſequuti ſunt facultatem eligendi Confeſſores, qui abſolvant eos plenarie in mortis articulo: per hujusmodi ſuſpenſionem non præjudicetur, quin facultate ipſa uti poſſint in futurum: Decrevit quoque irritum, & inane quicquid facultatum revocatarum earundem prætextu, impoſterum contigerit attentari.

1. Hæc in nonnullis diverſa eſt à Regula Innocentii VIII, & reliquorum Pontificum, maximè quod non revocet Decimas impoſitas ab Innocentio

tio

tio XI. in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ fidei hostes; Nec etiam suspendat Indulgentias plenarias concessas ab eodem Innocentio XI per Literas in forma Brevis anno 83. 13. Decembris.

REGULA LXIV.

Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.

Item revocavit, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium Officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium in toto, vel in parte, & quasvis concessiones, & collationes, aliasque dispositiones per felic. rec. Alexandrum VIII, aliosque prædecessores de dictis Officiis etiam ex die collationum, concessionum, & dispositionum earundem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, piorum locorum, Collegiorum, seu eorum Mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, & ex titulo oneroso, & sub quavis alia verborum forma, quam, & præmissarum tenores pro expressis haberi voluit, contessas, & factas, quoad Officia, quæ post obitum dictorum Prædecessorum, vacarunt, & imposterum quomodolibet vacabunt. Item revoca-

vit

vit quoque, cassavit, & annullavit, ac irritas declaravit quascumque Infeudationes, Investituras, Gratias, Concessiones quoquomodo etiã in Emphiteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam Motu proprio, & de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen Consistorium, & sine S. R. E. Cardinalium Consilio, & consensu) à die Constitutionis fel. record. Pii Papæ V. Prædecessoris sui super probibitione alienandi, & infeudandi civitates, & loca S. R. E. sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Quarto Kalend. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos Prædecessores, aut mandato, vel authoritate eorum, quomodocumque, ac qualitercumque, & quovis colore factas, & concessas de civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis S. R. E. & Sanctæ Sedi Apostolicæ, & tam mediatè, quam immediatè subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum nondum devolutis, necnon quascumque prorogationes, & extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum, & concessionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, Castris, Arcibus, & locis,

tunc

tunc videlicet de tempore dictarum prorogatio-num, & extensionum nondum finitarum quibus-vis personis, cujuscumque gradus, status, & conditionis, & præeminentiæ, etiamsi Imperi-li, Regali, Ducali, aut alia quavis præfulgeat Dignitate, etiam in vim contractus, & ex quocumque titulo etiam oneroso, & per quas-cumque tam sub plumbo quam in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomo-docunque, & qualitercunque expeditas litte-ras, ac sub quavis verborum forma, quam, & præmissorum omnium tenores, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissimè exten-dendos.

1. Adjunxit hanc Regulam Paulus V.

REGULA LXV.

Quod fructus in tertia parte augere possint vigore clausulæ.

Item, cum nonnulli in impetrationibus be-neficiorum Ecclesiasticorum pro tempore vacan-tium, & certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus &c. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant à Sanctitate Sua, ut hujusmodi va-

lore

lorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione litterarum, super hujusmodi impetrationibus summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum hæsitari contingat, Declaravit prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, & in prima, quæ desuper fiet litterarum expeditione dumtaxat augeri posse, & eas quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento prædicto, denuo desuper expediri contigerit litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi Motu proprio beneficiales gratiæ, & dispositiones quæcumque, à Sanctitate Sua emanaverint.

1. Addita à Paulo V.

RE-

REGULA LXVI.

De insordescentibus.

Item, ne personis, pro quibus litteræ Suæ Sanctitatis emanabunt obgeneralem absolutionem à censuris Ecclesiasticis, quibus ligati forent ad eorum effectum indifferenter concedi, & in litteris Apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & I insordescendi in illis, statuit, & ordinavit hujusmodi absolutionem, & clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi contingit, non suffragari non parentibus rei judicatæ, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res vetitas ad Infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, &

& Nuncios, vel Exequutores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum 3 *insorduerint.*

1. Est Pauli V.

2. *Insordescendi*, dum veluti pecora in stercore & sordibus scelerum suorum se volutant.

3. *Insorduerint*. In Paschate absolutus etiam ad reincidentiam & statim reincidisset, dici non potest insordescens. *Congr. Conc. Perusina apud Nicolium de Reg. Cancel.*

REGULA LXVII.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

Item idem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales

Romanæ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio Officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultrà prosequentibus negociorum quorundam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districte præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu Officiorum, quæ obtinent quovis colore etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiosè differre, sub Excommunicationis; & præter illam suspensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quod S. R. E. Vicecancellarius, & Camerarius, excedentes ipsos respective, pro ut eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut

præfertur compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

REGULA LXVIII.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolica vacante.

Item Sanctissimus D. N. providè considerans consuevisse quandoque Romanos Pontifices Prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede Apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tam Conclavistis, quam pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere omnia, & singula beneficia per Regulas Cancellariæ Apost. aut quaslibet alias Apostolicas Constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, & ex quavis causa reservari

solita, quæ à die obitus fel. record. Alexandri VIII. Prædecessoris sui, usque ad diem duodecimam Julii currentis vacaverunt, & 1 de quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat, sed minus validè dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum &c.

1. *De quibus per quoscumque Ordinarios Collatores, tunc dispositum non fuerat.* Invigilandum ergo ordinariis Collatoribus ut Beneficia ad suam collationem jure communi spectantia, si vacent Sede vacante, mature conferant, priusquam electo novo Pontifice Regulæ Cancellariæ, & per eas reservatio Beneficiorum reviviscant.

REGULA LXIX.

Revocatio Indultorum Superventiæ.

Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit Prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus concessisse, & indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel

erga

erga Creditores, aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi Successorum præjudicio, & Ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati Ecclesiarum, & successorum beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, Revocavit, cassavit, & annullavit omnia, & singula indulta, & facultates in ea parte, qua nec dum vere, & realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones; & emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam Beneficiatorum, & tempus quo beneficia hujusmodi obtinuerint minimè restricto, & coarctato illorum tenores &c. Decernens irritum &c.

RE-

REGULA LXX.

Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

Item, cum S. R. E. Cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prorogativis, & privilegiis gaudere, Idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, & Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel constitutiones edendæ de eorumdem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, 1 seu in eisdem Regulis, & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

1. *Seu in iisdem Regulis & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.* Non habentur in Regula Pauli V.

REGULA LXXI.

Quod Regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

Item

Item Sanctitas Sua statuit, & declaravit, quod præmissis, & quibusvis aliis Regulis Cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquam censeatur derogatum, in quibuscumq; Constitutionibus, Litteris, Brevibus, Indultis, & aliis Ordinationibus Apostolicis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia emanatis, per quæcumque verba, & Decreta derogatoria, irritantia universalia, & amplissima, & clausulas quantumvis efficacissimas etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, & individuæ expressionis vim habentes, & habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, & non aliter, nec alio modo.

REGULA LXXII.

De Potestate Reverendissimi Dñi. Vice-Cancellarii, & Cancellariam Regentis.

Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum quibus gratia, & concessiones fiunt, ac Beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item

Item, quod possit omnes causas Beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

Item quod processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachii sæcularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos, & intrudendos per litteras Apostolicas desuper conficiendas, & non alias.

Item, quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas, de Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus dispositioni Apostol. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes etiam duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, & Subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc à jure statuta tempora, in quibus sic arctati successivè ad ipsos Ordines promoveantur.

Placet, Publicentur, & describantur A.

Lectæ, & publicatæ fuerunt suprascriptæ Regulæ, Ordinationes, & Constitutiones in Cancellaria Apostolica ab uno ex RR. PP. DD. Majoris Præsidentiæ Abbreviatoribus Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sextentesimo nonagesimo primo die vero vigesimo primo mensis Julii Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri INNOCENTII XII. *Anno Primo.*

Joseph Maria Minicotius
Procustos.

CAPUT XIII.

De Secretaria Apostolica.

1. *Gratia & Justitia conceditur etiam in Secretaria Apostolica.*
2. *Olim constituebant Secretariam Secretarii qui expediebant literas nomine Pontificis.*
3. *Vel sub plumbo, vel sub annulo Piscatoris.*
4. *Innocentius VI. instituit Collegium Secretariorum.*
5. *Ex quo olim sumebantur Secretarii Legatorum & Nunciorum.*
6. *Emunt Secretarii Officia & percipiunt emolumenta ex Brevibus.*

7. *Ex*

7. *Ex his unum eligit Papa, qui Brevia subscribit.*
8. *Præfectus Brevium est Cardinalis.*
9. 10. & 11. *Quæ expediantur in forma Brevis.*
12. *Triplex est modus expediendi Brevia.*
13. *Primus Secretarius & Minister est Cardinalis Nepos; sed nunc Titulus est diminutus.*
14. 15. 16. *Ejus Officium.*
15. *Habitat in Palatio Apostolico, & fuit hactenus Legatus status Avenionensis & Comitatus Venaissini.*
18. *Habuitque ius in locis Vice-Legatum.*
19. *Nunc vero nihil ex iis Provinciis percipere potest.*
20. *Alia quoque Officia & pingues reditus illi assignabantur.*
21. *Nunc vero id prorsus prohibitum.*
22. *Post Cardin. Nepotem est Secretarius Status. Quæ ei committantur.*
23. *Qui plures habet Adjutores.* Eorum Officium.
24. *Præcipuus inter eos est Secretarius Cifrarum.*
25. *Est quoque Secretarius Brevium.*
26. *Ejus Officium.*
27. *Distinguenda sunt Brevia à monitoriis, & inhibitoriis.*

28. Et

28. *Est etiam Secretarius rerum Forensium.*
29. *Et Secretarius Memorialium.*
30. *Brevia referuntur in Registra.*
31. *Quæ sit taxa Brevium.*

I.

QUamvis pleraq; negotia, quæ Gratiâ Justitiamque concernunt in Curia Romana referuntur atque etiam expediuntur in Signatura Gratiæ & Justitiæ, Dataria, Cancellaria & Camera Apostolica, frequentissimè tamen præsertim post tempora Innocentii VI. literæ Apostolicæ de rebus tam Gratiæ quam Justitiæ, & ex utrisque mixtis in Secretaria Apostolica conceduntur.

2. Constituebant ante Innocentium VI. hanc Secretariam, ut refert Vestrius, certi quidam Secretarii, non tamen in aliquod Collegium, ut postea factum, colligati, quorum operâ utebatur Pontifex in rescribendis litteris de rebus fidem & Rempublicam concernentibus ad Reges, Principes, Civitates, Cardinales, Episcopos, aliosque qui aut Papam consulebant, aut Mandata ab eodem accipiebant.

3. Hæ literæ duplici modo expediebantur, uno sub plumbeis Apostolorum

rum Petri & Pauli imaginibus, & Bullæ appellatæ sunt, altero sub annulo Piscatoris forma epistolari & brevior, ideoque Brevia dicta sunt, in cera, & quandoque etiam in plumbo, hac vero ætate usus Brevium in plumbo omnino desuevit, & sub cera duntaxat extraduntur.

4. Cum vero excrescentibus negotiis pauci, qui erant, Secretarii domestici omnibus expediendis non sufficerent, instituit idem Innocentius VI. Collegium junctis domesticis triginta duorum Secretariorum, eâ tamen lege, ut hic numerus ad vigesimum quartum successu temporis reduceretur, si contingeret aliquos domesticorum è vita vel officio decedere.

5. Ex hoc Collegio assumebantur olim Secretarii & Consiliarii Legatorum & Nunciorum Apostolicorum, qui etiâ frequenter pro meritis suis tanquam in negotiis publicis jam versati ad ipsum Nunciaturæ munus elevabantur. Verùm cum officia ista ob inopiam Ecclesiæ ex prima institutione Innocentii VI. venalia sint, accidit frequenter, ut ea obtinuerint non satis idonei, quibus majora illa munia committi tutò non possent,

sent, ideo prudenter Pontifices judicarunt, non expedire hujusmodi officia illis amplius deferre.

6. Comparantur vero singula horum Secretariorum officia novem millia Scutorum, & reditum annuum proferunt ad Scuta octingenta. Participant enim hi Secretarii ex emolumentis Brevium, quæ per eos expediuntur, & taxata per aliquem è numero eorum omnia solvuntur, exceptis Brevibus Indulgentiarum.

7. Unum ex 24. Secretariis eligit Pontifex magis idoneum qui veluti Prælatus domesticus & familiaris Papæ substitit in Palatio Apostolico. Hic Brevia taxata, quæ in hac Secretaria expediuntur, revisa prius & signata annulo Piscatoris à Præfecto Brevium, subscribit.

8. Est hic Præfectus Brevium Cardinalis aliquis, qui percipit in singulos menses centum Ducatos de Camera. Officium illius est, ut dixi, revidere & subsignare annulo Piscatoris Brevia, quæ taxata extraduntur.

9. Expediuntur vero per hanc Secretariam in forma Brevis placita super alienationibus bonorum Ecclesiæ infra summam

mam decem Ducatorum Cameræ inreditibus ; Item dispensationes super ætate, interstitiis, defectu natalium promovendorum ad ordines , non autem ad dignitates , & beneficia , nàm illæ dispensationes expediri solent per Cancellariam sub plumbo. Expediuntur hic quoque Indulgentiæ , & aliæ similes gratiæ.

10: Conceduntur quoque per hanc Secretariam in forma Brevis majores gratiæ & negotia graviora , ut sunt indulta , quæ dantur Regibus , Principibus, Cardinalibus , Legatis , & Nunciis Apostolicis ; Nec non dignitates, vel tituli sæculares Principum , Ducum, Marchionum & Comitum. Magistratus quoque & officia tam Ecclesiastica quam sæcularia , sive civilia illa sint, sive militaria. Præterea condonationes, dispensationes cæteræque gratiæ, quæ per Papam concessæ ex Regulis Cancellariæ vel ex stylo Curiæ non exigunt literas sub plumbo in Cancellaria expediendas.

11. Nonnunquam etiam provisiones Cathedralium , & Metropolitanarum, Dignitatum & Beneficiorum , quæ cæteroquin non solent, nec debent conferri

ferri niſi per literas plumbatas in Cancellaria, fieri ſolent per litteras in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris, ſed ad effectum ſolum adipiſcendi poſſeſſionem licet in Cancellaria Bullæ ſub plumbo nondum expeditæ ſint, quarum expeditio ſubinde certas ob cauſas differtur, ita tamen ut intra ſex menſes ſub pœna annullativa gratiæ expediri debeant.

12. Cœterum brevium triplex eſſe ſolet expediendi modus: Primus eſt, ſi expediantur ſupplicatione intercluſa, & tunc clauſa ſemper ſollicitatoribus conceduntur. Alter eſt, ſi ſupplicatio non inſeratur, ſed ea extenſa Breve conceditur perſonæ alicui ſingulari, & tunc pariter clauſum datur. Tertius eſt, ſi ſupplicatione non intercluſa, ſed extenſa reſcribatur ad omnes & ſingulas perſonas, vel ſi ad particularem perſonam certumque univerſitatis corpus, ad futuram tamen rei memoriam, vel quotiescunque reſcribit Pontifex ad Hebræum aliquem vel Hebræorum univerſitatem, ſemper per breve apertum id fieri ſolet.

13. Præter ſupradictos 24. Secretarios, qui conſtituti ſunt pro Bullis taxatis expediendis, ſupereminet omnes, primus

ptimus non solum Secretarius, sed etiã Minister Papæ Cardinalis Superintendens Generalis antea dictus, qui Cardinalis Nepos appellari solet, cui titulus Secretarii, & Superintendentis Generalis status Ecclesiastici per Brevia Pontificia concedi ante hac solebat. Sed nunc recentissimè Anno 1692. 28. Junii Innocentius per Constitutionem moderatoriam *Romanum* in consensu Cardinalium Officium & Titulum Superintendentis Generalis, atque etiam officia quædam suprema militaria cum omnibus juribus, prærogativis, stipendiis, salariis & emolumentis quibuscumque perpetuo suppressit & abolevit.

14. Munus illius jurisdictionale & publicum est, ac versatur principaliter circa regimen Dominii seu Principatus temporalis status Ecclesiastici, ideoque literas, quæ nomine Pontificis dantur ad Principes, Nuntios, aliosque, & provisiones & patentes, quæ conceduntur Officialibus pro ejusdem Principatus temporalis regimine, & administratione subscribit.

15. Tractat quoque hic primus Minister Politica, ac quædam etiam Civilia cum Regibus & Principibus, eorumque Vica-

Vicariis & Magistratibus, cum Apostolicæ Sedis Legatis & Nunciis aliisque Curiæ Ministris; Et quandoque etiam, si ita visum fuerit Pontifici, cum Episcopis & Metropolitanis.

16. Hinc est, quod Oratores Principum, & Curiæ Officiales ac Magistratus, cum ab audientia Pontificis veniunt, hunc primum in Curia Ministrum adeant, eique communicent, quæ in dicta audientia tractata sint. Atque etiam alii Officiales & personæ privatæ, quæ fortè admitti ad alloquium Papæ non possunt, aut admissi petita nondum obtinuerunt, sua exponunt, & suppliciter commendant.

17. Moratur hic Cardinalis Nepos in Palàtio Apostolico, & Pontifici in Negotiis quibusvis gravioribus assistit, ideoque via & accessu occultiore illum adire potest. Fuit hucusque Legatus Status Avenionensis, & Comitatus Vindascini seu Venaissini in Gallia, percepitque reditus & emolumenta ex iis; Legationem vero comisit alicui Prælato, qui Vice-Legatus dictus est à Pontifice constitutus.

18. Gaudebat hic Vice-Legatus omnibus Facultatibus & Juribus Legati, etiam in aliquorum beneficiorum reservato

rum collatione ; Nisi quod ab eo daretur appellatio & recursus ad ipsum Legatum, qui proinde causas appellationis vel per se ipsũ, vel per Auditorẽ suũ, aliosve delegatos cognoscebat, & si quæ graviores essent committebat eas etiam in Rota decidendas ; Instituta est subinde Congregatio quorundam Prælatorum & Curialium, quæ Avenionensis dicitur, pro negotiis illius Principatûs melius pertractandis.

19. Sed hoc anno per citatam constitutionem prohibuit Innocentius XII, ne post hac emolumenta, salaria aut donaria ex illis Provinciis, quæ ante hac per Cameram Apostolicam Vicario Generali in Spiritualibus & temporalibus, ac Legato de latere iis in locis assignabantur, Nepoti huic aliisve consanguineis vel affinibus Pontificum concedantur.

20. Committi quoque solebat Cardinali Nepoti regimen Principatûs Firmani, quem similiter administrabat per Prælatum aliquem, qui Gubernator dicitur, ita tamen ut appellari posset ab eo ad Legatum. Aliis præterea idem Nepos præficiebatur primariis Officiis pluribus vel paucioribus pro benevolentia Papæ, quorum largis reditibus & com-

modis ditabatur. Sed modernus Pontifex Innocentius XII, in citata Const. *Romanum* perpetuo valitura statuit ac decrevit, ne post hac à se vel Successoribus suis Romanis Pontificibus ad favorem Fratrum, Nepotum, aliorumque Consanguineorum, seu affinium, illorumve loco in familiam adlectorum, de bonis, pecuniis, locis montium, officiis venalibus, creditis, reditibus rebus & juribus quibuscunque ad Cameram Apostolicam quovis modo spectantibus, etiam ex emolumentis Datariæ, Cancellariæ, Secretariæ Brevium, spoliorum Ecclesiasticorum, & quarumcunque Palatii Apostolici portionum seu distributionum provenientibus quocunque Titulo, colore aut prætextu, nisi ex Lege justitiæ aliquam exigant remunerationem, ullo modo disponatur. Quod si Nepotes illi & Consanguinei vel Affines inopia laboraverint, poterit Pontifex illorum paupertatem eo modo sublevare, quo pauperum extraneorum inopiæ subvenire fas est.

21. Hæc aliaque plura in cit. Constitutione pro moderamine servando in donationibus reddituum Ecclesiasticorum Consanguineis faciendis Optimus & ob

hoc solum æterna memoria dignissimus Pontifex pientissimè ordinavit, ut fieret forma gregis daretq; exemplum præsulibus & Ecclesiarum & Prælatis, quibus sàcri Canones, ne bonis & reditibus Ecclesiæ Consanguineos suos locupletent, tam frequenter inculcant, ut hi quoque carnis sanguinisque laqueis expediti de bonis & rebus Ecclasiasticis juxta æquitatis & justitiæ leges disponant.

22. Post Cardinalem Nepotem præcipuus est in rebus politica, & ex parte etiam Civilia & Ecclesiastica concernentibus Secretarius status, cui graviora negotia cum Regibus & Principibus, cum Legatis, & Nuntiis Apostolicis & quàndoque etiam cum Ordinariis locorum Gubernatoribus aliisque Officialibus & Magistratibus statûs Ecclesiastici communicato ut plurimùm cum Cardinali Nepote consilio pertractanda committuntur, qui deinde oracula & mandata Pontificis iisdem seu verbis seu scriptis explicat.

23. Hic Secretarius plures Adjutores habet, & Ministros, qui literas & instructiones in rebus gravioribus vel ipsi componunt, quas deinde revidet Secretarius status vel à dictante excipiunt. Divisas inter se habent Provin-

cias

cias & Nuntiaturas, pro quibus literas illas conficiunt. Vestiuntur violaceis, & habitant in Palatio Pontificis, â quo pro annuo salario percipiunt mille quingenta scuta, præter emolumenta, quæ ex Secretaria proveniunt.

24. Hos inter præcipuus est, qui Secretarius dicitur Cifrarum, hic literas cifris & notis occultioribus scriptas interpretatur, & componit.

25. Ex supradicto Collegio Secretariorum desumitur ut plurimum unus, qui Secretarius Brevium dicitur; Et si fortè nemo in Collegio esset, qui aut satis idoneus ad hoc videretur, aut sufficienter probaretur Pontifici, committitur quandoque hoc munus aut Cardinali alicui, aut Auditori Cameræ, aut alteri cuidam Prælato, probatæ fidei, aut etiam, quamvis id rarius, primo Secretariæ Ministro in hoc Ministerio plurimum versato, atque hoc casu Brevia per hunc Substitutum conscripta subscribi solent per Decanum Collegii aliumvæ Turnarium, prout fert stylus eorum.

26. Officium Secretarii Brevium est expedire literas Apostolicas, quæ dantur in forma Brevis, in membrana

subtili & alba, charactere latino ac nitido scriptas & signatas annulo Piscatoris, qui vel ab ipsomet Pontifice, vel ab ejusdem intimo probatæ fidei familiari magna cum diligentia asservatur.

27. Monendi hic sunt exteri in Curia Romana non versati, ne imponi sibi permittant, credantque damno suo Brevia esse Apostolica, quæ vel monitoria solum sunt Auditoris Cameræ, vel inhibitoria Rotæ, aliorumque Tribunalium, vel processus fulminati, similesve expeditiones Judicum & Tribunalium. Dicuntur quidem Brevia quoque, etiam in ipsa curia literæ pœnitentiariæ, quæ in ipso Tribunali concedi solent ut plurimum pro foro interno, & quandoque etiam pro externo, verum hæ facile dignoscuntur ex diverso sigillo, diversaque forma scribendi.

28. Est deinde alius quidam Secretarius Brevium circa forensia contentiosa, cujus officium est expedire Brevia, & literas pro commissionibus, vel delegationibus causarum appellationis, vel restitutionis in integrum, quæ in partibus diriguntur ad Episcopos viciniores, vel Judices Synodales, aliasve personas in Ecclesiastica dignitate constitutas. Hic

Secre-

Secretarius non moratur in Palatio, & officium illius est venale.

29. Demum habet Pontifex in Palatio suo Officialem, qui Secretarius memorialium vocatur, quia nimirum memorialia vel libelli supplices, qui Papæ porriguntur, per hunc statutis diebus & horis Papæ referuntur vel extensi vel in compendium contracti pro negotiorum qualitatibus atque in eorum libellorum dorso Pontificis responsa per eundem annotantur, ut secundum ea deinde Brevia & provisiones expediantur.

30. Cum vero in Secretaria majora & graviora negotia Pontificum expediantur, ipsaque Brevia ex alio dignosci non possint esse authentica, nisi ex subscriptione Secretarii & Sigillo Piscatoris ceræ rubræ, quæ facile diffringitur & avellitur, impresso; ideo ut haberi semper possit certitudo de expeditione referri solent Brevia in registra, quæ magnâ curâ custodiũur in Archivio Apostolico illis exceptis, quæ minoris sunt momenti, & plerumq; omnibus petentibus conceduntur; Ut sunt, Brevia super dispensatione interstitiorum pro suscipiendis sacris Ordinibus in tribus diebus festivis, aut super dispensatione

ætatis

ætatis tredecim mensium ad suscipiendũ Ordines sacros, concessione quarundam Indulgentiarum sub certa forma, puta pro Altari privilegiato in una die hebdomadæ, aut in Octava mortuorum, vel pro indulgentia plenaria in una tantum solemnitate cujusdam Ecclesiæ, aliisque similibus gratiis, quæ cuique petenti conceduntur, & in quibus non subest timor fraudis seu falsitatis. Post mortem ergo cujuslibet Pontificis, deferuntur supradicta Registra omniaque quæ expedita sunt per Cardinalem Nepotem, cæterosque Secretarios tempore eorum administrationis ad Castellum S. Angeli.

31. Quod attinet ad taxas Brevium, sciendum indulgentias, aliaque spiritualia gratis omnino concedi, adeo ut Secretaria suppeditet expensas membranorum & scriptorum, solum in casibus quibusdam extraordinariis dari solet modicum aliquid fortè in compensationem expensarum. Cætera vero Brevia suas habent determinatas taxas; Ex. gr. Pro dispensatione super interstitijs solvuntur quatuòr ducati de Camera, pro aliis dispensationibus ordinariis solvuntur quinque; At vero in gravioribus negotiis

tiis taxa est varia pro varietate & gravitate negotiorum.

Vestrius l. 1. c. 7. Card. de Luca Relat. cur. Rom. c. 7. Lunador. Rel.

CAPUT XIV.
De Camera Apostolica.

§. 1.
De Tribunali Cameræ Apostolicæ.

1. *Antiquitus Pontifex suppresso Officio Archidiaconorum, curam per se habebat ærarii.*
2. *Sed postea eam commisit Cardinali Camerario, & institutum est Tribunal Cameræ.*
3. *Quæ referantur ad hoc Tribunal.*
4. *Qui Officiales ad illud spectent.*
5. *Quando congregentur.*
6. *Ordo sessionis & qui votum habeant.*
7. *Advocatus & Procurator partium exeunt è Tribunali, postquam Judices informarunt.*
8. & 9. *Quomodo suffragia ferantur.*
10. *Causæ distribuuntur inter Clericos, qui eas à se examinatas in Tribunali proponunt.*
11. *Ubi terminari debent.*
12. *Jurisdictio hujus Tribunalis restricta est.*

13. Offi-

13. Officiales ejus præstant juramentum & sunt immunes.

1.

PRimis Ecclesiæ temporibus sub persecutionibus Tyrannorum commissi Pontifex utpote Divinis intentus curam & administrationem peculii, & thesauri Ecclesiæ Archidiaconis. Cessante deinde persecutione, cum ob insolentem arrogantiam supprimi debuerit officium hoc & dignitas Archidiaconi, suscepit ipsemet Pohtifex curam cognoscendi & tractandi non solum causas publicas privatasque gratiam & justitiam concernentes partim in consistorio cum consilio Cardinalium, partim in Capella cum assistentia Capellanorum, sed etiam negotia quæ ad ærarium & fiscum spectabant in Camera sua domestica cum opera & adjutorio quorundem Prælatorum, qui propterea Cameræ Apostolicæ Clerici, quasi ad hanc Cameram electi, nuncupati sunt.

2. Verum cum successu temporis ingravescentibus negotiis Pontifex ob multitudinem causarum consistorialium, aliarumque quas in Capella cognoscebat, vacare non posset iis, quæ ad Cameram & Fiscum pertinent, administrationem

nem Cameræ commisit alicui Cardinali, qui ob id Camerarius dictus est, eumque præfecit Clericis Cameræ, ex quibus proinde aliisque nonnullis Camerarii Officialibus Tribunal hoc constitutum est; Cui hoc tempore rarius interesse solet Pontifex, nisi cum de gravioribus ærarii & annonæ rebus, vel de mala diplomatum expeditione tractatur.

3. Referuntur ad hoc Tribunal Cameræ Apostolicæ in primis ea omnia, quæ ad regimen Politicum Urbis Romanæ omniū Ditionum in temporalibus Pontifici subjectarum spectant, ideoque in ea præficiuntur Magistratibus & Provinciis Præsides (exceptis S. Sedis Legatis) qui etiam juramentum fidelitatis in manibus Camerarii deponunt. 2. Proventus & rationes universi ærarii Sedis Apostolicæ examinantur. 3. In ea celebrantur contractus cum Pontifice de rebus publicis ad ejus dispositionem spectantibus. 4. In ea quoque expediuntur Literæ beneficiales, si vel Oratores seu supplices hanc expeditionis viam sibi elegerint, vel ob materiæ qualitatem gratia per Cancellarium expediri non potuerit. 5. In ea utroque gladio delin-

delinquentes puniuntur, pœnæque seu profanæ seu Ecclesiasticæ pro qualitate personarum & natura delicti statuuntur 6. In hac audiuntur causæ & controversiæ de publicis functionibus & vectigalibus tam Ecclesiasticis ex universo orbe, quam temporalibus ex statu Pontificio delatæ. 7. Demum ad hoc Tribunal tanquam ad supremam & propriam ipsius Pontificis audientiam confugiunt per appellationem subditi omnes ex universo statu Ecclesiæ temporali in partibus gravati. *Vestr. l. 2, c. 1.* Verum plurima ex his exequenda committuntur Auditori, Gubernatori Urbis & Thesaurario, qui singula sua habent Tribunalia, à quibus tamen ad hoc Tribunal Cameræ datur appellatio.

4. Cum ergo tam varia & disparata sint negotia, quæ spectant ad hoc Tribunal, diversi quoque Officiales illi interfunt, & occurrentes causas negotiaq; expediunt, ut sunt Cardinalis Camerarius, Gubernator Urbis Romanæ tanquam Vibe-Camerarius, Thesaurarius Generalis, Auditor Cameræ, Præses Cameræ, Advocatus Pauperum, Advocatus Fisci, Procurator Fisci in Civilibus, qui Commissarius Cameræ vocatur,

catur, & 12. Clerici Cameræ, quorum unus est semper Præfectus annonæ, unus Præfectus Graſciæ, unus Præfectus carcerum, & unus Præfectus viarum, de quorum omnium officio & jurisdictione infra quædam subjungentur.

5. Congregatur hoc Tribunal in Palatio ſtudii publici, quod Sapientiæ dicitur, *bis* quavis ſeptimana Feria ſecunda & quinta, iisdem nimirum diebus, quibus conveniunt Auditores Rotæ, niſi quod in Menſe Martio, ſi in Feriam ſextam incidat Feſtum, Tribunal hoc Cameræ habeatur Feria quarta, licet Rota habeatur Feria ſexta. In Feriis quoque Æſtivis cæterisque anni temporibus, ſi Conſiſtorium celebretur, congregatur quoque eadem die, quæcunque illa ſit Tribunal Cameræ. In Vigilia etiam Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli habetur Camera extraordinaria in Palatio Apoſtolico Vaticano vel Quirinali, ubicunque fuerit Pontifex, ut recipiantur tributa & cenſus à Feudatariis Eccleſiæ. In ultimo Cameræ Conventu datur Officialibus ad eam ſpectantibus à Pontifice in Palatio Apoſtolico lautum prandium, & prima die Auguſti aliud

iisdem

iisdem instruitur à Cardinali Camerario.

6. In ipso Tribunali sedent ad mensam circularem ex uno latere Cardin. Camerarii duodecim Clerici Cameræ, ex altero reliqui supranominati Officiales, qui ad distinctionem Clericorum vocantur Camerales; Soli Clerici votum ferunt decisivum, cæteri solummodo discurrunt, & si suffragium dare velint, eorum omnium votum, pro unico decisivo numeratur, supplendo nimirum vices Camerarii, cujus nomine interveniunt.

7. Porro Advocatus & Procurator partium postquam Judices informarunt, exeunt è loco Tribunalis, Procurator veroFisci cum reliquis, quando vota feruntur, cum facultate respondendi difficultatibus, quæ per Judices inter suffragandum ingeruntur, remanet.

8. Suffragia vero Clerici Cameræ in singulis causis omnes ferunt, sed peculiari & distincto à Regulis juris & aliarum electionum usitato modo, nam primo major pars votorum non constituitur hic ab excessu supra medietatem, sed major dicitur illa, quæ talis est comparativè ad alias partes; Sic si ex 12. Clericis

Clericis duo abeant in unam sententiam tres in alteram, iterum tres in tertiam, demum quatuor in quartam, hæc ultima sententia prævalet, & concluſum facit. Deinde cum quivis Clericus ſuam habeat Provinciam ſeu Præſidentiam, ut vocant, in qua partes gerit Judicis primæ inſtantiæ, à qua datur appellatio ad Cameram, ſi quæratur an Præſidentis illius ſententia confirmanda ſit, vel rejicienda, ipſemet quoque non ſecus ac alii Clerici votum habet in propria cauſa deciſivum.

9. Si paria ſint ſuffragia Ponens, ſeu Commiſſarius cauſæ votum habet deciſivum, non ſecus ac in aliis Congregationibus & Tribunalibus, quia hic cenſetur majorem magisque diſtinctam habere facti informationem.

10. Diſtributio cauſarum fit inter Clericos per Decanum, id eſt, Seniorem inter illos; Ponens, poſtquã cauſam ſibi comiſſam examinavit, declarat quando cauſam in Tribunali proponere intendat, ſubſcribendo, Schedulã quæ *Dignemini* appellatur, per quam Ponens monet Collegas quo die propoſiturus ſit cauſam, ideoque dignentur audire Partes ſeu verbis ſeu ſcriptis informantes, quod

&

& Partibus indicatur. Informandi modus idem est, qui in Rota servatur.

11. Latâ in hoc Tribunali sententiâ, si res de natura sua sit appellabilis, & de jure communi tres, vel duas exigat conformes, committitur denuo à Decano alteri Clerico, ut causa in eodem isto Tribunali terminetur, cum ab eo non detur appellatio ad alium Judicem, nisi, cum visum fuerit Pontifici, ad Signaturam gratiæ, cui solum hoc Tribunal subest.

12. Jusisdictio hujus Tribunalis restricta est ad certum genus causarum Fiscalium, in quibus nimirum Fiscus seu Ecclesiasticus seu temporalis jus aliquod immediatum vel mediatum habet. Olim tractabantur quoque in hoc Tribunali causæ communitatum, de quibus nunc cognoscunt Congregationes, Consultæ & boni Regiminis; Si tamen agatur de collectis & gabellis similibusque, ad quæ Fiscus jus suum habere dicitur, ingerere se hodiedum solet.

13. Electi ad hoc Tribunal in locum decedentium, non alias servant solennitates, nisi quod præstent consuetum ex dispositione juris communis juramentum;

tum; Inter cæteras prærogativas, quibus non solum Clerici sed etiam cæteri Officiales Camerales gaudent, hæc est, singularis, quod exempti sint à Gabellis, Dohanis aliisque publicis oneribus etiam postquam officium suum dimiserunt.

§. 2.

De Cardinali Camerario.

1. *Olim Ecclesiæ bona administrabant Archidiaconi, postea Cardinales, qui Camerarii dicti.*
2. *Hi amplam habebant potestatem.*
3. *Quod fuerit eorum Officium.*
4. *Et jurisdictio.*
5. *Ob multitudinem negotiorum assumebant varios Officiales.*
6. *Quorum primarii postea constituti sunt à Pontifice, & potestas Camerarii restricta est.*
7. *Hoc tempore quam habeat Jurisdictionem.*
8. *Officium ejus non expirat cum morte Pontificis.*
9. *Sede Vacatura & vacante magna est authoritas Camerarii*
10. *Defuncto Pontifice administrationem habet Palatii Pontificii.*

11. *Quæ sit authoritas & jurisdictio ejusdem Sede vacante.*

12. *Officium Camerarii emitur; Quæritur an licite?*

1.

PRimus in Urbe Diaconus, qui Archidiaconus dicebatur, administrabat olim bona Ecclesiæ, curamque habebat redituum Cameræ, & causis præerat Romæ, ut testatur S. Augustinus *In quæst. ex utraque mixt. q.* 101. Cujus proinde authoritas, & dignitas erat amplissima. Sed cum ex ambitione & arrogantia ultra terminos Officialis hic sese efferret, tsanslatum est circa annum 1100. Officium illud in Cardinalem aliquem, qui Camerarius dictus est, cui Clerici Cameræ Apostolicæ tanquam Coadjutores adjuncti sunt.

2. Hic tractu temporis ob multiplices quas accipiebat, Papæ commissiones pristinam Archidiaconi potestatem resumpsit; Nam in omnia urbis, ejusque districtus profana regimen habebat immediatum, mediatum etiam per statum Ecclesiasticum, si ad Tribunal ejus appellationes fierent. Cognoscebat etiam causas, quæ à foro Ecclesiastico ab ordinariis

dinariis locorum & Metropolitanis, ad Curiam via appellationis devolvebantur, & de quibus utpote levioribus vel criminalibus Pontifex in Consistorio vel in Capella nil decernere volebat, ideoque hoc casu Camerarius quodammodo Vicarium Papæ referebat.

3. Potissimum vero Officium Camerarii erat ærario seu Fisco Romani Pontificis, & patrimonio Romanæ Ecclesiæ præesse. *Glos. V. expirare, & V. Camerarium in Clem. Ne Roman. de Elct.* Ideoque recipiebat, & custodiebat bona, quæ ad Cameram Apostolicam pertinent. *c. ad audientiam de præscript.* & jurisdictionem in omnes debitores Cameræ Apostolicæ, omnesque causas cognoscebat summariè interesse Cameræ ejusdem concernentes. *Urbanus V. Const. 1. Apost.*

4. Subjiciuntur ergo jurisdictioni Camerarii tam in Urbe, quam extra causæ circa datia Gabellas & Dohanas, eorumque Officiales. *Leo X. Const. 24. Licet.* Item omnes depositarii & Thesaurarii per statum Ecclasiasticum. *Ibid.* & tenentur omnes illi, & similes Officiales Urbis & Ditionis Ecclesiasticæ illi parere. *Paulus III. Const. 41. Roman.* Habet etiã Camerarius facultatẽ revidendi computa etiã solidata

Pius IV. Const. 26. Romanũ. ac inhibendi, & ad se vocandi sub censuris & pœnis sine alio Papæ Mandato causas ærarium Cameræ concernentes, nisi commissio subscripta sit manu Papæ cum derogatione hujus Constitutionis *Pius IV. Const. 35. Cum sicuti.* Avocare vero potest causas ab omnibus Tribunalibus & Judicibus, etiá Cardinalibus, & causas criminales cõmittit Judicibus ordinariis criminalibus. *Clem. VIII. Const. 65. In conferendis.* Habet quoque jus circa venditionem pignorum Hebræorum, & eorum furta; Percipit emolumenta ex Collectoria Hispaniarum aliorumque locorum. *Ibid.* Non potest vero Camerarius ejusque Officialis concedere commissionem in forma: *Si in evidentem.* Super alienationem rerum Ecclesiæ. *Pius V. Const. 69.* Nec potest dare licentiam vendendi stabilia, creandi census, aut celebrandi nundinas. *Clemens VIII. Const. 65. In conferendis.*

5. Cum vero per seipsum omnibus illis negotiis vacare non posset, assumpsit Officiales aliquot, quorum opera uteretur, nimirum auditorem pro cognitione causarum appellationum, Gubernatorem Urbis, qui & Vice-Camerarius di-

dicebatur pro administratione rerum profanarum in urbe ejusque districtu, & Thesaurarium, cui cura ærarii, causæque Camerales minores, ad quas suffragium Clericorum non erat necessarium, committebatur, aliosque ministros & Officiales minores.

6. Verum ob eandem forte rationem, ob quam dignitas Archidiaconi suppressa fuit, paulatim quoque Camerarii authoritas diminuta est, dum Pontifex prædictos Officiales, Auditorem, Gubernatorem, & Thesaurarium independentes à Camerario constituit, qui propria sua efformarunt Tribunalia, ita tamen ut quæ negotia majora in iis occurrant, ad Pontificem deferant. Hinc potestas & auctoritas Camerarii alligata solummodo mansit honorificæ illi Præfecturæ Cameræ Apostolicæ, dum administratio ipsa penes Thesaurarium sit & Collegium Clericorum, & usus nunc docet, & refert de Luca. *Rel. Rom. Cur. disc.* 11.

7. Manet tamen species aliqua auctoritatis, & jurisdictionis Camerarii, dum Tribunali Cameræ præsidet tanquam caput & Præfectus illius, dumque congregantur domi illius statis temporibus Clerici, cæteriq; Officiales Cameræ con-

sultaturi de rebus gravioribus & commune bonum concernentibus. Præfecturam quoque habet Gymnasii, quod à Sapientia nomen habet. Ideoque si qui Doctores Canonum aut Juris ibidem promoveantur, nominat Prælatum aliquem, ut plurimum Auditorem Rotæ, qui actui præsideat.

8. Non expirat Officium Camerarii cum morte Pontificis, idque duplici ex causa, primo ne negligantur reditus temporales ad Romanam Sedem pertinentes, sine quibus Spiritualia diu esse non possunt. *c. Ex Officii de præscript. c. Cum secundo de præb.* Deinde propter sustentationem pauperum, ne interim fame pereant. *c. Pasce dist. 86.* Pertinet enim ad Cameram temporalia pauperibus erogare. *Glos in Clem. Ne Romani V. eo tamen.* Hinc S. Laurentius respondit Tyranno: *Thesauros, quos quæris, manus pauperum deportaverunt.* Ideoque incumbere potest Camerarius Sede vacante exactionibus pecuniarum, & provisioni rerum pro statu præsenti duntaxat *Pius IV. Const. 63. In elig.*

9. Sede vero vacante aut jamjam vacatura major dignoscitur potestas Cardinalis Camerarii, & antiquam præ se ferre

ferre videtur authoritatis præeminentiam; Quandoquidem ubi fama percrebuit de extremo Spiritu Pontificis, confert se ad morientis cubiculum, nec aditus denegari potest, ut certior fiat de vita seu morte illius pro juribus & commodis Cameræ observandis, & si velit in ultimis consistente Papa, apponit ad ingressum Palatii Custodes armatos.

10. Defuncto enim Pontifice præsente Camerario ejusque Tribunali lustratur cadaver; Quo facto Camerarius frangit annulum Piscatoris, prout dictum est. *cap.* 2. §. 2. atque administrationem suscipit Palatii Apostolici, quod etiam inhabitat, usque ad clausuram Conclavis, incolitque conclavia, in quibus Pontifex morari solet, & varia ejusdem Palatii Officia inter Cameræ Clericos distribuit, ut unus curam habeat aulæ Pontificiæ, alter supellectilium, tertius cellæ vinariæ, quartus rem curet frumentariam aliique alia.

11. Camerarius quoque constrúi & adornari curat Conclave pro Electione novi Pontificis cujus materialia deinde electo Pontifice donare pro libitu potest cuicunque. Cudit quoque monetam cum suis insignibus, & incedit per urbem stipatus Helvetis Pontificii s

tificiis cum consuetis armis & vestibus, sed minori numero, quam cum Papam prosequuntur. Asservat etiam clavem unam Thesauri, qui in mole Hadriani, seu Castello S. Angeli asservatur, alteram habet Collegii Cardinalium Decanus. Ob hanc ergo jurisdictionis, facultatum & Privilegiorum amplitudinem, quæ Leo X. *Const.* 24. *Licet.* & Julius III. *Const.* 3. *Licet.* Confirmavit & auxit, præ cæteris Cardinalibus majorem habet dignitatem. Extra Cameram tamen, occupat locum, qui ei tanquam Cardinali competit nullo habito respectu ad Officium quod gerit. *Cassan. in Cat. glor. mundi p.* 4. *consid.* 14.

12. Camerarius quotannis percipit ad 12. vel 14. millia Scutorum ex hoc suo Officio, quod multis millibus comparari solet. Sed quæritur an licitè & sine labe Simoniæ, cum Camerarius mixtam habeat jurisdictionem Ecclesiasticam & Spiritualem? Respondetur, in ejusmodi Officiis, quæ tamen potissimum profana sunt duo considerari possunt. Potestas seu jurisdictio Ecclesiastica, & emolumenta, seu fructus Officiorum: Si spectetur jurisdictio, ejusmodi Officia vendi non possunt sine Simonia, si vero spe-

spectentur emolumenta illorum, vendi sine labe possunt, & venduntur à Pontificibus pro expungendis debitis Cameræ, aut subsidio contra Turcas, aliasvè in causas pias impendendo ; Non secus ac calix consecratus vendi sine labe Simoniæ nequit, si ratio habeatur consecrationis, eaque in contractum veniat, licitè tamen veditur, si materia solummodo spectetur. Cæterum alia Officia majora, quæ præcipua ex parte Ecclesiastica sunt & Spiritualia, nomineque Papæ ut Papæ, seu etiam ut Episcopi Urbis administrantur, ut sunt munera Vice-Cancellarii, Pœnitentiarii, & Vicarii vendi sine labe nequeunt, licet annexa habeant emolumenta magna, pinguesque reditus temporales, ideoque gratis omnino à Pontificibus conferuntur.

§. 3.

De Auditore Cameræ.

1. *Auditori Cameræ traditus est gladius spiritualis.*
2. *Est Judex ordinarius Curiæ Romanæ.*
3. *Appellatio fit ad eum in causis Ecclesiasticis extoto orbe terrarum.*

4. Po-

4. *Potestatem quosque habet criminalem, & dum eam exercet, non incurrit censuras.*
5. *Est Executor obligationum factarum juxta formam Cameræ.*
6. *Et literarum Apostolicarum in partibus.*
7. & 8. *In quibus causis se non ingerat Auditor.*
9. *Utitur opera Vicegerentium tam in Civilibus quam temporalibus.*
10. *Et decem Notariorum, quorum Officium venale est, & hi habent Substitutos suos & Amanuenses.*
11. *Plurimum his fiditur.*
12. *Monitoria extra Curiam dantur in pergameno.*
13. *Quæ simplicem solum continent citationem.*
14. *Locum tenentium salarium & labor.*

I.

SUmmus Pontifex à Christo, cujus in terris est Vicarius duplicem accepit gladium Spiritualem & temporalem. Hunc Gubernatori Urbis exercendum tradidit, ut §. sequenti dicemus, istum Auditori causarum Cameræ Apostolicæ vibrandum pro necessitate commisit; Hinc nominat eum Vestrius *l. 2. c. 4. o.* mnium censurarum alterum Vulcanum

&

& Fulminatorem. Habet enim Auditor Cameræ ampliſſimam Jurisdictionem in omnes, ut poſſit contumaces per fulmina, hoc eſt, Cenſuras & Excommunicationem ad Officium compellere.

2. Eſt namque Judex ordinarius Curiæ Romanæ omniumque in urbe commorantium, ſive incolæ illi ſint, ſive exteri, ideoque cognoſcit cauſas Mercatorum, Campſorum, & penſionum annuarum, etiamſi ſolutio alibi facienda ſit, Nobilium, Principum, Legatorum, Prælatorum, Epiſcoporum, & Cardinalium, eorumq;, ac ipſiusmet Papæ familiarium & continuorum commenſalium. *Pius IV. Conſt. 3. §. 7. & Paulus V. Conſt. 28. §. 9.* Ita ut ubicunque vult, ſpiret, inquit Veſtrius. *l. c.*

3. Ad eum quoque tanquam Judicem ordinarium & competentem fit appellatio de omnibus, quæ occurrunt in ſtatu Pontificio, atque etiam in toto orbe terrarum, ſi cauſæ ſpectent ad forum Eccleſiaſticum. Cognoſcit etiam tanquam ordinarius à Papa ſubſtitutus ſine alio reſcripto cauſas appellationum à ſententiis Judicum Urbis (Vicario, Gubernatore, & Senatore, ac Judicibus Capitolii exceptis) & quorumcunque

que judicum extra Curiam latis. *Paulus V. Const. cit.* §. 10. Procedit vero in omnibus, prout in beneficialibus, summariè, simpliciter, & de plano sine strepitu & figura judicii. *Ibid.* §. 11.

4. Amplissimam quoque potestatem habet criminaliter contra delinquentes quoscunque, cujuscunque status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, procedendi, & tam pœnas pecuniarias quam Ecclesiasticas infligendi. *Ib.* §. 12. Ideoque habet ad nutum suum & mandata Capitaneum seu Barisellum cum familia armata seu Apparitoribus paratum. Si vero contra Episcopos vel alios his superiores agat, non potest decernere monitoria ad comparendum personaliter, nisi prævia commissione manu Pontificis signata. *Ibid.* §. 13. Dum autem criminalibus causis sese immiscet, non incurrit irregularitatem aliamve censuram Ecclesiasticam, aut infamiæ notam vel aliud aliquod impedimentum, dummodo sententiam sanguinis per se ipsum non ferat, neque votum subscribat. *Ib.* §. 4. Ideo animadversiones corporis remittit tanquam Judex Ecclesiasticus ad Gubernatorem Urbis, qui ut dicetur,

Executor

Executor est brachii sæcularis, & gladii Ecclesiæ temporalis.

5. Præterea est Executor obligationum secundum formulam Cameræ Apostolicæ factarum, quales sunt, quibus tenentur debitores, cum Conventionales subeunt censuras, consentientes se pro observatione promissorum posse excommunicari. *Paulus V. Const. 28. Eximiæ.* §. 6. Præterquam si in causis illis obligationum lites alibi introductæ sint, aut agitentur inter cives Romanos juxta Bullam *Pii IV. § 6. Inter multiplices.*

6. Est etiam Executor literarum Apostolicarum, sententiarum lectarum in partibus cum censuris, & instrumentorum omnium seu illa sint seu non sint juramento firmata; Ac proinde dat Remissorias & Compulsoriales, decernit monitoria ad partes, promulgat censuras, excommunicat & à divinis suspendit. *Pius IV. Const. 33. & Paulus V. l. c.* Sic autem excommunicati aut alias censurati non possunt ab aliis quam ab Auditore Cameræ, aut ejus locum tenente, nisi in articulo mortis absolvi. *Paulus V. l. c. n. 21.* Plura privilegia & facultates Auditoris Cameræ vide in Bulla citata Pauli V. *eximiæ.* Non tamen concedit

mo-

monitoria generalia in forma *significavit*; Nec impedit Episcopos in executione Concilii Trid. *Pius V. Const.* 113.

7. Hæc tamen tam ampla & generalis Auditoris jurisdictio in quibusdam casibus coarctata est, nimirum primo in causis Cameralibus utriusque fisci prima instantia facienda est apud Thesaurarium, vel Camerarium, secunda vero apud Cameram, vel à sententiis Collectorum apud eosdem Thesaurarium, & Camerarium, & tertia deinde apud Cameram. Secundò in causis spectantibus ad Cameræ Subordinatos, ut sunt Præsides Annonæ, Graſciæ, Dohanarum, Riparum, Viarum, & Zechæ.

8. Tertiò in causis, quæ habent judices particulares privativè, ut sunt causæ trium Basilicarum Patriarchalium, aliorumque piorum locorum, quæ habent Protectores cum plena jurisdictione, similiter illæ, de quibus Vicarius, Gubernator Urbis, aut Senator privativè cognoscit. Quarto in causis verè beneficialibus, matrimonialibus, & merè Spiritualibus ac Ecclesiasticis, puta in causis Fidei, Rituum Ecclesiasticorum, & Ecclesiastiæ immunitatis localis juxta præscriptum Constitutionis Gregorii

gorii XIV. quinto demum juxta declarationem Innocentii X. in causis Regularium, quæ deferri debent vel ad Protectores, vel ad S. Congregationem Regularium.

9. Hanc tam amplam jurisdictionem exercet per Locum tenentes seu Vicegerentes, qnos assumere potest per Bullam Pauli V. 28. *Eximiæ*, Civilem quidem per duos Prælatos, quorum alter privatis, alter publicis præest Judiciis; criminalem verò per tertium aliosque adjunctos Judices exequitur.

10. Sunt quoque in hoc Tribunali Auditoris decem Notarii Actuarii, & omni die occupatissimi. Horum Officium venale est, & emitur unumquodque quindecim, vel octodecim, aut etiam viginti millibus Scutorum juxta Officii proventus & æstimationem: Quilibet eorum duos habet substitutos, & octodecim vel viginti circiter Amanuenses, ut plurimum Notarios.

11. His Notariis, eorumque Substitutis plurimum habetur fidei; Auditor enim & ejus Locumtenentes plures eis tradunt chartas in albo à se subscriptas, quibus illi deinde inscribunt inhibitiones, monitoria vel mandata executiva,

ne

ne cum res postulaverit necesse sit semper recurrere ad Judicem.

12. Cum inhibitiones & monitoria mittuntur extra statum Ecclesiasticum, expediuntur hæc in pergameno, quæ ignarum vulgus existimat sæpe esse Brevia Apostolica, à quo proinde Rabulæ de foro eam non raro emungunt pecuniæ summam, quæ solvi solet pro Brevibus, cum tamen pro monitoriis non nisi sumptus unius Scuti faciendi sint.

13. Hæc vero Monitoria quæ dirigi solent ad Ordinarios, Legatos, Nuncios aliosve Prælatos nonnisi simplicem continent citationem, ideoque perperam existimant ii, qui ejusmodi Monitoria accipiunt, se per ea constitui Judices & Delegatos Apostolicos. Ideoq; assumunt formalem causarum cognitionem etiam infligendo excommunicationem aliasque censuras, quæ omnia fiunt contra intentionem Tribunalis, unde Monitoria promanant.

14. Cum Auditor ejus Tribunalis sit Judex Ordinarius non expirat ejus jurisdictio Sede vacante, quemadmodum aliorum Tribunalium præsertim Rotæ, & Judicum commissariorum, atque etiam Signa-

Signaturæ Justitiæ & Gratiæ jurisdictio quiescit. Emitur Officium Auditoris septuaginta mille Scutis, & quotannis profert reditum 12. circiter millium Scutorum; Vacat vero vel per mortem naturalem, vel per promotionem ad Cardinalatum ad quem proximũ parat gradum hoc Officium. Habet quoque familiam armatam cum proprio suo Capitaneo seu Barisello.

15. Locumtenentes recipiunt per omnes Menses stipendium quinquaginta Scutorum ex Notariorum emolumentis, præter alia, quæ illis obveniunt extraordinariè. Labor eorum immensus est, semperque concatenatus etiam in Feriis, æstivis & Legalibus, solis exceptis Festis Deo Sanctisque dicatis. Quilibet quotidie ante & post meridiem in loco sibi destinato audit juxta ordinem distributum duorum Notariorum hujus Tribunalis causas, ita ut una quandoque die quinquaginta & ultra causæ discutiantur. Accepta hac informatione accedunt Locumtenentes ad audientiam citationum, ubi accedunt omnes Notarii Tribunalis cum contradictoriis Procuratorum partium magno cum strepitu; & in una audientia trecentæ

centæ aliquando citationes leguntur, quibus cum interloqui necesse sit, labor videtur Humanis viribus major.

§. 4.

De Gubernatore Urbis Romanæ.

1. *Gubernatori commissus est gladius Ecclesiæ Temporalis.*
2. *Quo licet dignior sit gladius Spiritualis Auditoris.*
3. *Præcedit tamen Gubernator Camerarium, cæterosque Officiales.*
4. *Cognoscit causas civiles & criminales, sed istas cum limitatione.*
5. *Has vero, & causas publicæ quietis præsertim.*
6. & 7. *Privilegia Gubernatoris.*
8. *In civilibus habet unum Locumtenentem.*
9. *Ubi & quando hic jus dicat.*
10. *Ad quem fiat appellatio à Locumtenente.*
11. *Locumtenentis emolumenta.*
12. *Duos habet Locumtenentes criminales cum Substitutis, Ubi & quando habeatur Tribunal criminale, & qui intersint.*
13. *Modus in eo procedendi.*

1. Guber

I.

GUbernator Urbis Romanæ est secundus Cameræ Apostolicæ Minister, cui commissus est gladius Ecclesiæ temporalis, estque in Camera Apostolica Vice-Camerius, & Camerarii Locumtenens. *Leo X. Const. 8. Etsi pro.* Adeoque Prælatus eximiis talentis magnaque experientia præditus.

2. Quamvis vero dignior sit gladius Spiritualis datus Auditori, quo animadvertit in animas, quàm sit gladius Temporalis, quem stringit Gubernator tanquam Executor brachii temporalis in corpora, idque in Urbe duntaxat, & ad quadragesimum ab Urbe lapidem, non in omnes indiscriminatim personas, prout facit Auditor Cameræ, qui ferit non tantum habitantes in Urbe & vicinia, sed in exteris etiam & longinquis regionibus existentes, adeoque Gubernator ratione Officii sui inferior sit Auditore;

3. Præcedit tamen illum, cæterosque in Camera Clericos, imò Prælatos & Curiæ Officiales omnes post Cardinales, etiam Regum Principumque Oratores, ac Pontificis Nepotes, aliosque Magna-

tes, qui ad Solium Papale adstare solent in publicis ac solennibus functionibus, idque non ratione Officii proprii, sed tanquam Vice-Camerarius, cui Camerarii jam pridem ex voluntate Pontificis vices suas subdelegarunt, adeò ut jure quasi præscripto hanc sibi delegationem, & dignitatem vendicare possit.

4. Ex Officio vero cognoscit Gubernator causas civiles & criminales. *Leo X. l. c.* Quoad Romanos autem, & incolas in civilibus Jurisdictio ejus limitata est in novo statuto *l.* 1. *c.* 41. & quo ad causas Spirituales, & Ecclesiasticas Jurisdictio data est Vicario Papæ à Paulo III. *Const.* 36. *Licet.* Semel quot Mensibus visitare tenetur carceres. Pius IV. *Const.* 58.

5. Præcipuum ergo munus Gubernatoris ejusque Tribunalis versatur circa causas criminales, & delicta reorum castiganda. Cognoscit causas induciarum, quietis publicæ & ruptæ pacis. Audit querelas Vasallorum adversus Dominos suos, & causas salarum, & mercediorú intra fines territorii sui, nimirum quadrageſimum ab Urbe lapidem, easque sine Tribunali, & Scriptura summariè, & manu regia decidit juxta Statuta Urbis, vel in eorum defectu, juxta juris com-

communis dispositionem, & Constitutionem Leonis X. *Etsi pro.* Estque in his omnibus inter ipsum & Senatorem Urbis locus præventionis, si vero concurrant, Senator præfertur. *Vestrius l. 2. c. 5.* At si causæ ad ipsius Tribunal delatæ sint, nemo præter Pontificem poterit eas ad aliud avocare. *Leo X. l. c.*

6. Propter sententiam sanguinis ab eo latam non incurrit irregularitatem; Potest autem augete & minuere pœuas tam de jure, quã ex consuetudine infligendas; Potest etiam statutis derogare, & edicta publicare *Leo X. ibid.* Asserenti se aliquid facere de mandato Papæ omnino credendum est Paulus V. *Const.* 107. Graviora namque negotia communicat cum Pontifice, ideoque singulis Septimanis die Mercurii & Sabbati præ cæteris Officialibus accessum habet ad Pontificem, præterquam quod eum accedere aut per literas de rebus occurrentibus informare possit, quoties negotia, aut necessitas postulaverit.

7. Cum per Urbem incedit, præcedunt aliquot bipenniferi bini & bini, qui milites sunt Itali, sed diverso habitu & armis instructi ab his, qui pro custodia Pontificis constituti sunt, aluntur verò ex Camera ad serviti um illius 300.

Apparitores cum Capitaneo, qui per antonomasiam ad differentiam aliorum dicitur Barisellus Urbis Romanæ, & ex familiaribus esse solet Gubernatoris. De *Luca Rel. Cur. Rom. disc. 36. Lunador.*

8. Jam verò in causis Civilibus habet Gubernator unum duntaxat Locumtenentem, qui legum scientia, vitæ probitate & Romanæ Curiæ experientia insignis, atque ex loco, qui ab Urbe distet quadraginta saltem milliaribus, oriundus sit *Paulus V. Const. 71. universi agri.*

9. Hic jus reddit in aula Palatii Gubernatoris sedens pro Tribunali circa horam vigesimam (id est secundam circiter post meridiem) diebus singulis exceptis festivis de præcepto aut consuetudine Almæ Urbis, nec non diebus Coronationis Pontificis viventis, ingressus Gubernatoris, Jovis, Lunæ & Martis immediatè ante diem, ipsoque die Cinerum, tota hebdomada majore, die commemorationis omnium fidelium Defunctorum & Vigiliæ Nativitatis Domini. *Paulus V. l. c.*

10. A sententiis definitivis Locumtenentis appellatur ad Papam & Sedem Apostolicam in causis appellabilibus. In causis

causis verò in quibus de Jure recursus datur, recurritur ad Gubernatorem, idque infra decem dies, qui causas hujusmodi per seipsum, vel alium ab eo deputandum expetit. *Paulus V. ibid.*

11. Locumtenenti solvuntur in principio cujusque Mensis à quolibet ex duobus Notariis causarum Civilium hujus Curiæ quinque Scuta auri in auro. Præterea percipit unum Julium pro singulis his expeditionibus: Pro quolibet mandato executivo non tamen in contumaciam, pro quolibet arresto in carceribus, mandato excarcerandi, significatione dotali, aut vigore termini, aut in vim litis pendentis, aut litis finitæ, aut stante depositio vel negatione, aut data cautione, de standojuri, & judicatum solvendo concessa. Pro qualibet etiam citatione, vel inhibitione vigore commissionis, aut extra Curiam decreta, dummodo in quolibet ipsorum casuũ agatur de summa Scutorum auri septem, qui constituunt Julios septuaginta septẽ. Paulus V. *Consts 71. Universi agri.*

12. Præter Locumtenentem Civilem habet Gubernator duos criminales, & horum singuli suos Substitutos cum Notariis. Habetur Tribunal criminale in

Palatio

Palatio Gubernatoris die Martis cujuslibet Septimanæ, cui interſunt dicti duo Locumtenentes, & illi ſubſtituti, qui egerunt in cauſis, quæ proponentur; Advocatus Cameræ & Fiſci, Procurator Fiſcalis Generalis cum uno alterove Subſtituto, Advocatus pauperum, & duo pauperum Procuratores.

13. In hoc Tribunali audiuntur Advocati & Procuratores defendentes reum, & accuſantes, qui in Curia adhærentes Fiſci ſeu inſtigatores vocantur. Pauperes ſuum habent Advocatum & Procuratorem, & ſi his addi cupiant alium cauſidicum, cui plus fidant, permittitur. Diſcuſſa cauſa delinquentis, refert Locumtenens, qui Judicem tum agit, cauſa merita, tam pro, quam contra reum prolata, & exquirit ſuffragia Congregatorum; Quæ excipit notatque Gubernator, qui proprium proferre votum non ſolet, refertque ad Pontificem, ut ab eo recipiat oraculum, quod quandoque conforme eſt judicio Tribunalis, quandoq; difforme, dum pro ratione, & diverſitate circumſtantiarum vel minuitur pœna, vel augetur, vel etiam injungitur, ut res maturius diſcutiatur.

§. 5.

§. 5.

De Thesaurario Generali.

1. *Thesaurarius olim Custos erat æris Cameræ, nunc custodit illud Camp∫or Depe∫itarius.*
2. *Qui Thesaurarius ∫ecretus dicitur, hic verò Generalis, cum ∫it Judex cæterorum.*
3. *Etiam in cau∫is criminalibus, & magnam illi conte∫∫it facultatem Pius IV.*
4. *Et Sixtus V.*
5. *Habet curam Congregationum Montium, Computorum & Baronum.*
6. *Habet etiam domi ∫uæ Congregationem. Qui ad eam admittantur.*
7. *Et intere∫t omnibus Conventibus, in quibus agitur de reditibus Cameræ*
8. *Quem locum occupet inter cæteros Prælatos.*
9. *Officium ejus quando vacet, & quantiematur, quantumque proferat.*

1.

PRoximus po∫t Camerarium in Camera, Apo∫tolica ratione Officii e∫t Thesaurarius seu Præfectus ærarii, cujus Officium quondam erat æs Cameræ Apo∫tolicæ recipere, cu∫todire, & ubi opus

opus, erogare redditis rationibus Cameræ etiam cum juramento, eas veras esse. Pius IV. *Const.* 87. §. 35. Nunc vero asservat pecunias Cameræ seu Fisci publicus quidam & probatus Campsor, qui Cameræ Depositarius nuncupatur, quas deinde ad Papæ ejusque Officialium dispositionē extradit, aut ad usus assignatos expendit.

2. Hic Thesaurarii secreti nomen sortitus est ad differentiam illius, de quo agimus, qui generalis appellatur, estque Judex & Superior aliorum omnium Thesaurariorum per Provincias, præsertim Marchiam, Æmiliam; Umbriam & Patrimonium, & Director omnium Proventuum, & emolumentotum Pontificis, ac Cameræ illius, adeoque mixtam habet jurisdictionem Ecclesiasticam & secularem, cum Judex quoque sit appellationis Collectorum Apostolicorum.

3. Est præterea Thesaurarius Judex competens causarum Cancellariarū criminalium Status Ecclesiastici; Et concessit illi Pius IV. *Const.* 83. *Superna* amplam facultatem locandi & vendendi Cancellarias criminales Status Ecclesiastici tam Originariis quam forensibus, atque etiam obligandi Cameram pro vendi-

venditione harum Cancellariarum criminalium ; Si etiam lites aliquæ, aut dubia earum occasione fortè orirentur, potestatem eidem concessit illa decidendi de plano, summariè, omnique appellatione remota.

4. Cognoscit etiam causas concernentes spolia Sacerdotum Ecclesiasticorum, & Defunctorum, fructus male perceptos, ac illicitas negotiationes, idque Summariè & de plano. Similiter cognoscit de appellationibus â sententiis Nunciorum Sedis Apostolicæ Collectorum, & aliorum Officialium à se Deputatorum. Promulgat edicta & ordinationes, ac debitores Cameræ ad solvendum cogit ; Pro expeditione verò suarum literarum nil solvit. Habet demum facultatem loco sui constituendi, & revocandi Vice-Thesaurarium, aut Locumtenentem generalem, ac unum seu plures Auditores. *Sixtus V. Const.* 100, *In Conferendis.*

5. Commissa quoque est Thesaurario cura & protectio Montium, ideoque sive agatur de novis erectionibus Montium Cameræ, Baronum, vel Communitatum, sive de erectorum comercio, & translatione de persona in personam, id

omne

omne perficitur per Thesaurarium, qui res transactas literis confirmat patentibus, ideoque Caput & Judex est Congregationum Montium, Computorum & Baronum.

6. Præterea instituit domi suæ singulis Septimanis Congregationem, ad quam accedunt, ipso Præsidente, Advocatus & Commissarius Cameræ cum Computista, ut vocant; Deinde Sollicitator Cameræ, Substitutus Commissarii, & quandoque ipsius Thesaurarii Auditor; In hac Congregatione tractantur ea, quæ quotidie occurrunt, eitque præparatoria ad Generalem illam Congregationem, quæ Computorum dicitur.

7. Interest quoque Thesaurarius omnibus conventibus, in quibus de bonis, proventibus, & expensis Cameræ Apostolicæ tractatur, ac revidet rationes Ministrorum & Officialium ad hanc Cameram spectantium.

8. Locum vero obtinet in Camera, & actibus cameralibus immediate post Vice-Camerarium. In Capella etiam Pontificis, & quibuscunque sessionibus, processionibus, equitationibus, aliisque actibus tam publicis, quam privatis sequitur

quitur immediate Auditorem Cameræ, ante omnes Episcopos, Primates & Patriarchas *Sixtus V. Const.* 100. Majorque illis duobus ostenditur honor à Cardinalibus & Oratoribus Principum, à quorum etiam *Corteggio*, ut vocant, incommoda valde obsequii servitute, quâ eos excipiunt deducuntque, sunt exempti, ut nonnisi Cardinali Nepoti hoc obsequium præstent.

9. Officium Thesaurarii vacat vel per mortē, vel per promotionem ad Cardinalatum, ad quem aditum præbet. Olim emebatur Scutis sexaginta millibus monetæ, nunc à tempore Alexandri VII. Scutis quinquaginta sex millibus auri stamparum, profert vero in proventibus annuis decem circiter vel duodecim millia Scutorum, præter pensionem annuam, quam accipit pro familia, ducentorum Scutorum, & victum quotidianum pro se, & octo familiaribus suis, ac duobus equis *Sixtus V. l. c.*

§. 6.

De Præside Cameræ.

1. *Præsidentis Officium.*
2. *Est Prælatus & emit officium*

1. Præ.

1.

PRæsidens Cameræ Apostolicæ præest rationibus universi ærarii, easque recipit ab iis, qui proventus Cameræ Apostolicæ in Urbe, & in Provinciis colligunt, & administrant; Assidet quoque in Tribunali Cameræ, sed suffragium, uti nec cæteri Camerales non habet.

4. Censetur inter Prælatos, & vestitur habitu violaceo. Emit Officium suũ trigesies mille Scutis, percipitque pro fructu annuo ex centum Septem vel octo Scuta.

§ 7.

De Advocato Pauperum.

1. *Romæ instituta est pia Congregatio Curialium pro miserabilibus gratis juvandi, & alitur à Pontifice Advocatus pauperum.*
2. *Officium Advocati pauperum.*
3. *Interest Congregationibus criminalibus.*
4. *Officium est perpetuum, quæ emolumenta ei proferat.*

1. Cum

I.

CUm *fœneretur Domino, qui miseretur pauperis*, ut inquit Sapiens *Prov.* 19. Non solum instituta est Romæ inter cætera quamplurima pietatis ac misericordiæ opera Congregatio pia Curialium diebus festis quibusdam haberi solita in Ecclesia S. Caroli ad Catenarias pro receptione supplicum libellorum personarum miserabilium, quæ gratuitum patrocinium implorant, sed etiam Pontifices constituunt, & ex ære publico alunt Advocatum Pauperum, qui eorum partes contra Advocatos Fiscales, & aliorum potentiorum invasiones tueatur & defendat, ne ex defectu mediorum egeni Advocatorum avaritiam explere non valentes, indefensi pereant.

2. Officium ergo hujus Advocati est gratis personis miserabilibus assistere, scripturas formare, & optimo quo potest modo earum causas defendere. Ideoque adesse semper debet tam publicis quam privatis carcerum visitationibus, & sollicite curare, ne carcerati à Judicibus, Executoribus aut custodibus plus æquo graventur, eamque ob causam

sam accipiat quotidie à visitatore carceris in scriptis nomina eorum, qui in dies carcerantur. *Pius V. Const. 58. Paulus V. Const. 71.* Non potest hic Advocatus; causas divitum defendendas assumere pro precio, tum ne pauperum causas deserat, tum ne ansa illi detur turpe lucrum faciendi.

3. Interesse quoque potest omnibus Congregationibus criminalibus, quæ omni Septimana habentur in Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Cameræ & Vicarii, atque etiam in Foro Capitolino, & in iis præcedit Advocatum Fisci.

4. Officium hujus Advocati est perpetuum, nec vacat nisi per mortem vel promotionem ad munera majora & incompatibilia. Habet pro annuo Salario mille circiter auri Scuta, præter alia emolumenta & immunitates à Gabellis & ejusmodi oneribus. Accedit Pontificem non solum cum cæteri Officiales ordinarie admittuntur, sed etiam quandocunque res postulaverit.

§. 8.

§. 8.

De Procuratore Pauperum.

1. *Procuratores pauperum sunt duo, alter à Papa, alter ab Archifraternitate charitatis constitutus.*
2. *Quod sit horum Procuratorum Officium.*
3. *Intersunt Congregationi Visitationis Carceratorum. Nil à carceratis accipere possunt.*

1.

PRocuratores pauperum sunt duo, quorum alterum constituit Papa juxta morem magnorum Tribunalium tanquam Adjutorem Advocati pauperum in iis, quæ in Processibus ordinandis necessaria sunt. Alter constituitur ab Archifraternitate, quæ Charitatis dicitur, erecta in S. Hieronymi Ecclesia prope Palatium Farnesianum.

2. Illorum officium est causas pro defensione pauperum instruere, ideoq; Procurator constitutus à Papa quotidie cum Substituto visitare debet carceres, & annotare nomina tam eorum, qui ad illos ducuntur, quam Judicum, quorum mandato incarcerantur; Annotare etiam causas detentionis, diem & horam, quâ in liberiori carcere ponuntur,

tur, & quascunque res, quæ apud carceratos reperiuntur, omniaque ad Advocatum pauperum referre, quem semel in Hebdomada, & quoties ob incarceratos necesse fuerit, accedere tenetur.

3. Uterque etiam Procurator pauperum locum habet in Congregatione visitationis Carceratorum. Nihil vero omnino accipere possunt à pauperibus, nec etiam ab aliis carceratis, etiamsi divites sint, sine speciali licentia Gubernatoris, aut saltem pauperum Advocati. *Pius IV. Const.* 87. §. 19. *Paulus V. Const.* 71. §. 16.

§. 9.

De Advocato Fiscali.

1. *Fiscus & Camera in Curia distinguuntur.*
2. *In ea habetur duplex Fiscus favorabilis & onerosus.*
3. *Camera habetur pro Fisco favorabili.*
4. *Advocatus est simul Cameræ & Fisci. Quamdiu duret ejus officium.*
5. *Quibus Congregationibus intersit.*
6. *Committitur ei etiam officium Procuratoris fidei.*

7. Qui-

7. Qualia h abeat emolumenta.

1.

QUamvis Fiscus & Camera in jure & à Jurisperitis non distinguuntur, nihilque aliud sit Fiscus, quam ærarium vel Camera Principis prout complectitur, quidquid ad illius commodum, & rem pecuniariam spectat, in Curia tamen Romana ex Stylo & modo loquendi illius reputantur diversa.

2. Cum enim in ea duplex habeatur Fiscus, alter est favorabilis & privilegiatus continens ærarium Principis conflatum ex juribus regalibus, aliisque publicis emolumentis, non ex multa vel pœnis corrogatum; Alter odiosus versans tam circa personales delinquentium pœnas, quas urgent Fisci Officiales, quam circa æs, quod ex multa & publicatione bonorum ob perpetrata crimina, & contumaciam conflatur.

3. Cum ergo Camera, licet sit Fiscus in primo & favorabili sensu, distinguatur tamen à Fisco in secundo sensu accepto, inolevit consuetudo in Curia, ut Camera dicatur diversa à Fisco, diversisque nominibus appellentur utriusque Procuratores, nam ille, qui est Cameræ, dicitur Commissarius, ille

vero qui est Fisci, appellatur Procurator Fiscalis.

4. Advocatus autem cum utrique Procuratori in iis, quæ juris sunt, assistere & opem suam præstare debeat, dicitur Advocatus Cameræ simul & Fisci. Advocatum Fisci primum ab Adriano Imp. institutum fuisse tradit Budæus in Pandectas *Tit. de Officio Quæstoris.* Munus ipsius olim annale erat. *l. Cum Advocato C. de Advocat. diverf. Jud.* Deinde Biennale *l Sancimus* 11. *eod.* Nunc est perpetuum ad vitam, nisi promoveantur ad officia majora & incompatibilia.

5. Advocatus hic locum habet in Camera inter Camerales, & intereſt Congregationibus Computorum & Camerali, quæ pro juribus Cameræ habentur coram Thesaurario. Præterea adest in Congregationibus Montium & Baronum, Immunitatis Ecclesiasticæ & Consistoriali; omnibusque aliis, in quibus agitur de criminalibus, & de rebus ad Fiscum, vel Cameram Apostolicam quoquo modo pertinentibus; In iisque operam suam præstare debent gratis & absque ulla mercede; Potest tamen ab instigatoribus, propriam injuriam, vel inter-

intereſſe proſequentibus, ſi quid ſponte dare voluerint, illud acceptare.

6. Plerumque etiam committitur huic Advocato munus Promotoris Fidei, hoc eſt Advocati Fiſcalis, vel opponentis in cauſa beatificationis, vel cultus, aut Canonizationis ſervorum Dei; Ideoque intereſt quoque Congregationi Rituum, aliisque conventibus, in quibus de ejusmodi materia tractatur. Non admittitur tamen ad Tribunal Inquiſitionis univerſalis, cum hoc proprium ſuum, & particularem habeat Fiſcalem.

7. Emolumenta eadem habet hic Advocatus, quæ habet Advocatus pauperum, & quædam etiam majora, cum is ſcribere poſſit in cauſis criminalibus contra reos accepta mercede ab accuſatoribus, vel inſtigatoribus, quod licet licitum ſit, indecens tamen videtur, ideoque moderni utplurimum ab hoc abſtinere ſolent.

§. 10.

De Procuratore Fiſci & ejus Subſtitutis.

1. *Officium Procuratoris Fiſci.*

2. *Est in Curia magnæ auctoritatis.*
3. *Interest Procurator publicis Consistoriis.*
4. *Gratis introducere causas debet.*
5. *Habet septem Substitutos.*
6. *Non potest instituere examen, nisi præsente Judice.*

1.

PRocurator Fisci fiscales causas *in omnibus* Romanæ Curiæ Tribunalibus *ex facto* instituit ac defendit, ideoque officium illius consistit in agendo & procurando, dictusque olim nonnunquam fuit Curator Reip. *l. Curator C. de modo mulctarum.*

2. Nunc in Romana Curia non mediocris est auctoritas illius, cum dicatur Papæ familiaris, accipiatque portionem ex Palatio, & vestibus utatur violaceis. Assistit quoque Judicibus in causis fiscalibus, suumque votum saltem consultivum confert; Citari enim, vocari, & audiri debet in omnibus causis criminalibus quorumcunque Judicum & Tribunalium, exceptis causis Fori Capitolini, & iis pro quibus in Fisco intervenire solet Cameræ Commissarius. *Paulus V. Const. 71. Universi agri.*

3. Interesse

3. Interesse quoque solet publicis Consistoriis, & curare ut de rebus ibi publicè gestis per aliquem ex Protonotariis Apostolicis ad perpetuam rei memoriam publicum conficiatur documentum, cum interfit Reip. ejusmodi rerum conservare Testimonium. *Vestrius. l. 2. c. 9.* Nominatur ab ipso Papa, & in admissione ad Officium, quod manuale est, præstat in Camera juramentum fidelitatis. *Paulus V. l. c.*

4. In introducendis causis nihil omnino ab instigatoribus accipere potest pro Decreto vel Subscriptione cujuscunque Monitorii. In prosecutione verò causarum nonnisi moderatè pro labore ad commodum instigatorum subeundo admittere potest. Nihil verò à reis sub quovis prætextu.

5. Procurator septem habere debet Substitutos, quibus singulis Camera Scuta quinque menstrua persolvit, videlicet quatuor Substitutos pro Tribunali Gubernatoris, duos pro Tribunali Auditoris Cameræ, & unum pro Tribunali Vicarii. Hi quoque Substituti pro inventariis, cassationibus processuum, citationibus, aut alio quocunque prætextu à reis nihil prorsus,

sus, nec esculentum aut poculentum accipere possunt sub pœna infamiæ, privationis officii, & inhabilitatis. *Paulus V. l. c.*

6. Reos nec ipse Procurator Fisci nec ejus Substituti interrogare, aut testes examinare possunt, nisi in præsentia Judicis; Neque dare possunt mandata voce vel in scriptis de capiendo quempiã, nisi in periculo fugæ & Judicis absentia. Non tractet Procurator de compositione cum ipsis reis, sed expeditioni causarum incumbat; Si reus compositionem petat, fiat cum interventu Judicis. Neque etiam Procurator quavis ex causa quicquam à Substitutis suis recipiat, sed omnia emolumenta illis liberè & integrè relinquat. Si Substituti illi ad reformandos processus extra Urbem mittantur, ultra victus & equorũ impensam debita quoque & taxata viatica nil recipere possunt. *Paulus V. l. c.*

§. II.

De Commissario Cameræ Apostolicæ.

1. *Qualis Commissarius esse debeat.*

2. *Quod*

2. *Quod officium illius.*
3. *Habet curam Archivii Cameræ.*
4. *Quo habitu utatur, & quem locum occupet in actibus publicis.*
5. *Nunc auctoritas cum functione diminuta est.*

1.

COmmissarius Cameræ Apostolicæ debet esse Clericus vitæ & morum probitate præditus, utriusque vel alterius Jurium Doctor, estque verè familiaris & commensalis Papæ *Sixtus V. Const.* 14. *Ad excelsum.*

2. Tractat & exequitur ea Cameræ negotia, quæ ad judicia non pertinent; Præest exactionibus publicis, vectigalibus annonæ, cudendæ pecuniæ, aliisque negotiis Cameralibus. *Vestrius l.* 2. *c.* 10.

3. Commissa quoque est illi administratio Archivii Cameræ Apostolicæ, & procedere potest contra detinentes, & non revelantes scripturas Cameræ in toto Statu Ecclesiastico viâ executivâ & manu regiâ. *Sixtus V. l. c.*

4. Gestat habitum in Camera, aliisque actibus Cameralibus & carcerum visitationibus à Clericis, Præsidente, & aliis Prælatis Cameralibus deferri solitum,

litum, & in Camerâ immediatè post ipsum Præsidentem, ac in carcerum visitationibus post Clericum carcerum Præsidem, in Capella autem Pontificiâ, & Consistoriis publicis, processionibus, equitationibus, aliisque actibus, tam publicis quàm privatis in loco Palatii Apostolici Auditoribus, ac dictæ Cameræ Clericis assignato immediatè post illos sedere & incedere concessit *Sixtus V.* citatâ *Const.* 14.

5. Verum hodie non intervenit visitationibus carcerum, & ut testatur *Vestrius l. c. c.* 10. omnia ferè quæ ad Officium Commissarii (quod nunc quoque conceditur ad nutum Pæpæ non ad vitam) pertinebant, Gubernator Urbis, Thesaurarius, Præsidens Fiscique Procurator exercent, ut Commissarius solum adsit cum Thesaurario rationibus, quæ de proventibus & bonis Cameralibus dantur, easque revideat; Gaudet Privilegiis Clericorum Cameræ, & nihil solvit pro expeditione literarum sui Officii *Sixtus V. l. c.*

§. 12.

§. 12.

De Clericis Cameræ Apostolicæ.

1. *Clerici Cameræ sunt Consiliarii Camerarii.*
2. *Quot sunt numero.*
3. *Sunt Commensales Papæ, & interesse Tribunali debent.*
4. *Quæ subjecta sunt jurisdictioni eorum.*
5. *Visitant loca Status Ecclesiastici.*
6. *Causas ad ipsos spectantes summariè cognoscunt.*
7. *Ex Clericorum collegio varii Præfecti diversarum congregationum eliguntur.*

1.

Præter supra recensitos Officiales spectant præcipuè ad Cameram nonnulli, qui Clerici Cameræ Apostolicæ vocantur. Hi veluti Consiliarii adjuncti sunt Camerario, qui ex horum sententia & decreto ut plurimum de jure ad judices rescribere solet.

2. Numerus illorum olim indeterminatus fuit, cum vero successu temporis adeo hic excrevisset, ut confusionem aliaque incommoda causarit, reduxit tum Eugenius IV. *Const. 13. Inter cætera.*

ad

ad numerum Septenarium, quem deinde Leo X. *Conſt.* 24. *Licet* confirmavit. Verum aucta negotiorum mole, augendus quoque fuit numerus horum Clericorum, ut duodecim deinde conſtituti ſint *Rubr. in cit. Conſt.* 24.

3. Sunt vero omnes Comenſales & Capellani Papæ, eorumque nomina deſcribuntur in libris Cancellariæ, ut præferantur in gratiis *Sixtus IV. Conſt.* 1. *Diſpoſitione.* Quandocunque habetur Tribunal, intereſſe tenentur hi Clerici, ita ut abeſſe nunquam poſſint ſine licentia Camerarii vel Decani. *Pius IV. Conſt.* 87. §. 14. Si tamen agatur in eo de ineundis contractibus conductionum & locationum cum ipſorum Conſanguineis intervenire ei prohibuit Paulus III. *Conſt.* 18. *Alias.*

4. Jurisdictioni illorum ſubjiciuntur tam in Urbe quam extra cauſæ circa datia, Gabellas, Dohanas & eorum officiales Dohanerios, & Appellatores. Item commiſſa eſt illis cura ripæ mercium, Graſciæ Salis & Aluminis, Zecchæ, carcerum, ſtratarum tam Urbis, quam cæterorum locorum Status Eccleſiaſtici. Subſunt quoque jurisdictioni illorum omnes Depoſitarii & Theſaurarii

rarii in statu commorantes Leo X. *cit. Const.* 24.

5. Tenentur etiam loca Status Ecclesiastici visitare, ut inquirant de abusibus & criminibus *Julius II. Const.* 8. §. 2. & tunc cogere possunt quoscunque ad exhibenda documenta cujusvis generis. *Ibid.* §. 33. Sic autem visitantibus Legati, Gubernatores, Episcopi, Capitanei aliique vel ab ipsis deputati assistere; & opem ferre tenentur. *Ibid.* Arbitrantur quoque damna spoliatorum à Latronibus inspectis circumstantiis, & recepto juramento ab illis. *Leo X. Const.* 28. §. 3.

6. Jurisdictio autem illorum non extenditur ultra cognitionem causarum interesse Cameræ concernentium *Pius IV. Const.* 55. §. 3. Has ergo solum cognoscunt, idque summariè & sine Strepitu judicii inspectâ solâ facti veritate, *Innoc. VIII. Const.* 4. §. 2. Omniaque lingua latina proppnuntur. *Leo X. Const.* 24. §. 6. Sententiæ vero latæ super causis spectantibus ad Fiscum ob omissionem solennitatum non annullantur *Innoc. VIII. l. c.* Causas appellationum à sententiis definitivis intra 40. milliaria ab Vrbe in rebus non excedentibus valorem 25. Ducatorum committere possunt. *Pius IV. Const.* 55. §. 4.

7. Ex

7. Ex hoc Clericorum Collegio unus semper est Præfectus annonæ unus Præses Graſciæ, seu victualium pinguium, unus Præfectus carcerum, & unus Præfectus viarum. Singulorum officia exponemus, ubi de Congregationibus super his rebus infra agemus.

§. 13.

Praxis & Ordo, qui in negotiis proponendis & discutiendis in Camera Apostolica servatur.

1. *Pridie Judicii habendi vocantur per Cursores ad Cameram spectantes, qui altero die venire tenentur.*
2. *Comparent in habitu suo consueto, Missam audiunt, & versus Cameram singillatim eunt.*
3. *Ad locum propositionum cum pervenerunt, proponunt Advocati & Procuratores causas, quas Mensarius notat, & deinde Cameram ingrediuntur.*
4. *Ingressi Cameram præmissis precibus, eis qui proponere aliquid voluerint, audiunt.*

5. Ob-

5. *Occlusa Camera inchoatur judicium, quod duabus minimum horis durat.*
6. *Mensarius causas notatas legit, quas Decanus distribuit inter Clericos.*
7. *Has illi in alia sequente Camera referunt, & Decanus vota singulorum acquirit, fitque decisio juxta majorem partem.*
8. *Vota foris nemini revelanda sunt.*
9. *Decisiones inscribuntur libro & expediuntur.*
10. *Notarii Procuratorum officium non subeant. Pauperum causæ gratis expediantur.*
11. *Rationes dantur in Camera Clericis ab Administratoribus.*
12. *Quæ examinantur, & si justæ sunt, approbantur & inscribuntur libris rationum.*

I.

PRidie illius diei quo Cameræ Apostolicæ Tribunal seu judicium habendum est, debent id Cursores sub pœnâ amissionis salarii menstrui, jubente ipso Camerario seu Vice-Camerario intimate singulis tam Clericis, quam aliis ad Cameram spectantibus. Altero deinde die omnes invitati summo mane horâ constitutâ in Palatio Apostolico, vel ubicunque Camera haberi consuevit; comparere debent, â quâ nemo abesse potest

test absque licentia Camerarii vel Decani, excepta publicæ utilitatis privatæque necessitatis causâ, quam tamen absens per nuntium eidem Cameræ significare impediti debent.

2. Comparent verò Clerici, in Rochetto & cappa qui eisdem utuntur, reliqui vero solitis vestibus rubeis & violaceis, nulla habitâ Consistorii distinctione induti, ac pulsatâ campanula ad Missam accedunt, quæ Decano & alio Clerico, vel absente Decano, duobus minimum Clericis assistentibus celebrari debet, eaque peracta præeuntibus duobus Cursoribus omnes Cameram versus se conferunt, alius post alium servato ordine incedentes, quo quisque commodius ab agentibus & collitigantibus de rebus pertractandis valeat informari.

3. Postquam ventum est ad locum propositionum causarum imperato per Camerarium vel eo absènte per Vice-Camerarium seu Decanum silentio, Advocati, Procuratores aliique ad hoc constituti causas dilucidè, reverenter, & sine strepitu proponunt ut intelligi, & à Clerico Mensario notari possint. Notarii vero dictæ Cameræ Procuratoris

ris cauſarum officium exercere non poſſunt ſunt pœna ducentorum Ducatorũ. Cauſæ pauperum & miſerabilium perſonarum ab Advocatis, & Procuratoribus Pauperum gratis tractandæ ſunt. Scriptis omnibus per Clericum Menſarium propoſitionibus eo die occurrentibus Clerici cæterique Camerales Cameram ingrediuntur.

4. Quibus ingreſſis flectunt omnes genua & recitat noviſſimus Clericorum tum præſentium altâ voce orationem B. Iſidori Epiſcopi. *Adſumus Domine ſancte Spiritus.* Hac finita ſi quis in plena Camera quippiam proponere cupiat, æquo animo, ac benignè auditur.

5. His ita ritè peractis Camera clauditur, excubante præ foribus Curſore, ne ullus eam ſine licentiâ Vice-Camerarii vel Decani ingrediatur, nec ulli, niſi ſorte Procuratori Fiſci, vel Commiſſario Cameræ, ſeu Procuratori pauperum quicquam amplius proponere permittitur; Sed ſemotis omnibus Tribunal inchoatur, quod duabus omnino horis continuis minimùm, vel diutius, ſi res exigant, habetur, quo tempore nemini niſi à Papâ vel Cardinale curam negotiorum gerente avocato, aut ur-

genti aliquâ necessitate coacto egredi licet.

6. Ergo silentio à Camerario, seu eo absente à Vice-Camerario vel Decano omnibus imposito Mensarius propositiones à se notatas legit. Tum Decanus distribuit causas per Turnum incipiendo ab eo Clerico, quem Camerarius nominaverit, vel eo absente, quem sors eduacta tulerit, exceptis causis concernentibus officia vel Gubernia Clericorum, quæ Clericis relinquuntur.

7. In causis autem expediendis hæc ratio habetur, ut quæ judicialem indaginem requirunt, non decidantur ab ullo Clericorum, nisi citata prius ad informandum parte, & causæ in plena Camera propositæ fuerint. Causæ verò propositæ ordinatim discuti debent (præ-latis semper pauperũ & viduarũ negotiis) ita ut quilibet Clericus causam sibi commissam cum juribus & rationibus partium in alia Camera breviter referat, quo facto exquirit Decanus vota singulorum Cameralium primo, deinde Clericorum incipiendo ab ultimo, ita ut ipse Decanus ultimus sententiam dicat, & juxta majorem partem votorum fit decisio. Si vero ea æqualia sint, prævalet pars cui Camerarius adhæserit, vel eo absente

sente, major pars Cameralium habentium vota consultiva. Causas gratiam sapientes remittit Decanus ad Pontificem, ad Gubernatorem verò, Auditorem Cameræ, & Thesaurarium ea quæ ad illorum jurisdictionem spectant.

8. Si quis vel proprium vel aliorum suffragium foris revelaverit, incurrit *ipso facto* excommunicationem soli Papæ reservatam, & primâ vice quingentorum, alterâ mille ducatorum, & tertia vice gravioribus pœnis punitur. In reliquis autem delinquentes in Camera à Decano coercentur mulctis, & Pontifici denuntiantur.

9. Proponentes causas in Camera, scripturas & acta secum habere debent, & decisiones deinde causarum in libro decisionum Cameralium, qui asservatur à Mensario, annotare. Quæ nonnisi in Camera propositæ expediri nequeunt, ab omnibus Clericis tunc præsentibus subscribi solent, exceptis sententiis & mandatis ac expeditionibus concernentibus officia Clericorum.

10. Notarii dictæ Cameræ Procuratoris causarum Officium exercere non possunt, sub pœna ducentorum Ducatorum. Causæ vero pauperum & mi-

ſerabilium perſonarum ab Advocatis & Procuratoribus pauperum gratis tractandæ ſunt.

11. In Camera quoque recipiuntur & conſolidantur à Clericis rationes omnium Theſaurariorum, Depoſitariorum, Commiſſariorum, aliorumque quorumcunque rerum & pecuniarum Cameræ Adminiſtratorum & Exactorum; qui jurare debent per ſeipſos, ſi præſentes ſint in Urbe, rationes & computa à ſe reddita vera eſſe; Si legitimo aliquo impedimento detenti ſint, & in Urbe fuerint, præſtant juramentum per Procuratorem, ac inſuper mittitur ad eos Notarius Cameræ, qui ſimile ab iisdem recipiat juramentum.

12. Rationes verò illas Notarius ad Calculatores defert, hi ad Præſidentem & Theſaurarium easdem portant, ut celeriter diſcutiantur, quas deinde Clericus domi ſuæ præſente Commiſſario ſolidat. Quo facto rationes deſcribuntur ab eo, qui eas reddidit in libro rationum, & à computatore deſcriptæ conferuntur cum originali; Si concordent, teſtatur id manu ſua utrobique his verbis in libro juſtificationum: *Concordat cum originali.* A tergo verò Ori-

ginalium scripturarum: *Cum Registro concordat*, Subscripto ejus nomine proprio. Libri hi rationum ad Archivium Cameræ reponuntur *Pius IV. Const.* 87. *cum inter cæteras.*

§. 14.

De Expeditione Literarum Beneficialium per Cameram.

1. *Per Cameram etiam expediuntur Literæ Beneficiales.*
2. *Summatoris officium institutum & confirmatum.*
3. *Quod illud sit.*
4. *Habitat in Palatio Papæ, & gaudet quibusdam privilegiis.*
5. *Habet in officio Adjutores & pro emolumento suo multa millia.*
6. 7. & 8. *Ordo expeditionis Literarum.*
9. *Concessiones per literas Apostolicas impetratæ intra tres Menses in Camera præsentari debent, ut registrentur.*
10. *Praxis Registrationis.*
11. *Summator non astringitur in expeditione Regulis Cancellariæ.*

1.

Dictum est supra inter cætera expediri quoque in Camera Apostolica literas beneficiales; Cum enim Cancellaria, in qua regulariter ejusmodi literarum expeditiones fiunt, suas habeat regulas limitatas, quas non transgreditur, conveniens fuit, ut si Pontifex alicui vellet ampliorem præstare gratiam, aut si quæ expediri per Cancellariam non possent, alius pateret aditus ad gratiam illam obtinendam, qui est per Cameram.

2. Quare constitutus est in ea Præfectus aliquis, quem Summatorem seu Summistam nominarunt, ex eo quod literas summariè cognosceret & subscriberet; cujus officium deinde adinstar aliorum in Curia Romana officiorum, ut perpetuum esset ordinavit Alexander VI. *Const.* 10. *In eminenti.* & confirmavit Pius V. *Const.* 105. *Pontifice dignum.* Qui & statuit conferendum illud esse uni ex S. R. E. Cardinalibus, ac facultatem simul & jurisdictionem Summatoris in suos subditos definivit.

3. Officium vero Summatoris est recipere, videre, summare & referre literas

teras Apostolicas, quæ per Cameram Apostolicam expediuntur. Alexand VI. *cit. Const.* 10. Concessa sunt illi omnia privilegia scriptorum literarum Apostolicarum; Exercere potest officium suum per alios; nec ullæ omnino literæ, quantumcunque secretæ, nisi prius à Summatore examinatæ, à Secretariis expediri debent, nec possunt ab iis aliisve domesticis literæ illæ plumbatæ registrari, nisi in hoc Officio sint expeditæ. Quotidie ad Summatorem venit Bullator qui acceptas ab eo literas bullare debet.

4. Habet Summator vel ejus Substitutus mansionem seu Cameram in Palatio Apostolico, & victum pro se & uno famulo, estque exemptus ab omni onere etiam decimarum Papalium, & à quacunque contributione.

5. Adjuncti sunt Summatori qui sublevent eum in Officio, unus Præsidens, qui vices ejus gerat, & quatuor Recognitores literarum. Ad hæc annexa sunt Officio Summatoris quædam Officia Cameræ valoris scutorum 70. millium quæ in emolumentum ejusdem cedunt *Pius 5. Const.* 105. *Pontifice dignum.*

6. Ca-

6. Cameralis vero expeditionis *literarum* ordo hic est: Delata ad hoc officium supplicatione, conficiuntur literæ, quæ ab uno recognitore, qui tum vicem obtinebit, præsente Summatore, vel Præsidente, diligenter & accuratè examinantur; Summator deinde jubet illas à se subscriptas, de more expediri. *Pius. V. l. c.*

7. Postea Scriptores & Abbreviatores conficiunt ex iis Bullam, quam ab iisdem acceptam supplex, si Bullæ materia annatæ solutionem requirat, potest ipsemet deferre ad participantes, eorumque subscriptiones, soluta illis portione debitâ sollicitare; Si autem annata solvenda non sit, defertur Bulla una cum supplicatione ad Sumistam, vel ejus Vice-Gerentem, qui judicat, an concordet, & si opus sit, eandem corrigit. Tum ad Officium Plumbi transmittitur, & plumbata defertur ab altero Plumbatorum ad pedes Pontificis, ejusque jussum expressum petit, quem Pontifex signo crucis manu formato concedere solet.

8. Quo impetrato Bulla à Plumbatore ad Summatorem refertur, qui receptæ Bullæ fidem manu sua facit, &

si

si signata non sit à Jannizeris, eam mittit ab uno eorum subsignandam. Si materia partis consensum desideret, mittit Summator Bullam ad Notarium Cancellariæ vel Cameræ, quem intelligit habere consensum, & receptam deinde Bullam cum consensu requisito à tergo, mittit ad Notarios Cameræ, quorum unus juxta Turnum eam ad Registrum refert, manuque fidem registraturæ facit scribendo à Tergore: *Registrata in Camera Apostolica* subscripto nomine: *N. Notarius*: *Vestrius. l. 1. c. 6.*

9. Ad hæc mandavit Pontifex Pius IV. *Const. Ingens humanis,* Ut omnes, qui impetrabunt Privilegia, indulta aut concessiones, per literas Apostolicas sub plumbo, ac in forma Brevis expeditas, quæ interesse Cameræ Apostolicæ concernere censebuntur, debeant illa, intra tres menses à die illorum impetrationis in eadem Camera præsentare, & curare ut ibidem sub pœnâ invalidationis eorundem registrentur.

10. Praxis

10. Praxis vero Regiſtrationis hæc eſt: Ipſæ literæ præſentantur alicui ex novem Notariis ejusdem Cameræ) Hi ſunt diverſi à Notariis Auditoris Cameræ) qui eas ad Regiſtrum refert, ac exinde tranſumptum in forma probandi conficit. Si verò caſu aliquo literæ ſic regiſtratæ non fuerint, ne Orator effectu conceſſæ gratiæ fruſtretur, petit per libellum ſupplicem annexo illi Chirographo vulgari ſermone conſcripto, reſtitui adverſus lapſum temporis, ut literæ regiſtrari poſſint. *Corradus.*

11. Demum notandum eſt Summatorem in expeditione Literarum non aſtringi Regulis Cancellariæ, in eà namque non extraduntur Literæ, niſi regiſtratæ & plumbatæ fuerint; At verò in Camera dantur ſubinde literæ non regiſtratæ, & tunc Summator tradit plumbatas nondum regiſtratas Expeditori, qui copiam collatam cum Autographo refert primum ad Regiſtrum, cum fuerit ſolutum pro plumbo. *Zimyden. l. 1. c. 36. n. 21.*

CAPUT

CAPUT XV.

De Rota Romana.

1. *Quid Rota.*
2. *Unde sic appelletur.*
3. *Origo illius.*
4. *Quando & ubi habeatur Rota.*
5. *Qua solennitate operiatur.*
6. *Quod & quarum Nationum sint Auditores.*
7. *Quæ requirantur in iis qualitates.*
8. *Decanatus penes quam sit tempore vacationum.*
9. *Privilegia Auditorum.*
10. *Quomodo commissiones inter eos distribuantur, & causæ decidantur.*
11. *Nil ultra taxam accipere possunt. Quæ sit hæc taxa.*
12. *Advocati & Procuratores quales.*
13. *Quid iis in causis agendis observandum.*
14. *Quot & quales Notarii admittantur.*
15. *Quæ iis observanda.*
16. *Decisiones Rotæ non faciunt Jus universale.*
17. *Sed tantum inter partes litigantes.*
18. *Decisiones sunt actus extrajudiciales, ideoq; mutari possunt.*

19. *Et in secunda instantia mutatur Judex.*
20. *Non datur appellatio à Rota.*

1.

ROta Romana est judicium Summi Pontificis, quod cognoscit causas utriusque fori, Ecclesiastici quidem per universum Orbem Catholicum tanquam Tribunal Vicarii Christi Generalis, & Episcopi Ecclesiæ universalis, *Pius IV. Const.* 44. *In throno. Paulus V. Const.* 70. *Universi.* Fori vero temporalis & profani causas tantum civiles, non criminales, idque ut plurimum via appellationis ad se devolutas dijudicat tanquam Dicasterium Principis temporalis Urbis Romanæ, & illius Italiæ ditionis, quæ status Ecclesiasticus nominatur, nec non Civitatis Avenionensis, & Comitatus Venuxini in Gallia. *Card. de Luca in Rel. Cur. Rom. disc.* 32. *n.* 60.

2. Dicitur hoc Tribunal *Rota*, vel quod Judices seu Auditores dum conveniunt, circulari mensæ ad formam Rotæ assideant, vel quod causæ ordine per circulum ab illis referantur & examinentur; Vel ut putat Carolus de Fresne à *Rota Porphyretica*, quæ olim

olim Camera erat Romæ, in qua jus dicebatur, sic appellata, quod pavimentum ejus ex marmore Porphyretico Rotæ figuram efformaret, atque inde moderna Rota Romana, quæ Camera est Judicii S. Pontificis nomen sibi adscivit.

3. Origo illius est, quod cum Papa, ad quem ex toto Orbe Catholico causæ ac dubia, maximè in Spiritualibus explicanda & decidenda deferuntur, per se huic muneri solus non sufficeret, cæpit in gravioribus negotiis, quæ Consistorialia non essent, Adjutores & Consiliarios juris utriusque peritos in Capella Palatii sui, ubi ejus causas audiebat expediebatque Pontifex, adhibere; Unde primitus Capellani Summi Pontificis dicti sunt, & Auditores S. Palatii, quod partium causas, earumque momenta, priusquam Papæ proponerentur, in Palatio Apostolico exciperent, ad quorum deinde relationem Pontifex judicabat. Postmodum Auditores Rotæ nuncupati sunt. *Gomes. ad Regim. Canell. in proœm. de Rotæ immut. de Luca l. c. n.* 3. & 4.

De

De Auditoribus Rotæ.

4. Priſcis temporibus conveniebant Auditores tempore Hyberno in Palatio Vaticano, Æſtivo vero in Cœnobio Canonicorum Regularium Lateranenſium, quod *Pacis* dicitur. Nunc vero habetur Rota in Palatio Cardinalis Vice-Cancellarii tempore Antemeridiano bis in hebdomade Feria Secunda & Sexta, vel iis impeditis Feria quarta, & ſi hæc quoque impediretur die Sabbati, exceptis Feriis Natalitiis, & ultima hebdomade Antecineralium, Feriis Paſchalibus & Æſtivis, quæ incipiunt prima vel ſecunda Septimana Julii, & terminantur ultima die Septembris. De *Luca l. c.* Poſt ultimam Rotam ex inſtitutione Clementis VIII. qui & ipſe ante Pontificatum Auditor fuit, excipiuntur à Papa Auditores prandio opipare inſtructo, & ſub eo ſinguli donantur centum, Decanus vero ducentis aureis de Camera. *Lunad. l. c.*

5. Calendis Octobris ad inſtitutum redeunt & denuo aperitur Rota, aliquam ſolenniter cum comitatu in equis accedunt Auditores mulis inſidentes eo

ſervato

servato ordine, ut primi Auditores incedant, Comitatus sequatur, idque propterea, ne cum Cardinalibus, qui postremo loco vehuntur, eundem statum habere videantur. Duo postremi Auditores, habita à juniore oratione, initium dant consiliis, primique causas in Rota ventilandas proponunt. *Lunad. in Rel. della Cort. Rom.*

6. Olim ad arbitrium Papæ plures erant, etiam triginta nonnunquam, in Rota Auditores usque ad tempora Sixti IV, qui numerum eorum ad duodenarium reduxit. *Const. 2. Romani pontificis.* Quorum unus est Nationis Germanicæ, quem Imperator proponit, alter Gallicæ ex nominatione Regis Christianissimi; Duo Hispani, ob Hispaniæ divisionem, quos nominat Rex Catholicus ex Regnis Castellæ & Legionis, atque alterius ex tribus Regnis Arragoniæ. Reliqui sunt Itali, inter quos unus de Dominio Veneto ad illius Reip. nominationem eligitur, & unum concessit Julius III. Civitati Bononiensi ad liberam Papæ Electionem, unum Pius IV. Civitati Mediolanensi, & Clemens VIII. unum Ferrariensi; Unus quoque ex observantia semper est Hetruscus; Reliqui

tres

tres remanent ad Papæ dispositionem, qui ut plurimum eliguntur ex civibus Romanis. *De Luca. l. c. n.* 16. *& seq.*

7. Qui vero ad Rotam promoventur, debent esse Viri valde literati, & multa experientia præditi, Juris Doctores, qui ad minimum per triennium post Doctoratus gradum publicè Leges vel Canones prælegerint, commendati de vita & morum honestate, habeantque minimum in bonis temporalibus Ducatos ducentos de Camera annuè, de quibus Decanus Rotæ factâ inquisitione Vice-Cancellariũ informare debet. Priusquã etiam admittantur disputationem & examen coram Vice-Cancellario aut Locumtenente subire & juramentum præstare debent in manibus Vice-Cancellarii ex præscriptâ formâ à Joanne XXII. *Const.* 14. *Ratio Juris. Martinus V. Const. 3. In Apostolica.*

8. Tempore vacationum Decanatus Rotæ cum omnimoda præcedentia spectat ad Auditorem in Curia præsentem, aut ex causa publica absentem. *Pius IV. Const.* 61. Quamvis Corradus *in prax. benef. l. 3. c. 8. n.* 36. doceat, quod si quis ex hoc Auditorio creetur Episcopus, licet non nominetur amplius Rotæ Auditor, sed Locumtenens, neque Rotæ De-

Decanus esse possit, retineat tamen & exercere non desinat Officium Auditoris; Attamen Innocentius VIII. *Const.* 6. *Circumspecta* expresse declaravit & statuit per promotionem Auditoris ad Infulam officium ejus in Rota vacare.

9. Auditores Rotæ plurimis gaudent privilegiis; Utuntur Cappa & Rochetto, sine quibus in publico, ubi Curia residet, incedere non possunt. *Joannes XXII. Const.* 14. *Ratio Juris.* Fruuntur omnibus Privilegiis & gratiis Referendariorum. *Paulus III. Const.* 12. §. 3. In recitatione Horarum Canonicarum anticipare, vel postponere Horas liberè & licitè possunt Clem. VII. *Const* 13. §. 7. Lucrantur indulgentias Stationum Urbis visitando propriam Capellam *ibid.* §. 10. Et exempti sunt à Gabellis vini. *Paulus III. Const.* 12. §. 3. Præcedunt in Capella Clericos & Magistrum S. Palatii post reformationem factam sub Alexandro VII. Admitti quoque possunt ad habitum Militiæ Christianæ. *Urbanus VIII Const.* 12.

10. Cæterum commissiones causarum, quæ ad Rotam deferuntur, distribuendæ sunt inter Auditores bona fide juxta ordinem Turni, quem turbare nemini licet. *Paulus V. Const.* 71. *Universi agri.* Cui commissio causæ prius præsentata fuit,

est Judex, in dubio Auditor antiquior præcedit. *Martinus V. Const. 5. Romani.* Possunt vero Auditores vigore unius commissionis in qualibet instantia causas cognoscere & decidere, Terminum ad docendum de attentatis & nullitatibus sine nova commissione præfigere, remissorias decernere, dilationes concedere, & liquidationes fructuum in partibus delegare. *Pius IV. Const. 44. Paulus V. cit. Const. 71.* Non possunt tamen sententiam ferre vim definitivæ habentem sine votis Collegarum, nisi partes in actis consenserint; Nec possunt remittere ad Cancellariam, nisi cum licentia Summi Pontificis, vel justis ex causis deductis in Rota. *Pius IV. l. c.* Causas vero in quibus cognoscunt adesse suspicionem criminis, ad Judicem ordinarium remittere debent. *Paulus V. Const. 71. §. 22.* Et causæ ipsorummet Auditorum, eorumque familiarium & consanguineorum ac affinium usque ad secundum gradum in Rota non tractantur. *Pius IV. & Paulus V. ll. cc.* Quæ vota & à quibus in Rota ferantur propalare non debent. *Joan. XXII. Const. 14. Ratio Juris.* Nec sua etiam cuiquam patefacere. *Urbanus VIII. Const. 169. Exponi.*

11. Jam vero Leo X. *Const. 3. §. 2. &* Cle-

Clemens VII. *Const.* 13. §. 14. indulsit, ut nihil pro expeditione literarum Apostolicarum Auditoribus Rotæ Romanæ solvatur. Nec possunt, hi quovis modo aliquid sportularum nomine à partibus petere, sed neque à sponte offerentibus ultra taxam accipere. Taxa vero hæc est: In causis pecuniariis seu profanis, si æstimatio rei non excedat summam mille Ducatorum, accipere possunt aureos decem. A mille usque ad decem millia, viginti quinque. A decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta. Abinde supra usque ad quamcunque summam, centum. In beneficialibus, si redditus annuus non excedat summam centum Ducatorum, decem. A centum usque ad mille, viginticquinque. A mille usque ad tria millia, quinquaginta. Abinde vero supra usque ad quamcumque summam centum aureos pro sportulis cujuscunque sententiæ diffinitivæ duntaxat accipere possunt. Ultra quam nec ipsi Auditores, nec eorum familiares vel consanguinei, aut alii quovis quæsito colore, quicquam exceptis esculentis & poculentis, quæ triduo consumi possint, ipsarum sententiarum intuitu acceptare possunt. *Paulus V. Const.* 71. *Universi*, §. 26.

De Advocatis & Procuratoribus Rotæ Romanæ.

12. Sunt quoque in Rota Procuratores & Advocati, qui partium & causarum in Rota proponendarum patrocinium suscipiunt. Ad hanc Procuraturam non omnes passim admittuntur, sed ii solum, qui doctrinæ, usus & morum examen subierint, & per Rotæ Decanum, vel alium à Rota deputandum, adhibitis duobus vel tribus Procuratoribus ex ipsorum Collegio approbati fuerint; Pro hoc vero examine nil exigi vel solvi debet. *Paulus* V. *Const.* 71. *Universi* §. 18. Porro Clerici majori dignitate præditi ad officium publici Procuratoris non assumantur; Ad hoc vero assumpti honestum habitum congruentem Clerico sæculari ferant; Tabernas non frequentent, & si Concubinas habeant, dimittant. *Martinus* V. *Const.* 5. *Romani.*

13. Priusquam vero causam assumant, diligenter prius examinent, an justa sibi vel injusta videatur, ita ut nullam injustam agendam vel defendendam scientes suscipiant, & de hoc jura-

juramentum præstent. *Martinus V. Const. 5. Romani.* Si autem causæ patrocinium susceperint, indefensas causas non dimittant, sed proviribus eas defendant, nisi excusationem legitimam habeant à Judice approbandam. *Paulus V. l. c.* Patrocinium vero in eadem causa uni tantummodo parti præstent, & in rebus agendis modestiam servent, caveantque à tumultuosis clamoribus in Consistoriis & Audientiis. Liceat vero Procuratori causæ Advocato proponenti retro assistere, ut siquid forte ille omiserit, Procurator ad memoriam revocet. *Martinus V. cit. Const. 5.* Coram Auditoribus autem, quibus sanguine conjuncti sunt usque ad secundum gradum patrocinari non possunt Advocati & Procuratores. *Paulus V. Const. 7. §. 5. n. 16.* Et prosequentes appellationes à non definitiva vel gravamine reparabili, vel non lata sententia, ultra expensas & damna puniendi sunt. *Urbanus VIII. Const. 7. Reg. Canc. 37.* Qui spoliant vel percutiunt Advocatos & Procuratores Curiæ Romanæ, vel talia delicta procurant, excommunicantur. *Urbanus VIII. Const. 62.* Stipendia ultra taxas non capiant, nec de quota litis paciscentur

Advocati. *Paulus V. cit. Conſt.* 71. Pauperibus vero gratis patrocinentur. *Bened. XII. Conſt.* 2. Pridie ejus diei, quo Rota agitur, non liceat Advocatis & Procuratoribus Auditorum ſtudia perturbare. *Paulus V. l. c.* §. 18. *n.* 14.

De Notariis Auditorum Rotæ Romanæ.

14. Quilibet Auditorum Rotæ quatuor, non plures Notarios intelligentes, fideles & honeſtos habere poteſt, qui per ſe, & non per alios in cauſis propoſitis ſcribant. Hi autem priusquam admittantur, examinandi ſunt per Vice-Cancellarium vel alium, quem ipſe ſubſtituerit, de literatura, ac Scriptura ſufficienti, ac de vita & converſatione illorum informatione accepta, ac præſtito ab iis juramento juxta formam à Ioanne XXII præſcriptam approbandi. Sint modeſti, & non habeant concubinas. Non ſint Procuratores in Rota, neo ſcribant in cauſa partis adverſæ. Munus ſuum fideliter & diligenter exerceant, & non ſint plurium ſimul

An-

Auditorum Notarii Joan. XXII. *Const.* 14. *Ratio juris, Martinus V. Constit.* 5. *Paulus V. Const.* 71.

15. Notarii Rotæ in confectione regiſtrorum rubricarum & copiarum remiſſoriis, compulſoriis, executorialibus, notis ſententiarum diffinitivarum, teſtium examine & hujusmodi obſervare debent Conſtitutionem 71. Pauli V. aliasque Rotæ ordinationes, Literas remiſſoriales ſcribant in charta juxta veterem morem à Chartulario lineata. Dent petitas à partibus expeditiones. Conficiant inventarium actorum, inſtrumentorum & ſcripturarum, ita, ut nihil ſit in chartulis, quod non ſit in libris deſcriptum. Pro notis interlocutoriarum, & pro relationibus ſocio faciendis nihil accipiant. Pro reliquis vero ſcripturis vel actibus ultra Taxam Notariorum Rotæ præſcriptam à Paulo V. *Conſt.* 72. *Cum. nos.* §. 4. nil acceptent.

De Rotæ Deciſionibus.

16. Quæri ſolet, an Rotæ Deciſiones Jus faciant univerſale? Licet ſint, qui velint

lint illis legis dare auctoritatē universalis, ut refert Engel *in Proœm. de Jur. Canon. n. 17.* Hanc tamen neque ipsa Rota illis attribuit, utpote quæ sæpius contra eas sententias tulit. *Card. in c. 8. de fid. instrum. q. ult.* & fatentur insignes quidam Rotæ Auditores apud Fagnanum *in c. 12. de Judic. n. 31.* inter cæteros Præpositus *in c. 10. dist. 9.* ait: *Decisiones nostræ non sunt jura, & ideo possunt reprobari.* Et Curia licet magni æstimet Rotæ decisiones, authoritatem tamen legis illis non adscribit. *De Luca l. c. n. 66.*

17. Faciunt ergo hæ Decisiones jus & auctoritatem solummodo inter easdem partes litigantes, & in eadem causa, in qua latæ sunt, quas reliqui Judices sequi non tenentur, si alia juris fundamenta pro sua sententia in promptu habent. Agnoscunt tamen graviſſimi Auctores venerabilem illarum auctoritatem easque excipiunt tanquam Doctrinam magistralem plurium judiciorum in idem prævia causæ cognitione tendentium, ita ut prævaleant communi opinioni secundum Jmmolam *in c. 1. de Lit. Contest.* Et si in eadem causa plures factæ sint Rotæ Decisiones, eæque uniformes consuetudinem subinde, & stylum

in

in Curia Romana pariunt. *l. cum de interp. ff. de Leg.* nam ad Rotam spectat interpretari verba & mentem Papæ in rescriptis *Pavinas in præl Extrav. Joannis XXII. Coll. 3. v. Decisiones Rotæ.*

18. Porro cum Decisiones illæ sint actus merè extrajudiciales, non sententiæ neque Decreta, sed motiva solum per quemlibet Auditorum de Dubiis propositis extensa, & ab uno Auditore, qui in causa Judex constitutus est, & *Ponens* dicitur; ex cæterorum sententiis collecta & efformata, ideoque nec in actis ponuntur, nec transeunt per manus Notarii Actuarii; Hinc si adversa pars, cui motiva illa ex benevolo officio ante sententiæ enuntiationem communicantur, argumenta relevantia adducat, aliterque Rotam informet, solet demandari aliis auditoribus Decisionum Revisio, & priusquam fiat earum revocatio, disquiri in particulari, an ab eis hic & nunc recedendum sit ob particulares qualitates, ac circumstantias occurrentes & allegatas; Atque si tum forte à facta Decisione resiliatur, non fit revocatio Sententiarum vel Decretorum, sed mutatio solum consilii orta ex diversis, quæ adducta

sunt,

sunt, motivis, adeoque ob diversam facti qualitatem, diversa sæpe in eadem causa fertur sententia, quod cum vulgus malè concipiat, contrarietatem appellat. *De Luca in annot. S. Conc. Trid. Disc. I. n. 11.*

19. Si itaque priores sententiæ in Rota latæ invalidentur per posteriores Decisiones Revocatorias, dici solum poterit Rota eo sensu retractare Decreta sua, quo unum Tribunal, ad quod appellatum fuerat, revocat sententiam alterius Tribunalis prioris instantiæ; Quia in Rota etiam in secunda instantia mutatur Judex & Correspondales, hoc est, quatuor Auditores Rotæ, qui per Turnum constituti in causa à Ponente proposita, sententiam suam proferunt. *De Luca Relat. Disc. 32. n. 57.*

20. Appellari vero nequit ex Rota ad aliud Tribunal superius, sed causæ quæ in ea ventilantur ad exitum ibidem deduci debent, nisi in casu rarissimo, quo Papa pro suprema sua potestate causam à Rota revocaret, eamque particulari alicui Congregationi Cardinalium aut Prælatorum revidendam demandaret. *De Luca l. c. n. 58.* Ideoque si causa Beneficialis deducta est ad Rotam, hoc solum Tribu-

Tribunal conferre beneficium, & instituere provisum potest & nemo alius sine vitio attentatorum. *De Luca l. c. n.* 99. Repræsentat enim Rota Tribunal Pontificum, & ordinariam habet jurisdictionem, quæ habitualiter penes omnes Auditores existit, licet singuli solum sint Judices delegati, cum commissiones causarum inter illos per ordinem referendæ & explicandæ distribuantur. *De Luca l. c. n.* 5.

CAPUT XVI.

De Congregatione Sancti Officii, seu Tribunali universalis inquisitionis.

§. I.

De Origine sacrorum Inquisitorum.

1. *Episcopis incumbit exstirpare errores & hæreses.*
2. *Cum id à quibusdam negligeretur, instituti sunt inquisitores.*

3. Pri-

3. *Primum inquisitorem fuisse B. Petrum de Castro novo putant nonnulli.*
4. *Sed verius primus hoc nomine appellatus fuit S. Dominicus.*
5. *Cujus Alumni per Italiam, Hispaniam & Sardiniam Inquisitores constituti sunt.*
6. *Inter primos fuit S. Petrus Veronensis.*
7. *In Italia munus Inquisitorum hoc tempore exercent* PP. *Dominicani, & Ordinis Sti Francisci Minores Conventuales.*
8. *In Hispania vero Clerici sæculares.*
9. *Ubi etiam instituta est Congregatio sancti Officii.*
10. *In cæteris Provinciis Catholicis funguntur Officio Inquisitorum Episcopi.*
11. *Etiam ubi inquisitores sunt ex jurisdictione ordinaria.*

1.

INter cætera Episcoporum munera illud præ cæteris proprium ac præcipuum est, ut populum sibi concreditum dogmata veræ fidei doceant, eumque à perversis impiorum hominum doctrinis, omni diligentia ac cura tueantur.

2. Verum ut refert Simancas *de Cathol. instit. tit.* 25. *n.* 4. cum ob varias Episcopalis officii curas, & negotia, quibus sæpe-

ſæpenumero implicantur Epiſcopi, ut pares omnibus eſſe non poſſint, vel propter eorum abſentiam, vel aliquorum etiam ignaviam, aut imperitiam, Officium hoc tanti momenti in quibusdam locis neglectum fuerit; Ideo Romanus Pontifex Supremus univerſalis Eccleſiæ Paſtor pro ſollicitudine, quam habet, ne oves à Chriſto ſibi commiſſæ hæreticâ lue inficiantur, demandavit munus inquirendi in pravam doctrinam, & animadvertendi in Hæreticos certis quibusdam Judicibus, qui ob id Sacri, & Apoſtolici Inquiſitores appellantur.

3. Primum hæreticæ pravitatis Inquiſitorem ab Innocentio III. Pontifice conſtitutum fuiſſe B. Petrum de Caſtro Novo Monacho Ordinis Ciſtercienſis in Cœnobio Fontis Frigidi in Francia refert Ludovicus Paranus *l. 2. de origine inquiſitionis c. 1.* his verbis: *Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officium eo tempore ſumpſit exordium, quo impiis erroribus & blaſphemiis execrabilibus Albigenſium Comitatus Toloſanus infectus, & pene extinctus erat. Tunc enim glorioſus* DEUS *in Innocentio III. Summo Pontifice*

fice eam mentem injecit, ut Petrum de Castro Novo Monachum virtutis, & sanctitatis gloria florentem crearet Legatum, & ad illam Provinciam ad Christum Salvatorem nostrum reducendam mitteret. Idem tradit Vincentius Bellovacensis *in spec. Hist. l. 29. c. 93.* aliique.

4. Quamvis vero B. Petrus de Castro Novo missus fuerit ab Innocentio tanquam Legatus, & Missionarius Apostolicus contra Albigensium errores, & perversa dogmata, titulum tamen Inquisitoris eidem attributum fuisse non reperio; Sed hunc S. Dominico Ordinis Prædicatorum Fundatori primo delatum esse testantur Historiæ, circa annum millesimum ducentesimum octavum, quando ex Hispania Episcopum suum comitatus contra Albigensium aliorumque errores fidem Christiin partibus Tholosanis magno zelo propugnavit.

5. Cumque eodem sæculo Hæretici, qui à nonnullis Cathari, Patareni, Vitæ-Credentes, ab aliis Albanenses, Concorezenses, & Bagianenses, ab aliis aliter appellantur, iidemque esse videntur,

tur, qui in Provincia Tolosana, sed in plures Sectas divisi, ulterius virus suum in Italiam, Lombardiam maximè & Pedemontium, tempore Schismatis, quod contra Alexandrum III. Pontificem Fridericus Imp. fovit, ut est in vita S. Galdini Archi-Episcopi Mediolanensis, effunderent, opposuit se illis quoque annuente Summo Pontifice, istis in locis idem S. Dominicus, & exinde factum, ut alumni ejus, qui integritate vitæ, & literarum scientia florebant, Inquisitores hæreticæ pravitatis per Italiam, Hispaniam, Siciliam & Sardiniam à Sede Apostolica constituti sunt.

6. Inter primos Inquisitores in Italia post S. Dominicum fuit clarissimum illud fidei Catholicæ Lumen S. Petrus Veronensis, qui Anno 1232. Mediolani constitutus est Inquisitor à Gregorio IX. *Corius*, in quo officio confirmatus videtur ab illius Successore Innocentio IV. *Thom. de Lentino*, qui etiam eidem munus contulit pro ditione Cremonensi. *Oder. Raynaldus in Chronolog. ad Annum* 1252. Eodem Inquisitoris Officio functus est Sanctus Florentiæ. *Taegius.* & Comi. *Franc. Bellarinus*, totaque Lombardia *Seraph, Razius*

sius, in qua etiam pro fide sanguinem suum Martyr glorioſe profudit.

7. Hoc munus Sacrorum Inquiſitorum contra Hæreticorum peſtem exequuntur hodiedum PP. Dominicani per totam ferè Italiam excepta Tuſcia, in quæ hæc Provincia Authoritate Pontificia Fratribus Ordinis Minorum Conventualium demandata eſt, ideoque in Congregatione S. Officii, unus ex hoc Ordine inter Conſultores conſidet, ut dicetur infra. In nonnullis etiam Civitatibus Sereniſs. Dominii Veneti & Patavii Inquiſitores ſunt Patres ejusdem Ordinis D. Franciſci.

8. In tota vero Hiſpania Ferdinando V. Aragoniæ, & Caſtellæ Rege ſic poſtulante abdicavit ſe Dominicanorum familia Inquiſitorum officio circa Annum 1486, & Authoritate Pontificis commiſſum id eſt Clericis ſæcularibus Canonum & Legum peritis.

9. Quare juſſu Regis & ex permiſſione Pontificis inſtituit Cardinalis Mendozius officium S. Inquiſitionis, eique adhibito Doctorum Virorum conſilio leges & ordinem præſcripſit in tota Hiſpania, & Regnis, Provinciis Inſulisq; Regi Catholico ſubjectis obſervandum. *Axor t. 1. l. 8.*

l. 8. c. 18. Senatores hujus S. Congregationis offeruntur Regi approbandi, qui ab Inquisitore Generali electi fuerint; Hic vero ad nominationem Regis à Pontifice creatur. *Simanc. Cath. inst. tit. 24. n. 6.*

10. In cæteris Regnis ac Provinciis Catholicis, ut Gallia, Germania, Polonia, aliisque in quibus non sunt constituti Inquisitores Apostolici, funguntur hoc munere Episcopi, quibus jure communi id competit, ut in omnes Hæreticos non exemptos tanquam Ordinarii Judices inquirant, in exemptos vero tanquam à Romana Sede delegati, & si in hoc suo munere negligentes fuerint, Episcopatu privantur. *Conc. Milevit. c. 25. Tolet. II. Can. 7. Lateranense sub Innocentio III. c 3.*

11. Hæc ordinaria Episcoporum jurisdictio non tollitur omnimodè iis in locis, in quibus Authoritate Pontificia Inquisitores constituuntur, sed utrique possunt seu simul, seu seorsim de Hæresi cognoscere. *Clem. 1. §. Propter quod de Hæred. Simanc. de Cathol. inst. tit. 34. n. 38.* Et si Episcopus seorsim cognoscat, debent acta judicii Inquisitoribus communicari, ac vice versa, ut per utrosque

simul sententia feratur. *Clem. 1. §. 1. de Hæret. c. Ut commissi §. privandi de Hæret. in 6.* In Hispania si non conveniunt Episcopi & Jnquisitores, defertur causa ad Senatum Jnquisitionis, si nec Senatores conveniant, devolvitur tota causa ad Romanum Pontificem. *Simanc. l. c. tit. 25. num. 4.*

§. 2.

De Qualitatibus Inquisitorum.

1. *Prima est ætas quadraginta annorum.*
2. *Nisi deputentur à Papa, vel sint pro Hispania vel Lusitania, tunc enim 30. anni sufficiunt.*
3. *Secundo requiritur, ut Jnquisitor sit Theologus, vel Canonista. Sed uter aptior?*
4. *Tertia qualitas est prudentiæ*
5. *Quarta morum & vitæ honestas.*
6. *Quinta legitima potestas & jurisdictio.*
7. *Quam olim habebant à Generalibus & Provincialibus Ordinum.*
8. *Nunc à Pontifice, vel Congregatione sancti Officii.*

1. Jura

1.

JUra & Constitutiones Pontificum diversas in Jnquisitore requirunt qualitates. Prima est; Ut attigerit annum quadragesimum. *Clem. Volentes de Hæret.* Si ab alio, quam à Papa immediate deputetur. *Glos. ibid. V. Committi.* Adeoque major in eo requiritur ætas, quam in Episcopo, in quo annus solum trigesimus requiritur. *c. Cum in cunctis* §. 1. *de Elect.* Licet sit jure communi Jnquisitor Ordinarius. Sed cur ita? Glossa ibidem V. *Quadragesimum* respondet hoc esse de arbitrariis, de quibus non cogimur reddere rationem. *l. Non omnium ff. de leg.* Sed aptius fortè Abbas *in c. Cum in cunctis* §. 1. *de Elect.* Quod officium Jnquisitoris non committatur cum tanta indagatione, cum quanta eliguntur Episcopi, qui habentur ex omni parte idonei.

2. In eo vero qui deputatur immediate à Papa, hæc ætas non requiritur, sed valet constitutio, etiamsi Papa ignoret ætatem. *Farin. tract. de hære. q.* 186. *n.* 41. Jn Hispania quoque ex concessione Pontificis eligi possunt Jnquisitores, si trigesimum solum ætatis annum attigerint. *Siman, l. c. tit.* 34. *n.* 12. Quod ex speciali

li pariter indulto S. Pontificis observari quoque in Regno Lusitaniæ tradit Souza. in *Aphoris. l. 2. c. 1. n. 8.*

3. Secundo requiritur, ut Inquisitor sit Theologiæ, vel Juris Canonici peritus. *Const. Urbani IV. & Clem. IV. Pre cunctis.* Quæri hic solet à nonnullis, aptiorne sit ad hoc munus Theologus, vel Canonista? Canus *l. 8. c. 7. de Loc. Theol.* & quidam alii stant pro Theologis, quia Theologorum est Fidei dogmata perspecta habere, eaque propugnare, & Hæreses discernere ac confutare. Simancas *de Cath. instit. tit. 41 n. 3.* aliique præferendos censent Canonistas, ob causas, lites, & controversias juxta leges, Canones & jura dirimendas. In Italia ut plurimum Theologi constituuntur; In Hispania vero cæterisque illis subjectis Provinciis, ac in Insula Melitensi Juris Pontificii periti. Certè mutuâ utrique indigent opera; Theologi Jurisconsultorum adminiculo ob lites, & Juris-Consulti Theologorum consilio ad internoscendas hæreses. Azorio, quamvis alioqui Theologo, uti de seipso loquitur, *p. 1. l. 8. c. 18.* præponderare videtur Juris intelligentia tanquam magis necessaria,

saria, dummodo Theologorum quoque consilium adhibeatur.

4. Tertio requiritur Prudentia *cit. Const. Præ cunctis Urbani IV. & Clementis IV.* Quæ uti in omni Magistratu necessaria est. ita vel maximè in Officio Jnquisitoris exercendo. *Carena de Offic. inquisit. p. 1. tit. 5. partic. 3.*

5. Quarto requiritur morum honestas, & vita religiosè instituta *cit. Const. Præ cunctis Urbani IV. & Clem. IV.* Quia ut ait Philo *in lib. de Legatione ad Cajum*: *Solet DEUS bonis viris bona consilia, & Reipublicæ commoda suggerere.* Integritas autem vitæ morumque honestas consistit in sobrietate, modestia, patientia, mansuetudine, diligentia, clementia; & acerrimo Justitiæ cultu. *Carena l. c. §. 4 part. 4.*

6. Quinto requiritur legitima potestas & jurisdictio, quam accipit Jnquisitor à Pontifice vel immediatè per literas Apostolicas, aut vivæ vocis oraculo, vel mediatè à Cardinali aut Legato aliquo Apostolico, cui commissum fuit, ut Inquisitores constituat.

7. Olim instituebant eos Generales & Provinciales Ordinum Prædicatorum per Bullam Innocentii IV. *Odore suavi* &

Alexandri IV. *Olim præsentiens*, ac Franciscanorum per Bullam Clementis IV. *Licet ex omnibus* & Alexandri IV, cujus initium quoque est: *Licet ex omnibus.*

8. Hoc tempore tamen Jnquisitores eliguntur à Pontifice, vel per Breve, ut Mediolani & Genuæ fieri solet, vel, ut ordinariè, per literas patentes à Sac. Congregatione Cardinalium supremorum Jnquisitorum emanatas. *Carena l. c.* §. 3. Jn Hispania solum, ut supra diximus, nominat Rex Jnquisitorem Generalem, qui à Pontifice confirmatur. Hic deinde eligit reliquos Jnquisitores, Visitatores & Ministros. *Azor. l. c.*

§. 3.

De Officio Inquisitorum.

1.

Officium Jnquisitorum hæreticæ pravitatis est; Procedere contra Saracenos, qui ad Christi fidem conversi ad Saracenorum sectam redierunt. *Greg. XI. Const. 2. Admodum.*

2. Contra Christianos ad Judæorum ritus transeuntes, & Judæos conversos ad

ad eosdem redeuntes. *Nicolaus IV. Const. 1. Turbato.*

3. Contra Hæreticos judicialiter confessos, & obstinatos etiam illorum Diœcesanis irrequisitis. *Alexander IV. Const. 9. Ad capiendum.*

4. Contra Hæreticos, eorumque fautores, & negotio inquisitionis se opponentes. *Innoc. IV. Const. 16. Quia.*

5. Et contra quoscunque etiam exemptos in causis Fidei *Alexander IV. Const. 22, Ne commissæ. Pius IV. Const. 51. Pastoris. Paulus V. Const. 26. Romanus.*

6. Etiam contra quoscunque Regulares in causa Hæresis. *Clemens VII. Const. 27. Cum sicut.* Dummodo eorum Superiores non prævenerint. *Pius IV. cit. Const. 51. Pastoris.* Sed Paulus V. *l. c.* censuit absolute Jnquisitores tantum contra eos procedere debere.

7. Contra Prædicatores proponentes scandalosas propositiones, vel à fide discrepantes. *Paulus III. Const. 30. In Apostolicis.*

8. Contra maleficos. *Innocent. VIII. Const. 1. Summis,* Et sortilegos cum diabolo pactum facientes, ac à fide apostotando alios lædentes. *Greg. XV. Const. 46. Omnipotens Dei.*

9. Con-

9. Contra Astrologos judicarios *Sixtus V. Constit. 17. Cæli & terræ Creator.* Et contra eosdem, qui de Statu Reip. Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Rom. Pontif. aut ejus Consanguineorum judicia facere, nec non eos, qui illos desuper consulere præsumpserint. *urbanus VIII. Const. Inscrutabilis.*

10. Contra eos, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti Missas celebrant, vel Sacramenta Ecclesiastica ministrant. *Greg. VIII. Const. 21. Officii, Clem. VIII. Const. §1. Et si alias, Urbanus. VIII. Const. 79. Apostolatus.*

11. Contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu Confessionis ad actus inhonestos sollicitant. *Pius IV. Const. 31. Cum sicut. Greg. XV. Universi.*

12. Contra omnes etiam Regulares audentes in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. S. Congreg. universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostol. coram Paulo V. 31. August 1617, quod contra asserentes idem in Sermonibus, scriptis privatis extendit eadem S. Congregatio coram Greg. XV. 24. Maji

Maji 1622. *Barbosa. in Collectar. Bullarii V. Inquisitores.*

13. Porro Inquisitoris officium non expirat morte Papæ aut delegantis. *c. Ne aliqui* 10. *de Hæret. in* 6. Sive deputati sint immediatè à Papa, sive ab aliis illo inferioribus. *Azor. l. c. cap.* 18.

§. 4.

De Privilegiis Inquisitorum.

1.

PRivilegia Jnquisitorum sunt. 1. Quod non possint excommunicari à Delegatis Sedis Apostolicæ absque speciali ejusdem Sedis licentia faciente mentionem hujusce Privilegii. *Urbanus IV. Const. VI. Inquisitoris.*

2. Possunt Jnquisitores, eorumque Socii se invicem ab excommunicatione absolvere in casibus, in quibus absolvi possunt ab eorum Superioribus, & in iisdem casibus dispensare secum in irregularitate. *Urbanus IV. Constit. Ut negotium fidei.*

3. Possunt

3. Possunt indulgentias 20, vel etiam 40 dierum concedere omnibus audientibus eorum concionem occasione Apostolicæ inquisitionis, ex indulto plurium Pontificum. *Eymericus in Directorio 3. p. quæst. 127.*

4. Possunt interpretari statuta tam Ecclesiastica, quam sæcularia contra hæreticos edita. *Innocentius IV. Const. 15. Cum negotium fidei.*

5. Possunt Hæreticos ad Ecclesias confugientes capere, nec in hoc sub quovis prætextu ab Episcopis possunt impediri. *Joan. XXII. Constit. 1. Ex parte nostra.*

6. Ipsi & res eorum sunt immunes ab omnibus oneribus, datiis, guidagiis, portibus, aliisque quibuscunque gravaminibus. *Royas de hæret. p. 2. n. 421.*

7. Pensiones reservatæ Authoritate Apost. S. Officio sunt immunes à solutione quindennii. *Carena de Offic. Inquis. p. 1, tr. 5. §. 13.*

8. Beneficia eorum sunt immunia à solutione decimarum *Carena l. c.* Atque aliis fruuntur Inquisitores privilegiis & prærogativis, quas *Royas de Hæret. part. 2. in Rubr. de Privil.* Inquisitorum enumerat omnino 145.

Inquisi-

Jnquisitores tamen & eorum Ministri percipere non possunt in absentia distributiones quotidianas Canonicatuum, Dignitatum aut aliorum beneficiorum, nisi speciali privilegio aut indulto Apostol, id illis fuerit concessum ; Sic Sacra Congregatio Concilii & Congreg. S. Officii teste Garcia *de benef. p. 3. c. 2. n. 256.* & Carena *l. c.*

Nec excusat Jnquisitoris Officium Episcopum & Parochum à Residentia S. Congreg. Conc. apud *Gonzalez. in Reg. 8. Canc. glos. 43. n. 164.* & Garc. *de benef. p. 3. c. 2. n. 42.*

9. Jnquisitores Ordinis Fratrum Prædicatorum & Minorum non tenentur obedire Prælatis suorum Ordinum in concernentibus Officium S. Jnquisitionis. *Alexander IV. Const. 23. Catholicæ.*

10. Debetur Jnquisitoribus Titulus *Reverendissimi* : tum quia delegati sunt à Summo Pontifice in causis fidei, quo ad jurisdictionem ad præcipuam partem muneris Episcopalis, tum quia hic Titulus tribuitur Vicariis Episcoporum, qui longè inferiores sunt Jnquisitoribus in causis ad S. hoc Tribunal spectantibus. Nec obstat quod Congregatio S. Officii tribuat illis tantummodo Titulum,

Reve-

Reverendi vel *multum Reverendi*, nam hæc est Superior Jnquisitorum, hinc tamen non deducitur nec à Subditis, vel aliis quibus Jnquisitores non subjacent, hunc titulum illis deferendum non esse. *Carena l. c.* §: 6.

§. 5.

De reliquis Ministris Sancti Officii.

De Vicario Generali S. Officii.

1.

POssunt Jnquisitores plenariè committere vices suas Vicario Generali habenti eandem cum ipsis facultatem, excepta potestate delegandi, *Pius II. Const. Cum dudum*, & *Clemens VII. Const. Cum sicut. Carena de offic. inquis. part.* 1. *tit.* 7. §. 1.

2. De Vicarii Inquisitoris seu Commissarii ætate fuit inter auctores controversia, sed diremit eam Clemens VII. per Rescriptum: *Cum sicut*, in quo statuitur sufficere, si trigesimum ætatis annum attigerit.

3. Regulariter concedi solet Vicariis Generalibus facultas sumendi informationes.

tiones, citandi, monendi, præcipiendi, excommunicandi, carcerandi, definiendi, terminandi & exequendi, omniaque alia faciendi, quæ potest ipsemet Inquisitor facere, exceptâ sententia relapsorum, & impœnitentium, quam solent sibi reservare Inquisitores. *Eymericus 3. p. n. 37. & 40. ibique Pegn. comment. 10.*

4. Vicarii hi electi ab Inquisitoribus confirmari debent ab Eminentissima Congregatione, prout decrevit eadem S. Congregatio Inquisitorum Generalium, adeoque cum Vicarii jurisdictionem suam habeant à dicta S. Congregatione, non expirat Jurisdictio eorum per mortem aut remotionem Inquisitorum. *Carena l. c. §. 5.*

De Consultoribus.

5. Quamvis de Jure possint Inquisitores eligere sibi Consultores seu Assessores in negotiis ad S. Officium spectantibus, atque etiam possint eos ad id cogere. *c. ut commissi §. Advocandi quoque debæret. in 6.* ut fit Papiæ aliisque multis Civitatibus, Cremonæ, tamen Mediolani aliisque in locis eligi solent à S. Con-

S. Congregatione Inquisitionis generalis, à qua dependent, nec nisi ab ea removeri possunt. *Carena de Offic. Inquis. p. 1. tit. 9. §. 1.*

6. Eligendi vero sunt in Consultores Viri prudentes, probi, periti honesti & providi, licet Laici sint & uxorati, ex quibus aliqui sint Theologi, aliqui Canonistæ, aliqui Jurisconsulti. *Carena l. c. §. 2.*

De Qualificatoribus Propositionum.

7. Qualificatores sunt, qui sententiam suam dicunt de qualitate propositionis ab aliquo prolatæ, an nimirum hæretica sit, an sapiat hæresin, an sit scandalosa, temeraria &c. Jdeoque ad qualificandam eo modo propositionem assumuntur Theologi, qui qualificatores appellantur. *Royas de Hæret. 1. p. num. 384. & 204.*

De Advocato Fiscali.

8. Cum inquisitores habeant Fiscum seu ærarium, in quo bona Hæreticorum ex pœna confiscationis imposita asserventur, eligere sibi possunt, prout passim in Inquisitionibus fieri solet, Advocatum

vocatum Fiscalem. *Simancha de Cathol. instit. 53. de Promot. Fiscali.*

9. Debet is esse vir probus, industrius, diligens, fidei zelator & Juris-peritus. *Simanch. l. c.* præcipuè vero versatus esse debet in delictorum ad S. Officium spectantium, & eorum pœnis, ac Bullarum Apostolicarum in materiis hujus Tribunalis editarum cognitione, *Tapia in Jure regn. Neapol. l. 2. de Offic. Advocat. num. 13.*

10. Officium Advocati Fiscalis est 1. porrigere accusationes contra Hæreticos post assumptas in Summario Judicio contra eos informationes. 2. Tueri debet pro viribus jurisdictionem S. Officii. 3. Dicta testium exquirere, libros denuntiationum revolvere, processus contra reos scrutari ac instare, ut iidem carceribus mancipentur, pœnisque debitis mulctentur. 4. Jnstare coram Jnquisitoribus, ut edicta fidei promulgentur sæpius. *Carena de Offic. Inquisit. p. 1. tit. 9. §. 4.*

De Advocato, & Procuratore Reorum in sancto Officio.

11. Solet in Tribunalibus S. Officii constitui

constitui unus Advocatus, & unus Procurator Reorum. Hi debent esse viri de Hæresi non suspecti, fidei zelatores, probi, in utroque Jure bene versati.

12. Uterque debet I. juramentum præstare de secreto observando, & de Reo bene ac fideliter defendendo. II. Debet Advocatus omni conatu contendere, ut reum ad veritatem fatendam inducat, & si cognoscat causam rei esse injustam, eam omnino deserere. III. Tueri debet reum legitimis tantummodo modis. IV. Brevis esse debet in allegationibus Juris. V. Post munus suum expletum debet Processum sibi ab Inquisitore consignatum S. Officio reconsignare.

13. Advocati compelli possunt ab Inquisitoribus ad patrocinandum, & si rei pauperes sint, tenentur gratis patrocinari, si vero sint opulenti, ex bonis illorum salaria illis præstari debent. *Carena de offic. Inquis. p. 1. tit. 10.*

Hæc quæ de Advocato dicta sunt, intelligenda quoque sunt de Procuratore.

De

De Vicariis Foraneis S. Officii.

14. Solent Jnquisitores eligere in Diœcesi sibi delegata aliquos Ecclesiarum Rectores doctos & pios, eosque Vicarios suos foraneos, ad differentiam Vicarii Generalis constituere.

15. Hi fidei debent esse zelatores, viri probi, & in materia S. Officii versati. Nullam vero habent dignitatis præeminentiam.

16. Facultas eorum dependet ab Inquisitore, regulariter concedi illis solummodo solet instructio offensivi processus, ita tamen ut in eo instruendo sæpius de his, quæ peraguntur moneant Jnquisitorem, ideoque neminem carceribus mancipare possunt, nisi præmonito Jnquisitore, vel summa adesset necessitas *Carena de Offic. Inquis. p.* 1. *tit.* 11.

De Notario S. Officii.

17. Ex constitutione Pii IV. *Pastoralis officii cura* & Julii III. possunt Jnquisitores unum vel plures Notarios sæculares, vel Ecclesiasticos, etiam Regulares sibi in Notarios eligere, nimirum tradito illis calamo, & atramento, addito soleni-

ni juramento & verbis consuetis: *Esto Notarius, & fidelis.*

18. Munus Notarii S. Officii est diligenter & fideliter scribere acta S. Officii, recipere denuntiationes coram Inquisitore, vel ejus Vicario, instrumenta ad hoc Tribunal spectantia recipere, & alia peragere, quæ Notarii in similibus Tribunalibus facere consueverunt; Inprimis vero servare debet secretum, quod promittere debet, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ *Carena de Offic. inquis. p. 1. tit. 12.*

De Thesaurario sancti Officii.

19. Congregatio S. Officii specialiter decrevit, fructus, reditus, & proventus uniuscujusque Inquisitionis nō Inquisitoribus, sed Thesaurario S. Officii consignandos ab eoque asservandos esse.

20. Eligi vero debet in Thesaurarium vir probus & locuples, quique sciat rationes conficere & referre, ac, si ita visum fuerit Inquisitori, fide jubeat de residuis persolvendis.

21. Sæpius in anno arbitrio Inquisitoris rationes reddere debet coram eodē, ut

ut Congregatio S. Officii informari poſſit de Statu Jnquiſitionis. *Carena l. c. tit. 13.*

De familiaribus armatis S. Officii.

22. Habere poſſunt Jnquiſitores familiam armatam, ut paſſim docent Canoniſtæ *in Clem. 2. de Hæret. §. fin.* in eam adlegendi ſunt fideles, ac devoti, & laudabilis converſationis & vitæ. *Joan. XXII. Conſt. Exigit Ordinis veſtri Religio.* In regnis Hiſpaniæ ex decreto ſupremi Senatus debent eſſe uxorati. Non debent eſſe alienigenæ, niſi magna ſubeſſet cauſa: *Pegna comm. 105.*

23. Familiares illi armati non debent abuti armis, ſed tantum in eum finem, ob quem illis conceſſa ſunt, nimirum ad capiendos Hæreticos, & ad perſonam Jnquiſitoris, & ſuam defendendam. Tenentur vi juramenti, quod præſtant coram Jnquiſitoribus, denunciare Hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos, & ſi id facere negligant, fautores dicuntur Hæreticorum, & ut tales poſſunt puniri. *Carena de Offic. Inquiſit. p. 1. tit. 14.*

De Custode Carcerum S. Officii.

24. Ad hoc munus eligi debet ab Inquisitoribus vir probus, & diligens, quia improbi custodiri magis debent, quam alios custodire. *Simancha de Cathol. instit. tit, 41. n. 6.*

25. Juramentum præstare debet I. In custodia Jmmutatorum & aliorum pro hæresi omnem se diligentiam, quam poterit, adhibiturum. II. Ne quis in secreto incarcerato loquatur. III. Nullam se facturum fraudem in his, quæ Incarcerato mittuntur.

26. Habet præterea hoc Tribunal Nuncios suos & cursores, quibus à S. Congregatione universalis inquisitionis stipendia constituta sunt.

§. 6.

De Tribunali Universalis Inquisitionis.

I.

CUm sub initium sæculi decimi quinti Lutherana hæresis totam ferè Germaniam infecisset, & aliquas etiam Italiæ

Jtaliæ partes afflaſſat, ne virus hoc longius ſerperet, ſed eo jam infecti oportunis remediis curarentur, erexit Paulus Pontifex hujus nominis III. Anno 1542. *Conſt.* 34. quæ incipit: *Licet ab Initio* Congregationem ſancti Officii, ſeu Tribunal univerſalis inquiſitionis; Quam deinde Congregationem nonnulli in Sede Apoſtolica illius Succeſſores approbarunt, pluribusque privilegiis, & facultatibus auxerunt Pius IV. *Conſt.* 79. *Cum nos.* Pius V. *Conſt.* 21. *Sanctiſſimus* & *Conſt.* 22, *Inter.* & *Conſt. Cum felicis.* Sixtus V. *Conſt.* 74. *Omnes.*

2. In hac Congregatione ſeu Tribunali diſcutiuntur omnes cauſæ & materiæ hæreticam pravitatem, ſchismata, Apoſtaſiam à fide, magiam, ſortilegia, divinationes, Sacramentorum abuſus concernentes, adeoque cognitionem habet ſupremam de Religione, non ut novos fidei articulos conficiat, ſed ut quæ contra fidem commiſſa ſunt, judicet, puniatque *Paulus III. Conſt.* 34. *Licet, & Sixtus V. Conſt.* 74. *Immenſa.*

3. Præterea cognitionem habet omniũ penitus cauſarum, cujuscunque generis illæ ſint, Officialium & Miniſtrorum S. Officii, necnon adminiſtrantium bo-

na & jura, quæ ad hoc Tribunal pertinent, ac cumulativam habet jurisdictionem cum Magistro S. Palatii, & Congregatione Judicis librorum.

4. Ad hoc quoque Tribunal spectat dispensare cum Hæreticis post magnam pertinaciam pœnitentibus in carcere perpetuo. Illud quoque, & non Inquisitores tollere potest infamiam ob hæresin, contractam. *Carena de Officio Inquisit. p. 1. tit. 2.*

5. Solet etiam recurri ad hoc Tribunal, cum in Sententiis ferendis discordant Inquisitores ab Episcopis, ut praxis docet, causas quoque appellationum ad S. Sedem in dictis materiis plenissimè idem Tribunal cognoscit. *Paulus III. Const. 34. Licet §. 8. & 9.*

6 Hanc Congregationem constituunt inprimis Cardinales à Pontifice eo numero, quo ipsi visum fuerit, delecti, omnes literis, experientia, & fidei zelo conspicui. Deinde quamplurimi Prælati, aliique Theologi diversorum Ordinum, atque etiam quandoque nonnulli Clerici sæculares Canonum, & S. Theologiæ periti, qui omnes dicuntur Consultores S. Officii. Quos inter locum quoque habet Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, & Magister S. Palatii

Palatii, atque unus ex ordine Minorum Conventualium.

7. Sunt præterea in hac Congregatione alii Officiales Ordinarii, qui jurisdictionem exercent, Processus formant, reosque examinant. Horum unus Judicis Ordinarii partes gerit, & Commissarius S. Officii dicitur, estque aliquis ex Sacra D. Dominici familia è Provincia Lombardiæ, ideo fortè, quod in ea primum ob exortas hæreses Jnquisitorum Officium isti Ordini, ut supra dictum, commissum fuerit. Hic Consiliarium habet, qui Assessor appellatur, est Prælatus, vel aliquis è domesticis Papæ, quos vocant *Cameriere di honore.* Vel etiam Clericus sæcularis Canonum peritus. Præter hos pertinent ad Congregationem hanc Officiales quidam inferiores & Ministri, ut Fiscalis, Notarius & alii.

8. Commissarius, Assessor, Fiscalis, Notarius, cæterique inferiores Ministri continuo morantur in Palatio, quod S. Officii dicitur, prope Basilicam S. Petri in Vaticano, estq; locus, in quo hoc Tribunal habetur, ideoque carcerem habet, in quo Rei læsæ Majestatis Divinæ detinentur. Exstruxit hoc Palatium

Pius

Pius V. ad hunc usum amplum & magnificum cum hac inscriptione :

Pius V. Pontifex Maximus Congregationis S. Inquisitionis domum ham, quo hæreticæ pravitatis Sectatores cautius coercerentur, à fundamentis in augmentum Catholicæ Religionis erexit. Anno M. D. LXIX.

9. Supremi Inquisitores jurisdictionem habent supra omnes Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos & Jnquisitores & quascunque alias personas licet præeminentes *Pegna in 3. p. Directorii Comment.* 11.

10 Facultatem habent ex concessione Pii IV. *Const.* 82. *Cum intra.* tenendi & legendi libros hæreticos, aut alios prohibitos, & concedendi aliis licentiam, ut eos habere & legere possint. Quam tamen facultatem, quoad opera Caroli Molinæi Hæretici limitavit & abstulit Clemens VIII. *in Const.* 84. *Apostolici.*

11. Possunt quoque iidem Cardinales seu Congregatio committere cuicunque Catholico Antistiti degradationem Clericorum assistentibus duobus Abbatibus, aut aliis personis in digni-

tate

tate Ecclesiastica constitutis. Deputare quoque possunt Inquisitores ubivis locorum cum simili aut limitata facultate substituendi & subdelegandi. *Paulus III. Const. 34. Licet.*

12. Quod vero major pars Cardinalium istius S. Congregationis decernit, intelligitur à S. Congregatione, & omnibus decisum esse, prout statuit Pius IV. *Const. 79. Cum nos per nostrum*, & validum esse censendum decrevit Pius V. *Const. 23. Cum felicis recordationis.* Quod etiam major pars istorum Cardinalium præsentium statuit, vel duo, aliis absentibus à Congregatione, perinde est, ac si omnes, & singuli interveniissent.

13. Cæterum ut negotia tanti momenti ad hoc Tribunal universalis, inquisitionis spectantia, eâ, qua decet, maturitate coram ipso Pontifice, apud quem singulis Septimanis Congregatio convenit, discutiantur, ac decidantur, duæ præmittuntur Congregationes præparatoriæ, adeoque ter in Septimana hæc Congregatio celebratur.

14. Prima die Lunæ in Palatio S. Officii in Conclavi Commissarii Generalis, cui soli interfunt Consultores, in quo leguntur processus, & literæ Episcopo-

ſcoporum, ac localium Jnquiſitorum; aliaque examinantur, quæ Aſſeſſor relaturus eſt in ſecunda Congregatione.

15. Hæc ſecunda habetur die Mercurii ante Meridiem, niſi ob feſta incidentia dies & hora mutetur, in Cœnobio PP. Dominicanorum ſupra Minervam, in qua conveniunt Cardinales ad hanc Congregationem ſpectantes. His ergo congregatis accedit ſolus Aſſeſſor, & ſtando negotia occurrentia refert, ac proceſſus, miſſasque literas, ſeu relationes prælegit, quibus auditis & à Cardinalibus ponderatis admittuntur Conſultores, qui interim in aula exteriori præſtolabantur, eorumque ſententia expetitur, & determinantur ea, quæ Pontifici in tertia Congregatione ſunt proponenda.

16. Hæc ergo tertia celebratur die Jovis proximè ſubſequente ante meridiem niſi impedimentum obſtet, coram Pontifice; In principio hujus conventus adſunt præter S. Pontificem ſoli Cardinales cum Aſſeſſore, ac ſummatim referuntur ea, quæ in pridiana Congregatione Cardinalitia diſcuſſa fuerant, ſuamque quiſque Purpuratorum inchoando à juniore edicit ſententiam, ut ea, quæ videbitur, oraculo Pontificio firmetur.

metur. Tum admittuntur Consultores, eorumque consilio audito statuuntur ea, quæ agenda sunt, & decernuntur commissiones circa illa, de quibus missæ erant relationes, eæque deinde destinantur ad Episcopos, & Inquisitores locales Sigillo Congregationis, quod asservat unus è Cardinalibus subsignatæ. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 15. Lunadoro in sua Relatione.*

CAPUT XVII.

Praxis Inquisitorum Sancti Officii.

§. I.

Præliminaria de obligatione & modis denunciandi Hæreticos.

1. *Hæresis crimen est publicum, ideoque denunciandum.*
2. *Contra Hæreticos proceditur tribus modis.*
3. *Quomodo per accusationem.*
4. *Quomodo per denuntiationem.*

4. *Quia*

5. *Quid sit denuntiatio.*
6. *Quomodo per inquisitionem.*
7. *Inquisitio alia est Generalis, & sit tribus casibus. Quis primus.*
8. *Quis sit secundus casus.*
9. *Quis tertius.*
10. *Alia est specialis Inquisitio, quæ illàt*

I.

HÆresis crimen merito inter delicta publica retulerunt Catholici Imperatores, cum in omnium feratur injuriam, & universum Reipubl. Statum offendat. *l. Manichæos num.* 2. C. *de hæret.* Ideoque tenentur omnes crimen hoc publicum tendens ad corruptionem multitudinis propalare, vel testificando vel denuntiando. *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 70. *a.* 2. Quam obligationem in Christi fidelibus plurimi sanctorum Patrum confirmat apud Suar. *de fide disp.* 20. *mor. sect.* 4. *n.* 7. *& seq.* & constituunt sub pœna excommunicationis Summi Pontifices *Greg. IX. Const. Excommunicamus* §. *Item si quis.* aliique. Quinimo obligatio hæc non solum est quoad Hæreticos, sed etiam quoad suspectos de hæresi. *Carena de offic. inquis. p.* 2. *tit.* 9. §. 1. *n.* 2. Denunciandi vero sunt non quibuslibet Judicibus, sed Episcopis,

pis, qui jure Divino acceperunt judiciariam & ordinariam potestatem procedendi contra Hæreticos. *c. Per hoc de Hæret. in* 6. & Jnquisitoribus Apostolicis, qui à Rom. Pontifice constituti hanc curam susceperunt.

2. Proceditur vero contra Hæreticos tribus modis, per accusationem, denunciationem & inquisitionem. *Conc. Later. sub Innocent. III. c.* 8. & refertur *c. Qualiter & quando il secondo de accus. & c. Licet Heli de Simonia.*

3. Per accusationem proceditur, cum quis accusat alium coram Episcopo, vel Jnquisitore de crimine hæresis, offerendo se legitimè probaturum delicta, de quibus reum accusavit. *Gundisalvus tract. de hæret. q.* 10. *n.* 1. Sed hic modus est valde periculosus accusatori & litigiosus, ideoque in hoc foro non facile admittendus, ut monuit Eymericus *in Direct. Inquis. p.* 3. *n.* 6. & ab Italiæ Inquisitionibus recessit hic procedendi modus. *Farin. q.* 185. *n.* 40.

4. Alter modus procedendi in hoc foro communis & usitatus est per denuntiationem, ut cum quilibet Catholicus vigore obligationis, qua tenetur, coram Episcopo, vel Jnquisitore Hæreticos, vel de hæresi suspectos denunciat, ut corrigan.

rigantur, & pœnis legitimis puniantur. *Direct. inquis. p. 3. n. 68.*

5. Est autem denunciatio criminis alicujus apud Judicem, sine inscriptione legitimè facta, delatio ad pœnitentiam peragendam, vel aliam pœnam legitimam imponendam, vel etiam ad utrumque *Hostien. in sum. tit. de denunt. §. 1.*

6. Tertius modus procedendi in hoc Tribunali est per Inquisitionem, ad quam procedere possunt Episcopi, vel Inquisitores in suis Diœcesibus ad clamosam intimationem prævenientem. *Concil. Lat. sub Innocentio III. c. 8.* refertur *in cap. Qualiter, & quando de accus.* Locus ergo est huic procedendi modo, si accusatore, vel denuntiatore deficiente fama defert, & clamor insinuat in aliquo loco, aliquem vel aliquos fecisse, vel dixisse aliqua contra fidem: Unde moti Episcopi vel Inquisitores diligenter in eam rem inquirere debent. *Direct. inquis. p. 3. n. 69. tit. de tert. modo proced.*

7. Inquisitio verò alia est generalis, & hæc fit in causis fidei tribus potissimum casibus. Primus est, quando rumor & fama est, quod in aliqua Civitate vel Oppido habitent Hæretici, tunc Episcopi vel Inquisitores per constitutos cura-

curabunt generaliter inquirere, utrum fama hæc vera sit. *Conc. Later. sub Innoc. III. c. 3.* refertur *in c. Excommunicamus §. adjicimus de hæret.*

8. Secundus casus est, quando Episcopi visitant suas Diœceses, tunc enim in genere de Hæreticis, & hæresibus aliisque delictis ad suum forum pertinentibus, visitando inquirere tenentur. Interrogationes huic rei servientes proponit Burchardus *l. 1. decret. cap. 94.*

9. Tertius casus, quando Inquisitores incipiunt in Diœcesibus sibi decretis exercere officium Jnquisitionis, tunc enim edictis publicatis sub pœna excommunicationis præcipere solent, ut quicunque sciat esse Hæreticos, aut de hæresi suspectos, vel tenentes libros hæreticos, aut prohibitos, vel dæmones invocantes, aut Ecclesiæ Sacramentis abutentes, aut Ritus Hebræotum vel Turcarum observantes, eos teneantur Inquisitoribus denunciare. *Direct. inquis. p. 3. n. 52. & 53. tit. de forma admon.*

10. Alia est specialis inquisitio, quæ est jus quoddam per Officium procedendi ad condemnationem, & punitionem contra aliquos nominatim inquisitos, de certis delictis infamatos. *Angel. tract.*

tract. de malef. Debet ergo regulariter præcedere infamia, quæ vicem accusatoris obtinet. *DD. in c. Qaliter & quando il secondo de accus.* In quibusdam tamen casibus, quorum unus est in hoc foro crimen hæresis, propter criminis gravitatem potest & debet procedi, etiamsi non præcedat diffamatio, cum sufficiant ad inquirendum legitima argumenta & præsumptiones. *Pegna prax. Inquis. l. 1. de inquis. spec.* Solent enim Hæretici in locis, præsertim ubi contra eos exercetur inquisitio, occultare se, & clanculum hæreses suas sub specie Religionis diffundere. *Direct. inquis. p. 3. n. 69. comm. 16.*

§. 2.

De Methodo Juridica conficiendi Processus in Tribunali S. Officii.

ARTICULUS I.

De recipiendis denuntiationibus.

1. *Processus à denunciationibus inchoandus.*
2. *Non est admittenda quæcunque denunciatio.*

3. De-

3. *Denunciatio debet eſſe jurata.*
4. *Cui Denunciator ſubſcribere debet, & de illa fidem facere Notarius.*

I.

PRoceſſus regulariter à denuntiationibus inchoari ſolent, qui eſt communis, & uſitatus modus procedendi in hoc foro. Denuntiationes hic intelliguntur ſpeciales, vi quarum Epiſcopus vel Inquiſitor ad ſpecialem inquiſitionem deſcendere poſſit.

2. Non vero cujuslibet denunciatio indiſtincte & præcipitanter admittenda eſt, cum contingere poſſit, ut Jdiotæ, & qui ſcrupulis aguntur ea deferant, quorum cognitio ad inquiſitores non ſpectat, quare interrogandus eſt denuntiant, priusquam denunciationem in forma juridica Notarius accipiat, quid proponere velit.

3. Porro denuntiatio debet eſſe jurata, quia in hoc foro denunciator eſt loco teſtis, & teſtis dictum, ut afficiat reum debet eſſe juramento vallatum. *Caren. de offic. inquiſit. 3. p. tit. 7. §. 1.* Hoc juramentum eſſe præſtitum atteſtari debet Notarius S. Officii ſcribendo talem denunciantem tactis Sacro ſanctis

Scripturis juramentum præstitisse. *Pegna prax. inquis. l. 2. c. 1.*

4. Deinde Denuntiatori præligi debet Denunciatio sicut scripta est, cui Denunciator etiam subscribere se debet, & præcipitur ei servare secretum illius, quod denunciavit. Demum fidem facere debet Notarius de lectura Denunciationis Denunciatori facta, de ejusdem Subscriptione, de Additione, Detractione, seu Mutatione, si quæ facta fuerit. *Pegna l. c.*

ARTICULUS II.

Forma recipiendi Denunciationem.

1. *Formula Denunciationis,*
2. *De quibus Denunciator interrogatur.*

1.

FOrmula Denunciationis in foro præsenti hæc communiter recepta est: *Die --- Mensis --- Anni --- comparuit sponte personaliter in tali Inquisitione coram* R. *P. Fr. N. Ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ Lectore vel Magi-*

Magiſtro, in meiq; Notarii præſentia N. Filius N. de tali loco, ætatis ſuæ Anno circiter --- talis, & talis conditionis, qui medio ejus juramento tactis Sacroſanctis Scripturis præſtito expoſuit, ut infra. Vid. &c. Et ſcribatur ejus Denunciatio, ſeu Teſtificatio.

2. Deinde Jnquiſitor vel ejus Vicarius in Auditorio Notario omnia excipiente Denunciatorem interrogabit de his:

Si non ſit notus, de nomine, cognomine, patria, exercitio & ubi habitet.

A quanto tempore cognoverit, quod denuntiavit.

Quæ fuerit cauſa cognitionis. De hac diligenter inquirendum, inde enim pendet pondus teſtimonii.

An aliquando ex verbis, vel factis obſervaverit denunciatum eſſe ſuſpectum in his, quæ ad fidem pertinent.

Quoties viderit N. feciſſe, vel dixiſſe illa, propter quæ viſus ſibi fuit Hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus.

Quo tempore, & quibus præſentibus prædictus N. fecerit, vel dixerit illa, de quibus fuit denunciatus.

An ſciat N. in prædictis delictis habuiſſe

buisse complices, vel scripturas pertinentes ad delicta denunciata.

Ad quem finem & effectum prædicta fuerint facta vel dicta à prædicto N. & an serio, aut joco N. talia dixerit.

Si denuncians distulerit longo tempore accedere ad S. Officium, quærendum est, cur non ante denunciarit, præsertim si sciverit ex omissione incurrere in pœnam excommunicationis.

An sciat aliquid aliud de N. vel de alia persona, quod concernat sanctum Officium.

An aliquando habuerit causam odii vel inimicitiæ cum prædicto N. & unde processerit.

Quo zelo, & qua intentione ad sanctum Officium & ad denunciandum accesserit.

An aliqua animi passione, mala voluntate, vel alio, vel subordinatione inductus denunciaverit, & monebitur, ut dicat ingenuè veritatem.

Poterunt quoque fieri aliæ prudentes interrogationes, ut veritas clarius elucescat.

Quicquid autem ad singulas interrogationes denunciator responderit, Notarius fideliter describet per extensum, &

& omnibus tandem peractis concludetur sic:

Quibus habitis fuit dimissus, & jussus in virtute præstiti juramenti servare silentium, & injunctum, ut se subscribat.

ARTICULUS III.

An per literas fieri possit Denunciatio.

1. *Per scripturam ordinariè non deponunt testes, nisi in quibusdam casibus.*
2. *Quis primus sit casus.*
3. *Quis secundus.*
4. *Quis tertius.*
5. & 6. *Quid Inquisitoribus observandum, si absentes denuncient.*
7. *Quomodo Monialis, vel Puella Nobilis denuntiet.*
8. *Formula accipiendi Denunciationem Monialis.*

1.

LIcet testes non possint ordinarie deponere per scripturam, sed ore proprio testificare teneantur. *c. Testes 3. q. 9.* in quibusdam tamen casibus potest ab-

sens per literas suam denunciationem transmittere.

2. Primus est, quando Denunciator est fide dignus, si habitet in locis remotis, & juramentum præstiterit apud Inquisitorum Commissarios. *Simanc. de Cathol. Instit. tit.* 44. *de Ord. procedendi n.* 10.

3. Secundus est, si talis infirmitate, aut carcere impeditus ad Inquisitorem venire non possit, licet non existat in locis valde remotis.

4. Tertius est si ratione alicujus qualitatis venire ad Inquisitorem nequeat; Tales sunt Moniales, aliæque honestiores fæminæ, quæ non facile ad judicium trahendæ, sed ipsæ adeundæ, vel alii ad eas mittendi sunt. *Simanc. l. c. tit.* 64. *de test. num.* 13.

5. Quando vero Denunciatores hujusmodi absentes per literas admittuntur, ut tutius procedant Inquisitores, unum ex infrascriptis observent, ut si commodè fieri possit, & gravitas rei postulet, vel ipse se cum Notario ad Denunciantem conferat, vel mittat ad eum cum prædictis litteris Socium vel Vicarium suum, ut cognoscat an literæ sint illius, quo consilio aut causâ scriptæ, examineturque modo supra tradito.

6. Vel si in illis partibus jam habet Inquisitor

quiſitor Vicarium, vel Commiſſarium ad illum ſcribat, & ſecretas illas literas denunciatorias transmittat, ut denunciantem præmiſſo juramento de more examinet. *Pegna. prax. Inquiſ. l. 2. c 3.*

7. Notandum circa denunciationem faciendam à Moniali, vel puella Nobili, ſecundum plurimos Auctores citatos à Carena *de offic. Inquiſ. p. 2 tit. 9. §. 7. n. 34. & in annot. ad prax. Pegn, l. 2. c. 3.* Teneri illas denunciare coram ſuo Confeſſario, qui petit ab Jnquiſitore licentiam recipiendi dictam denunciationem, quam deinde ut deputatus recipiet prævio juramento, ſubſcriptione, & indictione Secreti. Debet vero Confeſſarius in hoc caſu accipere à Moniali mandatum denunciandi Jnquiſitori extra Confeſſionem. Quem modum denunciandi coram Confeſſario approbaſſe Urbanum VIII. nomine S. Congregationis tradit Rodericus Acugn, & Bariola *in floribus Directorii.*

8. Formulam accipiendi hanc denuntiationem refert Lupus *in comm. ad Edictum S. Officii p. 1. l. 4. diſt. 4. art. 2. diffic. 1. & 2. Scia dimiſſa à Confeſſario, qui noluit eam abſolvere, niſi S. Officio denuntiaret, coram me N. ſpecialiter à Reverendiſſimo Patre Inquiſitore deputa-*

to comparuit sponte Die --- Mense-- Anno --- & ei delato per me juramento, quod Sacro-sanctis Evangeliis praestitit, pro exoneratione conscientiæ suæ, ut dixit, denunciavit in modum sequentem, videlicet. Ponatur.

ARTICULUS IV.

Formula recipiendi Confessionem sponte comparentis de se ipso testificantis.

1. *Qui sponte venire dicantur.*
2. *Sponte comparens, & ignorans se præventum gaudet privilegio comparentis sponte.*
3. *Hæreticus sponte comparens mittissimè tractandus.*
4. *Quæ praxis cum eo servetur.*
5. *Confessio illius excipienda à Notario.*
6. *De quibus interrogandus sit.*

1.

SPonte venire dicuntur, qui voluntariè ad S. Officium accedentes suos confitentur errores, & eorum veniam petunt, antequam ab aliquo præventi denuncientur; Colligitur ex *l. sponte ff. de muner. & honor.*

2. Si quis indiciis præventus in S. Officio comparet non citatus, si ignoret sese præventum, gaudet Privilegio sponte

ſponte comparentium, ſi vero id ſciverit, vel ſuſpicatus fuerit, non gaudet dicto privilegio, quia ex metu probationum comparet; Mitius tamen cum ipſo agendum erit. *Carena de Offic. Inquiſ. l. 1. tit. 18.*

3. Ideo Hæreticus ſponte comparens mitiſſimè eſt tractandus, pœna aliqua ſalutari. vel etiam aliquando pecuniaria plectendus. *Pegna p. 3. comm. 12 ſub lit. G.* Cogendus tamen eſt ad abjurandum formaliter hæreſes, licet abjuratio in hoc caſu debeat eſſe non publica, ſed Secreta, *Simanch. de Cathol. Inſtit. 1. num. 24.*

4. Cum hoc ergo hæc praxis ſervanda eſt. *Die --- Menſe --- Anno --- comparuit ſponte perſonaliter in S. Officio talis Civitatis, vel loci coram R. P. Fr. N. Ordinis Prædicatorum, Sacro-ſanctæ Theologiæ Magiſtro, vel Lectore in meique Notarii præſentia N. Filius N. de tali Civitate, vel Oppido, degens ſub Parochia N. ætatis ſuæ Anno circiter --- qui medio ſuo juramento, quod tactis ſcripturis præſtitit, dixit, depoſuit, & confeſſus eſt, ut infra, videlicet &c.*

5. Hic

5. Hic inseritur confessio illius, quæ coram Judice facta simpliciter, & fideliter excipienda est à Notario, prout à sponte comparente verbo profertur. Quod si eam scripto exhibeat, serventur ea, quæ supra dicta sunt de denunciante in scripto. *Pegn. prax. Inq. l. 2. c. 4.*

6. Deinde interrogandus de sequentibus :

An erroribus suis adhæserit, vel de illis dubitaverit.

Quanto tempore in illis erroribus permanserit.

A quibus eos didicerit, & quomodo.

An libros prohibitos legerit, & quos & à quibus habuerit.

Super complicibus, & an alios cognoscat hæreticos, vel de hæresi suspectos.

An in aliquo Tribunali sit de prædictis erroribus præventus vel indiciatus,

An ipsum pœniteat in hujusmodi errores incidisse, & an eos, & omnes alias hæreses abjurare sit paratus, de cætero Catholicè vivere, & pœnitentiam sibi injungendam adimplere.

Monendus etiam est ad dicendam integram veritatem. *Carena de Offic. Inquis. p. 2. tit. 18. §. 2.*

ARTI-

ARTICULUS V.

De Examinatione Teſtium.

1. *Facta denuntiatione examinantur Teſtes.*
2. & 3. *Quomodo examen inſtituatur.*
4. *Completo examine concludit Notarius.*
5. *In Inquiſitione Romana iterato Teſtes examinantur.*
6. *Si timeatur Teſtem revelaturum cauſam, quid faciendum.*

1.

DEnuntiatione peracta Inquiſitor vocare facit per Nuncium ſuum Spiritualem Teſtes à denuntiatione nominatos, qui ubi venerint, legitimè de more examinantur.

2. Hæc actio juxta ſtylum S. Inquiſitionis ſic peragitur: *In Officio S. Inquiſitionis N. coram R. P. F. N. Ordinis Præd. Sac. Theol. Lect. vel Magiſtr. in meique Notarii præſentia comparuit N. ex Offic. pro informatione S. Officii aſſumptus, & vocatus, qui medio ſui juramenti, quod tactis ſacris Scripturis præſtitit.* Vel ſic: *Comparuit perſonaliter*

sonaliter vocatus in S. Officio N. coram N. qui, delato juramento de veritate dicenda, & per eum tactis Scripturis susceptо, fuit per D. Inquisitorem interrogatus, an sciat vel præsumat causam suæ vocationis, & præsentis examinis, respondit &c.

3, Si respondit affirmativè, rursus interrogetur, quomodo id sciverit.

Si respondit negative, interrogetur, an cognoverit, seu cognoscat de præsenti aliquem, seu aliquos Hæreticos, vel de hæresi suspectos, aut saltem nominare intellexerit.

Interrogatus an cognoverit, & de præsenti cognoscat N. ex qua causa, & à quanto tempore citra, & an cum eo solitus sit, vel fuerit conversari.

An aliquando aliquid audierit à prædicto N. quod concernat Religionem Catholicam.

An aliquando fuerit in tali loco cum prædicto N. & ibidem dictus N. dixerit vel fecerit talia & talia hæreticalia, vel hæresin sapientia.

In quorum præsentia N. supradicta dixerit vel fecerit.

Quoties supradicta audivit dici, vel vidit

idit fieri, & qua occaſione, & quo-
odo.

An prædictus N. ſupradicta dixerit
coſè, ſeu animo indeliberato, aut per
ubricum linguæ, aut alicujus, vel ali-
uorum hæreſes referendo.

Admoneatur ad veritatem ſimplici-
er dicendam, qui ſi de falſo fuerit ſu-
a his deprehenſus ultra perjurii, etiam
autoriæ pœnas ſubibit.

An odio vel amore ductus aliquid di-
erit, quod non erat dicendum, vel ta-
uerit, quod erat explicandum.

4. Completo examine Notarius con-
udat ſic: *Quibus habitis Dominus*
miſit examen, & ipſum Teſtem li-
ntiavit, injuncto ei virtute præſtiti
ramenti ſervare ſecretum, & quod
ſubſcriberet. Vel ſic: *Quibus ha-*
tis fuit dimiſſus, injuncto ſibi ſilen-
o cum juramento, & quod ſe ſub-
ribat.

5. In ſupremo S. Romanæ Jnquiſitio-
is Tribunali quantoque antequam reus
mprehendatur, teſtis iterato poſt bi-
um vel triduum vocatur, ut firmius
eſtimonium habeatur, quo caſu No-
tius ſic ſcribit: *Comparuit iterum per-*
ſonaliter

sonaliter vocatus N. qui medio juramento tactis sacris Scripturis præstito, interrogatus an sibi occurrat aliquid dicendum pro ulteriori veritate, ultra ea, quæ deposuit in alio suo examine respondit &c.

6. Si timeatur testem revelaturum causam sic concludi solet: *Quibus habitis fuit dimissum examen acceptatis &c. animo &c. injuncto sibi silentio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ una pro trina monitione præmissa, & sub aliis pœnis arbitrariis S. Officii.* Solet quandoque etiam mandari testi, ne de Palatio, seu domo Inquisitoris recedat sine expressa licentia Dni. Inquisitoris, etiam in scriptis habenda.

ARTICULUS VI.

Post receptam Denunciationem, & Testes examinatos instituitur Consultatio.

1. *Inquisitor convocat Consultores.*
2. *Ante Consultationem imploratur Divinum auxilium.*

3. Per

3. *Per orationem vetuſtam.*
4. *Quâ finita inſtituitur Conſultatio.*
5. *In dubio an delicta pertineant ad S. Officium, quid fiat.*

I.

PRæmiſſis modo ſupra dicto diligentiis pro informatione capienda de perſona & delicto denunciato convocat Conſultores Inquiſitor ad expediendas delictorum, vel propoſitionum qualitates, vel explorandas probationes, & indicia, vel alios actus judiciales peragendos.

2. Inprimis ergo in conſultatione illa & Congregatione S. Officii imploratur Divinum auxilium per orationem, quam Inquiſitores cum Conſultoribus genuflexi dicunt. Hæc recitari etiam ſolet S. Pontifice in celebratione Concilii generalis Epiſcopis, cæterisque Prælatis genuflexis, & Romæ in Signatura gratiæ à Referendario, qui primo loco cauſas relaturus eſt genuflexo cum cæteris Prælatis, Summo vero Pontifice, & Cardinalibus aperto capite ſtantibus. In Signatura Juſtitiæ à Præfecto iſtius Signaturæ. Et in Rota, in qua eam ſuo Ordi-

Ordine pronunciant Auditores stantes.

3. Oratio hæc desumpta est ex vetusto tractatu de ordine celebrandi Concilium relata in 1. tom. Conciliorum, & est talis: *Adsumus Domine sancte Spiritus; Adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati. Veni ad nos; Adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quò gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus; Esto salus, & Suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum DEO Patre, & ejus Filio nomen possides gloriosum, non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos ignorantia non trahat, non favor inflectat, non affectio muneris, vel personæ corrumpat, sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus*

neamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna. Et reſpondetur ab omnibus: *Amen.* Non ſubjungitur *Pater noſter*, nec *Benedictio.*

4. Facta oratione inquiritur, an delicta, & probationes, ſive indicia in judicio Summario recepta ſint talia, quæ merito inducant ad procedendum ad ulteriora, videlicet ad citationem realem, ſive ad capturam contra denunciatum. Sufficientia autem, ſive idonea crimina judicabuntur, cum eorum cognitio ad S. Officium pertinuerit.

5. Si dubium ſit, an delicta aut propoſitiones delatæ ſpectent ad Tribunal S. Officii, committuntur peritis Conſultoribus præſertim Theologis examinandæ, quibus conceditur tempus ad deliberandum, & ſtudendum, qui deinde ſuffragium ſuum ſcriptum, & propria manu ſubſcriptum dabunt, & proceſſui inſeretur, ut conſtet Inquiſitorem cum cautela proceſſiſſe. *Pegn. prax. Inquiſ. l. 2. c. 7*

ARTICULUS VII.

De Deliberatione super citatione reali & captura.

1. *Sine probatione nemo carcerari potest.*
2. *Quid ad eam requiratur.*
3. *Aliqui putant unum testem sufficere ad captu-ram.*
4. *Contra aliquas personas non sufficit.*
5. *Capere Inquisitor potest sine Episcopo, & è contra, non tamen incarcerare.*
6. *Quomodo formetur decretum de captura.*

1.

OB crimen hæresis nemo capi & carcerari potest, nisi præcedente sufficienti probatione arbitrio Judicis à jure tamen regulato. *Simancas de Catbol. Instit. tit. 16. n. 1. & 2.*

2. Ad hoc autem requiri putat Eymericus in Directorio Inquisitorum plenam probationem, vel maxima indicia, & suspiciones vehementes. *Simancas in Enchrid. Judicum viol. Relig. tit. 25. num. 2.* Requirit plusquam semiplenam probationem.

3. Non-

3. Nonnulli DD. censent apud Pegnam *in prax. Inquis. l. 2. c. 8.* testem unum de crimine hæresis deponentem sufficere ad capturam, dummodo sit omni exceptione major deponatque de visu, vel proprio auditu, maximè si concurrat dictum denunciatoris, quia in crimine hæresis denunciator in numero testium computari solet, quia ad deferendum nullo privato commodo movetur sed zelo sancto Religionis Catholicæ tuendæ. *c. In omni negotio de testib.*

4. Non tamen sufficit unus Testis ad capturam in crimine hæresis contra personam Nobilem bonæ famæ, Sacerdotes, Religiosos, Doctores & Rectores Civitatum, nam Presbyteri comprehendendi non sunt, nisi adversus eos duo, vel tres dixerint testimonium. *Sixtus Papa in c. Accusation. 2. q. 7.* Nec supradicti capi, & carcerari debent nisi consulto supremæ S. Rom Inquisitionis Senatu. *Pegna l. c.*

5. Licet vero Inquisitor sine Episcopo, & Episcopus sine Inquisitore possint capere, & arrestare injectis etiam compedibus & manicis ferreis, alter tamen sine altero ad perpetuum seu temporalem carcerem damnare non potest,

Clem. §. *Propter quod* 1. *de hæret.* Et si fiat, tutius est id facere cum consilio Consultorum Inquisitionis.

6. Porro decretum, quod super captura facienda formatur sub Die, Mense & Anno, quod factum fuerit, notandum erit in processu illius, de cujus causa agitur sub hac ferè formula; *Die --- Mense --- Anno In Congregatione habita in Palatio S. Inquisitionis N. coram R. P. D. hæreticæ pravitatis Inquisitore, in qua interfuerunt N, & N. Consultores ejusdem Inquisitionis; Proposita causa N. in hoc S. Officio denunciati, nec non lectis, & visis indiciis, & probationibus contra ipsum resultantibus, decretum fuit, quod dictus N. capiatur, & in carcerem S. Officii mittatur.* Pegn. l. c.

ARTICULUS VIII.

Capturâ decretâ datur mandatum de capiendo.

1. *Sine mandato Inquisitoris capi non potest reus.*

2. *Formula*

2. *Formula mandati.*
3. *In capiendo reo adhiberi potest familia armata.*
4. *Quomodo Nobiles, DD. Religiosi deducantur ad carcerem.*
5. *Captus bene custodiendus.*
6. *Adducendus ex locis remotioribus non pernoctet in publicis hospitiis.*

I.

DEcreto facto reum esse capiendum, & in carcerem mittendum, datur mandatum de capiendo ab Inquisitore subscriptum executori, qui reum capturus est, sine eo namque posset se criminosus defendere. *c. Cum in jure, ibi Glos. V. Super mandato de offic. deleg.*

2. Hujus autem mandati hæc est vulgaris formula: *De mandato Admodum Reverendi Patris N. Inquisitoris hæreticæ pravitatis, capiatur N. & captus ad carceres S. Officii ducatur, non relaxandus sine expressa licentia ejusdem Domini Inquisitoris.* Mandatum hoc totidem verbis inseret Notarius in processu ejusdem Rei.

3. Executor adhibere potest in capiendo reo, si sit necesse, familiam armatam,

tam, quam de jure habere possunt *Inquisitores. Clem. Nolentes §. fin.* Ubi vero hoc privilegium non est usu receptum debent Judices sæculares in capiendis reis requisiti ab inquisitore brachium seculare impertiri.

4. Si Nobiles, Doctores, Religiosi aliive similes incarcerandi sint, deducit eos curru Commissarius, vel alius Minister S. Inquisitionis ad carcerem, aut si absit timor de fugâ per specialem Nuntium advocantur.

5. Captum bene custoditum, & si opus fuerit catenis constrictum Executor custodi carceris consignabit, qui circa eum leges sibi præscriptas observabit.

6. Si ex remotioribus locis adducendus sit reus, non pernoctent in publicis hospitiis, ne captus fugâ dilabatur, sed divertant vel ad Episcopos, si adsint, vel ad Judices seculares, qui proinde per Inquisitorem per literas requirendi sunt, ut auxilium suum, & favorem præbeant, *Bonifacius VIII. in cap. ut Inquisitionis §. 1. de hæret.*

ARTI-

ARTICULUS IX.

De Ordine in cuſtodiendis Carceratis obſervando.

1. *Pro diverſitate delicti, & conditionis diverſi ſunt ſunt carceres.*
2. *Plures in eodem conclavi non includantur.*
3. *Fœminis honeſtæ ſociæ adjungantur. Et ſi incluſæ ſint Monaſteriis, nemo ad alloquium earum admittatur.*
4. *Pro Cuſtodia carceratorum quæ adhibenda.*
5. *Cibi pro reis præperandi ſunt in domo Inquiſitionis, & quo pretio.*

1.

NOn omnibus reis pares ſunt carceres conſignandi, nam qui levius deliquerunt, mitius tractari debent; Et aliter juvenes, quam ſenes, plebei, quam Nobiles cuſtodiendi ſunt. *l. prima ff. de cuſtodia reorum. l. Divus ff. de Officio Præſidis.*

2. In eodem conclavi mares, & fœminæ occludendi nō ſunt, niſi forte maritus & uxor ejusdem delicti rei. Nec duo

vel

vel plures ejusdem Sexus in eodem conclavi asserventur, nisi Inquisitoribus aliter visum fuerit. *Direct. Inquis. p. 3. comment 108. super quæst. 59.*

3. Fœminis singulis adjungitur velut socia honesta fœmina matura, pia & fidelis ad mali suspicionem præcavendam. *Aut hen. Hodie novo jure. C. de custodia reorum.* Cum, ut sæpè fit, fœminæ ad Monasteria Sanctimonialium custodiendæ deducuntur, Abbatissæ vel Priorissæ curare debent, ut nemo ad alloquium illarum sine facultate Inquisitoris admittatur.

4. Custodes carcerum perquirere & visitare debent carceres, ne parietes perforentur, & carcerati aufugiant; Et si Inquisitori videbitur, possunt hi etiam detineri præsertim noctis tempore in compedibus & manicis ferreis. *Clem. 1. §. Propter quod, de hæret.* Atque si necessitas postulet invocare possunt Inquisitores brachium seculare pro custodia carceratorum, cum Magistratus secularis operam suam in hoc fideliter præstare teneatur. *Alexander IV. Const. Ad extirpanda.*

5. Alimenta reis præbenda regulariter præparanda sunt in domo inquisitionis,

nis, non in domibus reorum, vel aliunde afferenda, ad præcavendas fraudes. Taxanda vero sunt juxta caritatem vel abundantiam rerum comestibilium. Si quis lautius haberi velit præter morem, indulgeri hoc ipsi potest, & concedi, quicquid eidem & famulis, si quos in carcere habuerit, conveniens judicabitur. Verum nec Custos carceris, nec alius Minister quicquam ex reliquiis, si quæ superfuerint, percipiet, sed eæ inter pauperes distribuentur.

ARTICULUS X.

De prima audientia, ad quam incarcerati vocantur.

1. *Coram Inquisitore, & Notario sisti debet reus.*

2. 3. 4. *&c. Quomodo & de quibus interrogetur.*

1.

INquisitores sisti coram se & Notario seu Secretario S. Congregationis jubebunt incarceratos, quando voluerint, eosque præstito juramento de veritate dicenda interrogabunt juxta ordinem infra-

frascriptum Directorii inquisitionis *p. 3. tit. de modo interrog. n. 74.*

2. *Die N. Mensis N. Anni N constitutus in tali civitate & tali inquisitione coram R. P. D. Fratre N. Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Magistro in meique Notarii præsentia N. Filius N. de tali loco ætatis suo annorum N. in circa, cui delato juramento de veritate dicenda, quod præstiterit tactis sacro-sanctis Scripturis fuit per Dominum N. interrogatus.*

3. An sciat causam suæ capturæ, vel ab aliquo, aut aliquibus intellexerit. Respondit &c. Interrogatus ubi, quando & quomodo fuit captus;

Si responderit nescire. Interrogatus, an saltem causam possit cogitare, & dicat an sciat, in quibus carceribus sit detentus, qua de causa homines in illis detineantur.

Si dixerit quod non, sed esse in carceribus S. Officii, ubi detinentur Hæretici, & suspecti de hæresi.

Dicatur illi, quod cum sciat, quod detineantur capti ex causa violatæ Religionis, debet etiam cogitare, quod & ipse detineatur propter causas violatam Religionem concernentes, & ideo dicat, ob quam causam credat se fuisse captum, & in carceribus S. Officii detineri.

Si

Si negativè reſponderit. Tutum eſt ſemper oretenus declarare benignitatem S. Officii erga non coactè confitentes, & rigorem contra renitentes.

4. Mox in ſcriptis moneatur, quod Miniſtri S. Officii neminem comprehendant ſine juſta cauſa, quamobrem ab eo obnoxè petitur, eique præcipitur, & mandatur, ut diligenter perpendat actiones ſuas, ſuamque conſcientiam examinet, & expurget â delictis, & erroribus, quibus forte tenetur, & de quibus eſt denunciatus.

5. Interrogatus unde Originem trahat, & qui ſint ejus parentes; Et ſi ſint plebei, qui alii progenitores.

6. Ubi fuerit nutritus, & in quibus locis habitarit, & ſi mutaverit locum, ſive patriam, quare id fecerit.

Cum quibus in prædictis locis fuerit converſatus, & quorum uſus ſit amicitia.

An cum his aliquando de rebus Religionis ſermonem habuerit, vel illos de Religione loqui audiverit, & in quo loco, & quando & quoties & de quibus rebus, ſeu de qua materia loquerentur.

7. In-

7. Interrogatus cujus professionis sit seu quod exercitium habeat.

An sit dives, vel pauper, quantum habeat in redditibus, & cujus expensis vivat. Reddat rationem vitæ suæ, & quid â pueritia & citra fecerit.

Interrogatus in quibus locis & studiis literarum operam dedit.

Quos Præceptores habuerit, & explicet nomina illorum.

Quas artes didicerit.

Quos libros legerit, & habuerit, & an de præsenti habeat libros de Religione tractantes, & quos.

8. An aliquando in aliquo Tribunali fuerit examinatus, vocatus, vel in aliquo judicio constitutus uti processatus, & ex quibus causis, & an secuta fuerit absolutio, vel condemnatio, & per quem Judicem, & quo anno.

An unquam fuerit excommunicatus, & ob quam causam, & an postea fuerit absolutus, vel condemnatus, & ex qua causa.

An singulis annis sit solitus Sacramentaliter confiteri peccata sua, & quoties, & dicat, in qua Ecclesia, & exprimat nomina tam Confessorum, quam illorum, è quorum manibus Eucharistiam sum-

ſumpſerit, & maximè à decem annis, & citra.

Quas orationes, ſive ſacras preces ſciter.

An habeat aliquos inimicos, & exprimat nomina ipſorum, & dicat cauſas inimicitiarum.

9. Si reus confeſſus fuerit veritatem peracta erit ejus cauſa. Quod ſi adhuc dicat ſe neſcire, cur vocatus, aut in carcerem miſſus ſit; Inquiſitor explicet, quod appareat ex dictis ejus, nolle eum ſatisfacere veritatem, nec conſtet eſſe, qui ex odio eum falſo denunciarint, major oritur ſuſpicio vera eſſe, quæ contra ipſum denunciata ſunt, & propterea monitus iterum ad veritatem ingenuè confitendam.

Omnia interrogatoria, & reſponſa à Notario fideliter, & per extenſum ſcribenda ſunt. Finito hoc examine dicetur ſic:

Quibus habitis Dominus acceptatis &c. Dimittit examen animo &c. injuncto quod ſe ſubſcribat &c. Mandavit reduci ad locum ſuum. Si Reus ſciit ſcribere ſe ſubſcribat, ſi minus apponit ſignum crucis.

ARTI-

ARTICULUS XI.

De secunda reorum Audientia.

1. *Si veritas haberi non possit ex quæstionibus Generalibus, descendendum ad particularia.*
2. *De quibus, & quomodo interrogentur rei in secundo examine.*

1.

SI à reo veritas nequeat haberi ex interrogatis generalibus, debet Inquisitor descendere ad particularia, de quibus denunciatus fuit, videlicet si accusatus fuerit, quod negaverit Purgatorium, uno, duobus vel tribus diebus post primum examen fient interrogationes, juxta infrascriptam formulam:

2. *Die N. Mense N. Anno. N. constitutus ubi, & quibus supra in mei & Notarii præsentia N. de quo supra, cui delato juramento de veritate dicenda, quod tactis Scripturis præstitit, fuit per Dominum.*

Interrogatus, An ultra ea, quæ ipse constitutus dixit in alio suo examine occurrant sibi aliquid dicenda, & quæ.

An

An melius cogitaverit, & recordari potuerit causam suæ carcerationis, & examinis, prout alias fuit interrogatus, & an saltem habeat aliquam suspicionem a quo deferri potuerit apud S. Officium, & super quibus rebus.

An unquam audiverit loqui de Paradiso, Purgatorio & inferno.

Quid audiverit loqui de præfata materia.

Qui sint illi, à quibus audivit de præfata materia tractari, vel disputari.

Quid ipse reus super hoc aliquando sit locutus.

Quid ipse tenuerit, & crediderit. & de præsenti teneat, & credat de Purgatorio.

Si negat se male de eo sensisse, sed credidisse id quod tenet, & docet S. Mater Ecclesia.

Dicat, quid de eo teneat & credat S. Mater Ecclesia Romana.

Accepta ejus responsione moneatur, & caveat à mendacio, quod contrarium contra ipsum depositum habeatur, videlicet, quod loquendo de Purgatorio dixerit talia, & talia, ponendo verba precisè, quæ deposuerunt Denunciatus, & testes.

In

In fine examinis dicatur sicut suprà: *Quibus habitis &c.*

ARTICULUS XII.

Forma inrerrogandi Reos, quando in primo & secundo examine recusant, dicere, veritatem.

1. *Forma interrogandi in tertio examine.*
2. *Quæ in eo quærantur.*

1.

Die N. Mense N. Anno N. constitutus personaliter, ubi & coram quibus supra, in meique Notarii præsentia N. de quo supra, qui delato juramento de veritate dicenda, quod tactis sacro-sanctis Scripturis præstitit, fuit per Dominum.

2. Interrogatus, an melius cogitaverit de dicenda veritate, prout se cogitaturum, & facturum promisit in alio examine.

Vel: An ultra dicta in aliis examinibus sibi occurrant aliqua alia pro veritate dicenda, & quæ.

Re-

Reſpondit &c.

Quid ipſe particulariter ſentiat, & credat de Purgatorio.

A quo, vel à quibus hoc ſibi fuerit perſuaſum.

Præcipiatur, ut explicet in particulari.

Interrogatus, qua occaſione incidit in errorem.

Quanto tempore in eo permanſerit,

An eum errorem ipſe alios docuerit.

An habeat alios errores.

Moneatur de dicenda veritate, habeni teſtimonia, quod de aliis quoque rebus ad fidem Catholicam pertinentibus malè locutus fuerit.

Nil vero dicatur, niſi quod in denunciatione & depoſitionibus teſtium continetur, non enim mentiri licet ad ruendam veritatem.

Quibus habitis Dominus dimiſit examen, animo &c. injuncto, quod ſe ſubſcribat, & mandavit reduci ad locum ſuum &c.

ARTICULUS XIII.

Formula interrogandi Testes examinatos ad effectum declarandi eorum dubias depositiones.

1. *In dubio sæpe Denunciator & Testes iterum revocantur ad examen.*
2. *Quomodo tunc interrogatio instituatur.*

1

FRequenter post receptam denunciationem, depositiones testium & examen accusati oriuntur varietates & dubitationes, ut necesse sit iterum vocare ad examen Denunciatorem & Testes, ut magis specificè quædam intelligantur; ista vero sic peraguntur in praxi.

2. *Die N. Mense N. Anno N. comparuit iterum vocatus, ubi, & coram quo, ut supra N. de quo supra, cui delato juramento de veritate dicenda, quod tactis sacro-sanctis Scripturis præstitit, fuit per Dominum.*

In-

Interrogatus, an ſibi occurrat aliquid dicendum, præter ea quæ dixit, in alio ſuo examine de prædicto N.

Cum dixerit, quod dictus N. tali die dixerit in præſentia ſua talia, dicat ſingillatim, & in individuo, quæ dixit tali die, & in quo loco, & quibus præſentibus.

An ea, quæ dixit circa Paradiſum, & Purgatorium retulerit per jocum.

An ea, quæ prædictus N. dixit, retulerit non ex propria ſententia, ſed recitando, ſeu referendo aliorum errores, & advertat bene, & recordetur, quomodo prædictus N. locutus fuerit.

An inter N. & eos, qui audiverunt fuerit vel aliqua rixa, ſeu odium, vel inimicitia, aut inimicitiæ cauſa.

Quibus habitis dimiſſus fuit injuncto ſilentio, & quod ſe ſubſcribat.

ARTICULUS XIV.

Ante cauſæ expeditionem quid faciendum Inquiſitori.

1. & 2. *Quando reus torqueri poſſit.*

3. *Inquiſitores undecunque veritatem perquirere debent.*

4. *Reus interrogandus est, an velit testes habere pro rite examinatis.*
5. *Quomodo id fiat.*
6. *Si velit testes repeti, fit decretum.*
7. *Si deliberare velit, quid faciendum.*
8. & 9. *Si remittat se ad Juris dispositionem; Vel ad arbitrium Inquisitoris, quid faciendum.*
10. *Si habeat testes pro rite examinatis, fit decretum.*

1.

SI Reus interrogatus vel omnino nihil, vel obscurè & dubiè respondet, v. gr. nescio, non recordor, oblitus sum, torqueri potest. *Baid. in l. accusationem n.12. C. de his qui accus. non possunt.* Etiamsi respondere nolit non solum super facto principali, sed etiam super circumstantiis substantialibus. *Pegna prax. Inquisit. l. 2. c. 21.*

2. Torqueri etiam potest Reus interrogatus à Judice, an hoc vel illud commiserit, respondet se non esse culpabilem; Aut non respondet ad propositum, fingitque se dementem. *Pegna, l. c.*

3. Ut vero Inquisitores incorruptius, & sincerius judicium ferant, undecunque

que veritatem perquirere debent, non tantum è teſtibus in denunciatione nominatis, ſed aliis etiam vel aliunde ex libris, epiſtolis & ſcripturis eorum, qui ſunt de hæreſi inquiſiti, ſi fieri poteſt, inquirendum eſt. *Pegn. l. c. cap. 23.*

4. Cum etiam teſtes examinati in judicio ſummario regulariter non probent, niſi fuerint examinati in judicio plenario, parte citata, & cum eis interrogatoriis, prout DD. communiter ſupponunt. *Farin. de teſtib. q. 72. n. 87. & ſeq.* Ideo Inquiſitor interrogare ſolet Reum, an velit habere teſtes contra ſe examinatos pro ritè & rectè examinatis; quod dupliciter fieri ſolet, vel in præſentia ſui Procuratoris, aut Advocati, vel in eorum abſentia. Si fiat in præſentia eorum, ſic peragitur:

5. *Die N. Menſe N. Anno N. eductus e carceribus, & conſtitutus coram ſupradicto R. P. D. N. Inquiſitore, & præſente N. Procuratore vel Advocato, in meique Notarii præſentia*, N. *de quo ſupra dictum ſibi fuit per eundem D. Inquiſitorem, an velit habere teſtes in ſua cauſa contra ipſum examinatos pro*

ritè & rectè examinatis & repetitis, seu potius velit eos repeti, & de novo examinari. Quibus per ipsum N. auditis. Respondit &c.

Et exinde remissus fuit ad locum suum.

Cum hæc interrogatio fit absente Procuratore vel Advocato, tunc omittuntur illa verba: *Et præsente N. Procuratore vel Advocato.*

6. Si respondeat, se velle, quod testes repetantur, quia velit eos arguere de falso, tunc fiet decretum tale.

Die N. Mense N. Anno N. intellecta responsione N. R. P. D. decrevit, ut testes in ejus causa recepti cum suis interrogatoriis repeterentur; & ideo in continenti, mandavit sibi dari copiam articulorum à Procuratore Fiscali ordinatorum ad effectum formandi interrogatoria.

7. Si respondeat se velle deliberare, & consulere suum Procuratorem vel Advocatum, decernendum quoque est, ut detur illi copia articulorum à Procuratore Fiscali formatorum ad effectum melius deliberandi.

8. Si

8. Si remittat ſe ad juris diſpoſitionem, tunc vult teſtes repeti, quia de jure teſtes recepti in judicio ſummario regulariter non probant. *Bart. in l. Maritus n. 3. & in l. fin. n. 8. ff. de quæſtion.* Et hoc probat Rota. *Pegna l. c. cap. 24.*

9. Si remittat ſe ad arbitrium Inquiſitoris, hoc acceptare non debet Inquiſitor, ne objiciatur illi, quod abſtulerit Reo legitimam defenſionem; Quod ſi importune ad hoc urgeretur, prudenter agat Inquiſitor, ne tale quid ſibi merito objiciatur.

10. Si demum reſpondeat, ſe velle habere teſtes pro ritè & rectè examinatis, & legitimè repetitis, hoc caſu fiet decretum tale.

Die N. Menſe N. Anno N. eductus è carceribus, & conſtitutus coram ſupradicto R. P. D. Inquiſ. N. & præſente N. Procurat. in meique Notarii *præſentia N. de quo ſupra, & dicto ſibi per eundem R. P. D. Inquiſitorem an velit habere teſtes in ejus cauſa contra ipſum examinatos pro ritè, & rectè examinatis, & legitimè repetitis, ſeu potius velit eos repeti, & de novo exami-*

nari habitoque colloquio cum suo Procuratore, respondit, se velle habere dictos testes pro legitimè repetitis, salvis tamen exceptionibus contra personas, & eorum dicta in defensionibus deducendis.

Hoc casu repetitio testium non est necessaria juxta veriorem opinionem, de qua DD. *l. fin. C. de testibus.* & sequitur supremum Tribunal Romanæ Inquisitionis, nec contrarium observatur, nisi in causa hæretici negativi, in hac enim testes debent repeti, etiamsi Reus habuerit eos pro repetitis. *Carena de offic. Inquis. p. 3. tit. 7. §. 5.*

ARTICULUS XV.

Articulorum contra Reum productio.

1. *Procurator Fiscalis præsentat libellum accusatorium vel articulos.*
2. *Qui formandi sunt per verba affirmativa.*
3. *Reus quoque dat sua interrogatoria.*
4. *Qualia ea esse debeant.*
5. *Secundum ea examinantur testes.*

6. *Si testes varii sint, & contrarii incarcerari possunt.*

7. *Standum est primæ depositioni, nisi secunda facta sit in tortura.*

1.

POstquam Inquisitor recepit informationem contra Reum Procurator Fiscalis in quibusdam Inquisitionibus præsentat in judicio præsente Reo libellum accusatorium continentem capita delictorum, de quibus Reus fuit delatus. In supremo foro Romanæ Inquisitionis dat Procurator Fiscalis positiones, & articulos, eadem delicta continentes.

2. Hi vero articuli non debent esse impertinentes, nec formandi per verba negativa, sed affirmativa; Neque sub disjunctione nisi agatur de facto alieno, in quo ignorantia est probabilis. Debent in iis repeti testium depositiones, & inquisiti confessiones. *Pegna l. 2. c. 30.*

3. Postquam Procurator Fiscalis proposuit contra Reum articulos, Reus quoque dat sua interrogatoria *c. Præsentium testes etiam, de test. in 6. ibi Glos. V. interrogatoria.*

4. Hæc vero interrogatoria formanda sunt

sunt à Procuratore Rei secundum ea, quæ continentur in articulis, & secundum circumstantias causæ, & personarum qualitatem. Captiosa & impertinentia interrogatoria Judices resecare possunt; Nec admittenda captiosa ad intricandum testem, & occultandam veritatem. Ad quæ interrogatoria formanda datur Reo terminus competens. *Pegnal c. cap. 32.*

5. Secundum ista interrogatoria examinari debent testes à Judice, non à Notariis, & potest supplere Judex ex officio in eo, ubi pars deficit in dandis interrogatoriis. Si fortè testis depositio varia sit, admittitur ista potius quæ facta super interrogatoriis, quam quæ super articulis. *Rota apud Venalium decis. 421. l. 1.*

6. Si vero testes repetititione (quæ in Romano S. Inquisitionis Tribunali facienda est coram Commissario Generali, Assessore & Tabellione extra urbem, & in Provinciis in præsentia duarum personarum Religiosarum ad hoc, ut planius veritas, aut mendacium ex eorum constantia aut inconstantia exploretur. *Pegnal c. c. 36.*) varii sint, contrariè seu vacillantes incarcerari possunt imò

mò & torqueri si contrarietas sit in substantialibus. *Bossius de tort. testium, num.* 29. & 30.

7. Et standum est primæ depositioni potius, quam secundæ; nisi secunda emanarit in tortura, tunc enim secunda potius attendenda est. Quemadmodum etiam in crimine hæresis favore fidei posteriori dicto statur. *Glos. in c. Accusatus V. post modum de hæret. in 6.* Si tamen notetur zelo fidei, non ex levitate aut odio dictum correctum, & mutatum esse *Alexand. IV. in cit. c. Accusatus.*

ARTICULUS XVI.

De Publicatione Processûs.

1. *Processus copia danda est reo, & sub qua forma.*
2. *Copia quoque depositionum per extensum danda est Reo.*
3. *Articuli, quos contra exhibet Reus, claxè & distincte concipi debent.*

I.

POstquam Procurator Fiscalis suas fecit probationes, & testes fuerunt repetiti,

petiti, fit publicatio processus, cujus & indiciorum copia danda est Reo, ut defendere se possit, sub hac forma:

Die N. *Mensis* N. *Anni* N. *consignata fuit copia processus; Et indiciorum tot foliorum* (exprimatur numerus foliorum) N. *in carceribus S. Officii detento per me* Notarium N. *coram R. P. D. Inquisitore, cum præfixione termini dierum* N. *ad faciendas suas defensiones.*

Die N. *Mensis* N. *Anni* N. *tradita fuit copia processus* N. *in Officio S. Inquisitionis detenti Magnifico Domino* N. *ejus Procuratori.*

2. Danda vero est copia depositionum Reo per extensum, distinctè, & separatim, non summariè, & in confuso. In ea tamen Testium nomina & cognomina non sunt edenda, neque circumstantiæ ex quibus Reus in testium cognitionem devenire possit. *Pius IV Const. Cum sicut. Direct. Inquis. p. 3. tit. de defens. reorum n.* 117.

3. Similiter articuli, quos producit & exhibet Reus, clarè & distinctè concipi debent ab Advocato seu Procura-

re

illius, non autem multa confusè in-
lcando, idque fieri potest vulgari
omate, prout observatur in Tribu-
li Romanæ Inquisitionis; Ideo hic or-
otuto servari potest, ut primo produ-
antur articuli super negando facto, se-
ndo super exceptionibus contra testes,
rtio super bona vita & moribus reo-
m. *Pegna. l. 2. c. 49.*

ARTICULUS XVII.

De Sententiæ Pronunciatione.

Proponitur Consultoribus petitio Rei pro expeditione sua, & Procurator dat informationes.

Qui votum habeant pro sententia ferenda.

Quo ordine vota dentur.

Quæ annotat Notarius.

Cum citatur Reus ad audiendam sententiam.

Quomodo fiat citatio.

Demum sententia fertur ab Inquisitore.

I.

Priusquam sententia proferatur In-
quisitor communicat processum cum
nsultoribus hoc modo: Inquisitor

Con-

Consultores advocat, quibus præsentibus proponitur petitio rei carcerati instantis pro sua expeditione, qua audita, ordinatur, ut Procurator det informationes suas Inquisitoribus, & Consultoribus, quod in Processu sic notari solet:

Die N. *Mensis* N. *Anni* N. *in Congregatione habita coram Domino Inquisitore. In causa* N. *audito ejus Procuratore petente suum principalem expediri*: Vel *lecto ejus memoriali* (dicatur prout contigerit) *fuit ordinatum, quod detur summarium processus Consultoribus, & eiisdem Procurator det informationes.*

2. Ad hunc actum pro sententia ferenda extra Urbem, una cum Inquisitore Episcopus, & ejus Vicarius, & Sede Episcopali vacante Delegatus à Capitulo intervenire debet, alias judicium latum nullum est & irritum.

3. In ferendis suffragiis servetur ordo, qui in qualibet Inquisitione in usu est. In plerisque ferre primum solent Consultores, deinde Vicarius Episcopi aut ejus Delegatus, demum Inquisitores. Procurator Fiscalis jure suffragium ferre non

on debet, cum sustineat vicem par-
s, & accusatoris.

4. Notarius diligenter notare debet
ngulorum suffragia sive scripto, sive
olata. Si alicubi inter Inquisitorem
Consultores & maxime inter istum
Ordinarium discordia oriretur, con-
lendus est supremus Senatus S. Roma-
, & Generalis Inquisitionis. *Pegna*
ux. Inquis. l. 2. c. 59.

5. Post lata suffragia Reus citatur ad
diendam sententiam, ut enim hæc
leat, præcedere debet partis instan-
, Judicis decretum pro citatione fa-
enda, & citatio personalis ad audien-
m sententiam. *Repertor. Inquis V. Citatio*
Nota quod citatio.

6. Citatio vero fieri potest vel per
uncium, vel per Notarium seu Tabel-
onem instante Procuratore Fiscali jussu
quisitoris, Hic actus sic expeditur:

2. *Die N. Mense N. Anno. N. Do-*
inus Inquisitor N. *Mandavit citari*
rsonaliter N. *Reum carceratum in S.*
ficio pro die N. *ut compareat coram*
so ad audiendam sententiam.

Formula

Formula Citationis ad Sententiam.

Citetur N. ex adverso principalis ad videndum concludi, & pronunciari, & audiendam sententiam definitivam pro die N. coram Inquisitore instante D. N. Procuratore Fiscali S. Officii, & in calce ejusdem cedulæ citationis Cursor, sive Notarius, qui fecit citationem manu sua testificabitur se citasse, sic facit personaliter die N. Anno N. Mense N. & simul apponet nomen suum.

In fine ejusdem cedulæ Notarius facit fidem de reproductione, sic:

Die N. Mensis N. Anni N. Dominus N. Procurator Fiscalis reproduxit.

7. Relatione per Notarium sive Nuncium de prædicta citatione personaliter factâ adveniente die in citatione expresso, producetur Reus in Auditorio, & Inquisitor pro Tribunali sedendo more solito suam sententiam pronunciabit, quam inde more solito publicabit, cum ad ejus executionem deveniendum fuerit, & si publicè abjuraturus sit Reus, publicè sententia publicabitur hoc modo:

Die

Die N. *Mensis* N. *Anni* N. *fuit publicata sententia coram populo in Ecclesia* N. *& dictus* N. *publicè abjuravit, prout schedula sua abjurationis.*

CAPUT XVIII.

De Sacra Congregatione Cardinalium sancti Concilii Tridentini Interpretum.

§. I.

Institutio & Facultas hujus Congregationis.

Pius IV. prohibuit edere commentaria ad Decreta Concilii Tridentini.

Idem instituit Congregationem 8. Cardinalium pro executione Decretorum.

Huic concessit Pius V. ut posset decidere casus claros circa intelligentiam Concilii.

Sixtus V. concessit etiam facultatem dubia interpretandi circa reformationem morum.

Eamque habet privativè.

6. *Interpretatur decreta non solum in abstracto, sed etiam in concreto.*

7. 8. & 9. *Sixtus V. dedit illi varias facultates, etiam scribendi nomine Pontificis.*

10. *Constat Congregatio ex Cardinalibus, & Secretario. Quando & ubi habeatur.*

1.

COnfirmata Tridentino Synodo per per Constitutionem Pii IV. *Benedictus DEUS*, prohibuit idem Pontifex Anno 1563. 7. Calend. Febr. ne ad Decreta Concilii edantur commentaria, prout olim fecerat ad Codicem Justinianus *l.* 1. C. *de veter. jur. Enucl.* §. *Nostram autem consummationem.*

2. Subinde instituit idem Pius IV. Congregationem octo S. R. E. Cardinalium, qui dicto Concilio interfuerant, ejusque sensum probè noverant, ut decreta Synodi per Officiales servanda curarent, & si quod dubium, aut difficultas aliqua in executione occurreret, ad Pontificem referrent. Const. *Alias nos* edita 1564. 4. Non. Aug.

3. Cum vero Successu temporis hæc Congregatio sæpe in rebus non dubiis ad Concilii tamen intelligentiam pertinentibus

tibus responsa dedisset, & dubitatum esset, an ad hoc facultatem haberet ob prohibitionem à Pio IV, factam, indulsit primum Pius V, ut posset decidere casus, quos claros putaret, dubiis ad se remissis; Ac non multo post facultatem eidem concessit decidendi causas & controversias interpretationem Concilii concernentes, prout annotavit in libro Congregationis Cardinalis Caraffa apud Pagnanum *in c. Quoniam de Constit.*

4. Demum Sixtus V. in Bulla: *Immensa æterni DEI* Anno 1587. 11. Calend. Febr. impertitur facultatem eidem Concilio Cardinalium, consulto tamen Pontifice, interpretandi dubia & difficultates occurrentes in his, quæ de morum reformatione, disciplinâ, & Ecclesiasticis judiciis, aliisque similibus statuta sunt, reservatâ sibi & Successoribus suis interpretatione decretorum, quæ fidei dogmata concernunt.

5. Hanc interpretandi facultatem habet privativè, cum nulla alia Congregatio se illi immisceat; At facultas executionis, vel observantiæ est cumulativa cum aliis, puta cum Congregatione super negotiis Episcoporum & Regularium.

6. Interpretatur verò non tantum in in abſtracto decreta, & mentem Sacræ Synodi, ſed etiam in concreto decidit caſus particulares remittendo ad Judices Ordinarios ea, quæ in facto conſiſtunt.

7. Attribuit deinde Sixtus V. *cit.* Conſt. 78. *Immenſa.* huic Congregationi alias facultates, nimirum Synodos Provinciales & Diœceſanas in uſum inducendi, ut hæ ſingulis, iſtæ tertio quovis anno celebrentnr; Decreta Provincialium recognoſcendi; Patriarcharum, Primatum, Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum, qui limina Apoſtolorum viſitant, poſtulata audiendi, & quæ ipſa Congregatio per ſe poteſt, expediendi, relatis ad Pontificem rebus gravioribus, abiisque expoſcendi ſtatum Eccleſiarũ, Cleri & populi illis ſubjecti, & diſcedentibus dandi ex formula præſcripta literas teſtantes obitam per eos viſitationem liminum Apoſtolorum.

8. Conceſſit quoque idem Pontifex Congregationi huic auctoritatem non ſolum in Urbe & ſtatu Eccleſiaſtico, ſed etiam in univerſo Chriſtiano Orbe ordinandi ea, quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, & more Chriſtiani

ni populi componendos. *Sixtus citata Const.* 74.

9. Demum post has aliasque facultates eidem Congregationi à Sixto V. qui eam in stabilem & ampliorem formam instituit, dedit illi Gregorius XIV. per literas in forma Brevis auctoritatem nomine Pontificis scribendi. *Fagnanus loc. cit.*

10. Constat hæc Congregatio ex meris Cardinalibus præter unum Prælatum, qui Secretarii Officio fungitur. Ex his Cardinalibus unus est Præfectus, qui cum Secretario subscribit literas & Decreta, ipsiusque Congregationis curam habet & directionem. Habetur hæc Congregatio vel singulis Septimanis, vel bis in Mense, prout negotia postulant die Sabbati, olim domi Cardinalis Senioris, nunc in Palatio Apostolico, & quandoque etiam coram ipso Pontifice.

§. 2.

An Declarationes hujus Concilii habeant vim legis universalis.

1. & 2. An declarationes hu jus Congregationis obtineant vim legis controvertitur.

3. Plurimæ declarationes sunt apocryphæ & rejectæ ad indicem librorum prohibitorum, ideo declarationes nil probant, nisi authenticæ producantur.

4. Si authenticæ sint, vim obtinent legis universalis.

5. Quia fiunt authoritate Pontificis.

6. Qui facit eas suas.

7. Responsa Pontificum etiam in casu speciali faciunt jus uniersale.

8. Declarationes factæ ex consultatione Papæ faciunt jus universale.

9. Declarationes illæ sunt Apostolicæ & Papales.

10. Ideo mutari non possunt.

11. Et eas non observantes puniuntur.

12. Declarationes præcipiunt idem, quod lex declarata.

13. Habent vim declarativam antiqui juris.

14. Lex nova publicari debet, non legis declaratio.

15. Expressio loci & temporis requiritur in nova editione, non promulgatione legis.

16. Aliquæ declarationes videntur sibi contrariæ & non sunt.

17. Jurisdictio aliorum Judicum restricta est, non S. Congregationis.

1. Utrum

1.

Utrum declarationes S. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum obtineant vigorem legis controvertitur à nonnullis maximè Theologis asserentibus, etsi hæ magnum habeant pondus authoritatis, earumque inprimis ratio habenda sit in dubiis & causis decidendis, esse nihilominus tantum doctrinales, nec standum illis necessario tanquam legi universaliter obliganti. *Ita Thom. Sanchez de matr. tom. 3. l. 8. disp. 2. n. 10.* Petrus de Ledesma *in sum. tom. 1. de Sacr. Pœn. c. 13. diffic. 7.* Alphonsde Vega *in sum. to. 1. c. 62. casu* 40. Villalobos aliique nonnulli.

2. Alii contra DD. passim asserunt & tuentur declarationes Sacræ hujus Congregationis non esse solum doctrinales, sed decisivas vim legis habentes. Ita Nicolaus Garzias *de benef. tom, 2. in præfat.* Emanuel Rodriquez *de regul. tom. 1. q. 11. art. 1. & 2.* Ludovicus Miran. *in Manual. Prælat. to. 2. quæst. 26. art. 11.* Jo. de Sales, de legibus. *tr. 14. q. 97. disp. 21. sect. 12.* Prosper Fagnanus *in c. Quoniam de Const.* Card. de Luca. Barbosa Jur. Eccles. *l. 1. c. 4. num. 8.* Ubi auctores pro hac sententen-

tentia facientes plenissima manu adducit.

3. Prænotandum hic declarationes, sive impressæ sint, sive manuscriptæ, quæ passim circumferuntur, quamplurimas esse apocryphas & falsas; Ideoque S. Congregatio die 27. April. 1621 de mandato Gregorii XV. decrevit hujusmodi declarationes indici librorum prohibitorum esse adjiciendas. Ac subinde eadem hæc Congregatio jussu Urbani VIII. Anno 1631 præcepit hujusmodi declarationibus tam impressis & imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in Judicio, vel extra illud à quoquam adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito sigillo & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem Congregationis munitæ fuerint, uti testatur Antonius Diana *Resol. mor. p. 5. tract. 2. resol.* 96. His præmissis.

4. Dicendum omnino judico Declarationes istas à Cardinale Præfecto & Secretario subscriptas, ac consueto sigillo obsignatas, si producantur, vim legis obtinere universalis, & in utroque foro obligare.

5. Probatur primò: Declarationes illæ

illæ fiunt & eduntur auctoritate Pontificis. Ergo ut lex universalis omnes obligant. Antecedens patet 1. quia auctoritas declarandi Decreta Concilii Tridentini reservata fuit Sedi Apostolicæ per Pium IV. *cit. Const. Benedictus*, quam deinde Sixtus V. *Const. Immensa* impertitus est huic Congregationi ; At vero cum Pontifex facultatem aliquam, maximè Sedi reservatam, tribuit alteri eam non habenti, tunc auctoritas illa intelligitur esse Apostolica. *c. Cum aliquibus de rescript. in 6. c. Si cum, & c. Hi qui de præb. in 6.*

6. Patet secundo idem antecedens: Quemadmodum Justinianus Imp. olim postquam prohibuisset *l. 1. C. de vet. jur. enucl. §. Nostram autem.* ne ad suum Codicem ederentur commentaria, dando deinde Prudentibus interpretandarum legum auctoritatem *l. c. §. His itaque* declarat eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta esse, & ut inquit §. *Sed neque Tanquam à nostro divino ore profusa*, subjungens rationem: *Quia merito omnia nostra facimus, quibus authoritatem impertimur.* Pari ratione Sixtus V. concedendo

Con-

Congregationi illi facultatem interpretandi Decreta Concilii, quam Pius IV. Sedi Apostolicæ reservarat, declarat interpretationes & declarationes hujus Congregationis suas esse effectas, prout loquitur Bonifacius VIII. de provisione facta à Legato authoritate ipsi à Sede concessa. *c. Si Apostolica de rescript. in 6.* Atque eam ob causam Congregatio hæc multoties inscribitur: *Tridentini Concilii Sanctissimi Domini nostri auctoritate*, seu *Apostolica Authoritate interpres.*

7. Consequentia constat ex iis, quæ dicta sunt capite 19. Introductionis ad Jus Canonicum, ubi probavi Rescripta Pontificis, & responsa eorum Auctoritate & nomine data etiam ad certas solum personas, & in casu speciali jus facere commune & universale. Quod confirmatur ex eo, quod auctoritas interpretandi dubia in rebus fidei, quam sibi Pontifex reservat, sit Apostolica, & faciat jus quo ad omnes. *c. 2. de juram. calum. c. Sunt quidam 25. q. 2.* Ergo & auctoritas interpretandi dubia, quæ spectant ad morum reformationem, & Ecclesiastica Judicia, erit Apostolica constituens

stituens jus universale. *Arg. c. Majores de Bapt.* Uniformis enim debet esse cujuslibet auctoritatis intellectus, ut inquit Glossa V. *Tota authoritas.*

8. Probatur 2. Conclusio: Declarationes, quæ fiunt ex consultatione Pontificis tantum acquirunt roboris firmitatem, ut jus constituant quo ad omnes *c. Ex multa de voto.* Cum enim magistraliter solum interpretantur DD. Canones aut leges, non est necesse, ut consulant prius Principem. *l. unica C. de profec. qui in Urb. Constant. lib.* 12. Sed Declarationes illæ fiunt ex consultatione Pontificis, cum enim Sixtus V. facultatem dedit Congregationi Concilium interpretandi adjecit hanc clausulam: *Nobis tamen Consultis*: Imo sæpissime habentur hæ Congregationes in præsentia Papæ, & quotiescunque dubia nondum decisa resolvuntur, hæc ad illum per Cardinalem Præfectum, vel Secretarium Congregationis referuntur, prout Fagnanus diu se observasse testatur.

9. Probatur 3. Gregorius XIV. dedit, ut dictum est, Sacræ Congregationi auctoritatem scribendi nomine Papæ; Ego Rescripta ejus censenda sunt Papalia & Apostolica. *c. Cum aliquibus*

de

de Rescript. in 6. & c. Hi qui, de præb. in 6. Et confirmat praxis, nam teste Garzia *de Benef. t. 1. in præf.* hæc S. Congregatio sic rescripsit cuidá Abbatissæ Messanensi: *Eadem ratio habenda est in his, quæ scribuntur à Cardinalibus S. Congregationis Conc. Trid. nomine ipsius Congregationis, ac si à Papa scripta essent.* Jam vero Rescripta Papalia jus constituere universale ostendimus cap. 19. Introductionis ad Jus Canonicum. Ergo & hæ Declarationes seu Rescripta S. Congregationis vim juris & legis habebunt universalis.

10. Hinc à nullo mutari vel corrigi possunt hujusmodi Declarationes; Nec à Sententia lata à S. illa Congregatione appellari potest, sicuti non potest à sententia Senatorum. *c. Ecclesia 16. q. 1. l. 1. ff. à quibus appell. non licet.* Ergo tanquam sententia declaratoria obligat omnes, non secus ac ipsa Constitutio. *c. fin. de Constit.*

11. Atque hanc ob causam solet Congregatio non solum præcipere, ut Declarationes observentur, sed etiam in contumaces pœnis & censuris Ecclesiasticis animadvertere. Expediuntur etiam pro

ro obſervatione illarum Declarationum Secretario Brevium literæ Apoſtolicæ, ab Auditore Cameræ Monitoria, quæ ne cunctatione Rota, Epiſcopi & Se- is Apoſtolicæ Nuncii, quin & S. R. E. Cardinales, & de latere Legati ſuſci- iunt & exequuntur. Conſtituunt er- o Declarationes iſtæ Jus univerſale uo ad omnes, licet factæ ſint ſolum d inſtantiam ſolius, ſeu in caſu par- iculari, ideoque non ſolum doctrina- s, ſed etiam definitivæ ſunt non ſecus ac ſi ab ipſo Pontifice editæ fuiſſent.

12. Objicitur primò: Declarationes ihil præcipere aut prohibere, adeoq; nõ bligare. R. Præcipere aut prohibere illas em quod Lex & Decreta, quorum ſunt eclarationes; Qualitates enim legis eclaratæ inſunt declarationi. *l. nihil ff. Conju. cum emanc. liber. & Auth. de fil. ante tal. Inſtrum. natis ad fin.*

13. Objicitur ſecundò: Obligationem on oriri ex eo, quod ita Congregatio eclaravit, ſed quod Concilium ſic di- poſuerit, proindeque Declarationes on habere vim juris. Reſp. Licet De- larationes non habeant vim novi juris, abent tamen vim declarativam antiqui uris, ut ſic & non aliter intelligendum it, atque ita alligari amplius non po-

terit

terit ignorantia, quæ subinde excusat *Navar. Conc. 7. de Regul.* Sicuti potuisset ante Declarationem.

14. Objicitur Tertiò, Declarationes illas non publicari, adeoque nec ligare. *Auth. ut factæ novæ const.* nam leges instituuntur cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur. *c. In istis §. Leges dist. 4.* Jdque etiam observari in Constitutionibus Apostolicis. *c. 1. v. Solemniter editi de Postul. Præl.* Resp. Quamvis solennitas publicationis requiratur, cum novæ leges eduntur, prout etiam observat S. Congregatio in Decretis quæ fecit per modum novæ legis, ut patet in Decretis de Apostatis & ejectis, de rebus Regularium non alienandis aliisque, non tamen requiritur publicatio in Legis Declaratione, uti communiter Canonistæ *in proœm. Clement.* Nam Legis Declaratio non inducit novum jus. *Card. in Clem. S. Romanus de Præb.* Sed manifestat, quod in lege latebat, insunt enim Declarationes ipsis Legibus *l. 40. ff. de jur. Fisci.* adeoque qui declarat, quasi ex spicis excutit grana, & frangit nucem, ut nucleum ostendat.

15. Objicitur quartò: Declarationibus S. Congregationis regulariter non appo-

ni

i tempus, nec locum, adeoque validas ſſe non poſſe; Invalidæ enim ſunt Conitutiones Papales non continentes empus & locum. *Proœm. Clem. V. Dat.* Reſp. Expreſſio temporis & loci requiritur quidem in novæ Legis editione, non ntem in Legis editæ declaratione; Hæc nim retrotrahitur ad tempus conditæ egis, cui ineſt, & ab illius promulatione vim habet obligandi. *l. Aſſe toto, ſt Hæred. inſtit.*

16. Objicitur quintò: Quamplurimas eclarationes eſſe ſibi contrarias, adeoue vim obligandi non habere. *l. ubi repugnantia ff. de R. J.* Reſp. Multæ declaiones videntur ſibi contrariæ, quæ men revera ob circumſtantias mutas tales non ſunt. Si tamen re ipſa contariæ ſibi ſint, poſteriores derogant rioribus, *c. 1. de Conſt. in 6.* Cæterum ut ictum eſt ſupra *num. 3.* complures ſunt eclarationes apocryphæ, ideoque nulfides adhibenda, niſi quæ in authenca forma producitur.

17. Objicitur ſextò: Deciſiones Judium, qui omnem habent authoritatem Principe *l. Et quia ff. de jurisd. omn. Jud.* on habere vim legis generalis, ſed inçere ſolum parendi neceſſitatem in

par-

particulari causa in qua emanant. *l. Non possunt ff. de leg.* Ergo idem quoque dicendum erit de Declarationibus S. Congregationis. Resp. Negando paritatem, nam jurisdictio aliorum Judicum restricta est ad certas personas, & determinatos limites territorii. *l. fin. ff. de jurisd. omn. Jud.* At vero cum S. Congregationis Auctoritas extendat se generaliter ad omnia Decreta Concilii declaranda pro toto Orbe Christiano, Declarationes ejus omnes ligant, non secus ac ipsæ leges, quas declarant, licet editæ sint in casu speciali, nec aliter quam responsum Pontificis datum in particulari casu facit commune. *c. Ex multa de Vot.*

CAPUT XIX.

De Congregatione super Negotiis Episcoporum & Regularium.

1. *Congregationis hujus institutio.*
2. *Negotia hic expediuntur forma extrajudiciali.*
3. *Duo negotiorum genera hic tractantur.*

4. In

4. *In primo, quis stylus servetur.*
5. 6. & 7. *Quomodo contra Episcopos procedatur.*
8. & 9. *In causis contra Regulares quomodo procedatur.*
10. *Congregatio est occupatissima, & omnia gratis expedire solet.*
11. *Ubi & quando habeatur Congregatio.*
12. *Literæ & Decreta hujus Congregationis subscribuntur à Præfecto & Secretario.*

1.

Sixtus V. *Constit.* 74. instituit duas Congregationes, unam super negos Episcoporum, alteram super negos Regularium, quas deinde conjunxit, ut utraque unam eandemque constiat; quæ ex 24. Cardinalibus & uno ælato, qui Secretarii munus gerit, conuitur. Antiquior inter illos Cardinas Præses est, seu Præfectus.

2. In hac Congregatione res formalem gentes processum tractari non solent, quæ in formâ summariâ & extrajuiali expediuntur. *Sixtus V. cit. Constit. d. de Luca disc.* 1. *num.* 45. *de Regularibus*, eoque controversiæ terminantur hic ore Principum absque strepitu & for-

mâ judicii, ſed ſolum inſpectâ facti veritate, ac frequenter etiam ſumptâ tantummodo extrajudiciali ac ſecretâ informatione.

3. Duo vero ſunt diverſorum negotiorum genera, quæ ad hanc Congregationem pertinent; Unum eſt, cum controverſiæ oriuntur inter Epiſcopos aliosve Prælatos aut Vicarios & Officiales ex una, & Subditos, vel Regulares ex altera parte, ſi nimirum hi graventur vel à locorum Ordinariis, aut ordinariam Eccleſiaſticam jurisdictionem habentibus, vel à Parochis aliisque Clericis ſæcularibus. Alterum eſt, cum contendunt inter ſe Religioſi, idque diverſis modis fieri ſolet: Vel enim controverſiæ intercedunt inter Religioſos ejusdem vel diverſi Ordinis, vel inter Religioſum & ipſam Religionem vel inter Monaſteria Monialium ipſasque Moniales.

4. In primo controverſiarum genere hunc ſtylum Congregatio ſervare ſolet: Si ſint cauſæ contentioſæ, quæ proceſſum & telam judiciariam exigunt, deputatur pro ſingularum cauſarum propoſitione Cardinalis aliquis, qui Ponens dicitur; Hic cauſam ſibi commiſſam à ſe prius

prius bene ponderatam breviter ac dilucidè in Congregatione proponit, ut quod æquitati ac Justitiæ consonum est, statui possit. Contra hunc à neutra parte excipi potest, licet sit Ecclesiæ, de cujus causa agitur, Præsul, Commendatarius, aut Protector, prudentius tamen tunc abstinet.

5. In causis Episcopos concernentibus hic procedendi modus observatur. Cum Congregationis hujus institutum sit juxta mentem Institutoris, ut summariè negotia pertractentur, recipiuntur in formâ extrajudiciariâ subditorum recursus, eorumque querelæ audiuntur, quas in libello supplici proponunt adversus gravamina Ordinariorum, aliorumque Prælatorum ac Vicariorum aut Officialium. Lecto in Congregatione libello, mittitur epistola familiaris subscripta à Præfecto & Secretario nomine Congregationis ad Episcopum vel alium Superiorem cum copiâ porrecti à gravatis libeli, ut de contentis in eo sacram Congregationem informent. Accepta informatione, si ea non discrepet in facto ab ils, quæ narrarunt gravati, proponitur negotium in Congregatione, eoque discusso fertur sententia, pro cu-

jus executione dantur pariter literæ familiares ad Episcopum vel Superiorem directæ ; Quandoque etiam, si causa sic postulet, committitur executio Metropolitano seu viciniori, aliive Prælato in forma extrajudiciali facienda. Vel datur etiam aliquando decretum in formâ authenticâ manu Præfecti & Secretarii subscriptum, sigilloque munitum, ut Partes adeant Judices ordinarios pro observantia & judiciali executione sententiæ, eumque in finem expediuntur monitoria ab Auditore Cameræ, & quandoque etiam per Secretarium Brevium literæ Apostolicæ confirmatoriæ in Formâ Brevis sub Annulo Piscatoris.

6. Quod si ille, à quo informatio petitur, eam dare negligat, aut prætendatur non satis sinceram datam esse, injungi solet alicui Episcopo viciniori, vel Metropolitano aliive Prælato iis in partibus existenti, ut informationem capiat, eamque, ad S. Congregationem referat. Nonnunquam subordinantur etiam Prælati aut Religiosi aliive Probati viri, qui informationes dent Secretas.

7. Quod

7. Quod si vero de criminibus Episcoporum ac Superiorum agatur, re collata cum Pontifice committitur juxta præscriptum Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum alicui Prælato formalis processus informatorius, vel injungitur Auditori Cameræ, ut Commissarium constituat prout res postulaverit, & Pontifici vel Congregationi placuerit. Et si Episcopus vel Superior reus deprehendatur, tunc vel suspenditur ejus Jurisdictio, ac deputatur Vicarius Apostolicus, vel ad curiam evocatur, & pro delicti qualitate vel includitur carceri in aliquo monasterio, vel committitur Auditori Cameræ, ut servatis servandis eum puniat etiam privando Episcopatu, aut transferendo eum ad Ecclesiam inferiorem, aut alia ratione in eum animadvertendo.

8. In causis Regulares concernentibus, si una pars reluctetur, non immiscet se Congregatio, sed eas ad ordinarios eorum Judices remittit. Quod si Regulares subditi prætendant gravamen sibi illatum à Superiore Generali, seu à M. Magistro, vel à Definitorio, ut non sit Superior, ad quem provocari possit, hoc casu datur aditus ad hanc Congrega-

nem, vel etiam ad Cardinalem Protectorem in Religionibus talem habentibus. *De Luca disc. 23. n. 4. de Regul.* vel demum ad ipsum Pontificem, qui tunc pro controversia illa decernenda deputare solet Congregationem aliquam particularem. *Fagn. in c. de Priore à num. 15. de Appell.*

9. Cæterum Congregatio hæc cognoscit causas Regularium non solum publicas, quæ oriuntur ex Regimine Religionis universali, vel inter unam Religionem & alteram, sed etiam privatas inter ipsos Religiosos ortas de electione, officiis &c. Idque ut dictum, summariè & de plano sine formali processu & Notariis, quandoquidem Secretarius vel Cardinalis Ponens recipit informationes, & asservat Scripturas ac documenta. Quemadmodum vero in priori genere causarum scribitur Episcopo pro informatione, eique mittitur copia libelli à læso porrecti; Ita in negotiis Regularium petitur informatio à Procuratore Generali, qui in Curia moratur, vel etiam ab ipso Generali, omnisque adhibetur diligentia, ne veritas celetur.

10. Con-

10. Congregatio hæc omnium est occupatissima, cum in ea pertractentur, quæ ad bonum Regimen Religionum, & Regularium spectant. agatque etiam de iis negotiis, quæ aliis Congregationibus, exceptâ Concilii, communia sunt, contineatque regimen quoddam universale & politicum utriusque Cleri Sæcularis & Regularis. Omnia vero negotia quamvis gravissima gratis, etiam pro Scripturâ expediuntur, adeoque partes nullo gravantur sumptu, nisi perexiguo, quo compensantur labores personales, ac industriæ correspondalium, qui negotia curant. Nonnunquam etiam, si causarum qualitas id exigat, honorarium datur Advocatis, & Procuratoribus, & expensæ factæ in informationibus capiendis, refunduntur. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc.* 16.

11. Habetur hæc Congregatio in Palatio Apostolico singulis diebus Veneris, exceptâ Feriâ sextâ Septimanæ Sanctæ, quando anticipatur in Feriam quintam; & tempore vacationum Æstivarum Generalium, quo rarius Deputati congregantur, nisi negotiorum multitudo & qualitas aliud exigat,

12. Lite-

12. Literæ & Decreta hujus Congregationis, quæ magna diligentia asservantur in Archivio Apostolico, scribuntur & subscribuntur à Secretario, ac manu Sigilloque Cardinalis Præfecti roborantur, sine quibus inscriptionibus & Sigillo expeditiones authenticæ non habentur, ideoque extra Curiam nil deferendum est attestationibus resolutionum, seu declarationum hac duplici subscriptione & Sigillo carentium. In Curia vero, cum facile veritas ex Registris, quæ in Archivio Apostolico asservantur, haberi possit, istæ solennitates subscriptionis non requiruntur. *De Luca disc.* 16. *Rel. Rom. Cur. n.* 2.

CAPUT XX.

De S. Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

1. *Cur & à quo instituta sit.*
2. *Quod sit munus hujus Congregationis.*
3. *Qui constituant hanc Congregationem.*
4. *Ubi & quando habeatur.*

5. Quo

5. Quo stylo procedatur in ea.
6. Cognoscit causas privativè.

1.

CUm frequenter in diversis casibus exceptis delinquentes non gaudeant immunitate Ecclesiasticâ, si perpetrato delicto ad eam tanquam Asylum confugiant, atque etiam ob diversitatem & commixtionem actionum, factique mutatam qualitatẽ, ac diversas singulorum casuum circumstantias, dubia sæpenumero, de quibus non facilè certum ferri potest judicium, gravissimæ cum sæcularibus controversiæ ortæ sint, & hodiedum oriantur, instituta est hæc Congregatio ab Urbano VIII. incertum an vivæ vocis oraculo, an per literas in formam Brevis, an per Decretum Consistoriale; an demum per Constitutionem aliquam, quæ in Bullario non comprehendatur.

2. Munus ergo hujus Congregationis proprium ac præcipuum est, protegere ac defendere jurisdictionem, & Immunitatem Ecclesiasticam tam personalem, quam localem & realem, ne hæc violetur, aut illa usurpetur à Magistratibus

bus vel Comunitatibus sæcularibus, neve à Gabellarum aliorumque onerum localium exactoribus gravetur. In his verò Juribus & Immunitatibus tuendis, ut refert Cardinalis de Luca *disc.* 17. *Relat. Rom. Cur. & disc.* 3. *num.* 1. *Miscell. Eccles.* Peccatum est sæpius in modo ex indiscreto & aspero zelo quorumdã Officialium, & eorum, qui sub principium huic Congregationi præfuerunt. Ideoque putat in citato *disc.* 3. melius, & cum majori Immunitatis conservatione ac emolumento res eò pertinentes sine strepitu per S. Congregationem Episcoporum, & Regularium negotiis præpositam tractatas esse.

3. Constituunt hanc Congregationem Cardinales & Prælati plerumque ex Rotæ & Cameræ auditoribus eo numero, qui determinatus fuerit à Pontifice; Quatuor tamen ex iis videntur stabiles, nimirum Secretarius, qui utplurimum est Referendarius aliquis utriusque signaturæ, unus ex Auditoribus Rotæ, unus ex Clericis Cameræ & Advocatus Fisci. Horum Prælatorum præcipuum est officium instruere ac referre summatim causas, prout faciunt in Curiâ qui Ponentes dicuntur, cum negotiorum

ac

ac Processuum acta quæ ad hanc Congregationem spectant, magnis sæpe voluminibus ab ordinariis aliisque per Orbem dispersis Judicibus transmitti soleant.

4. Congregatio ista bis in Mense Feria tertia celebratur in Palatio Pontificio, nisi aliud negotia requirant. Præsidet illi Cardinalis aliquis, qui Præfectus Congregationis dicitur, & Sigillum asservat, percipitque quotannis ex Cameræ Apostolica mille Scuta. *Lunadoro.*

5. Cæterum omnia, ut in aliis Congregationibus, gratis hic expediuntur. Proceditur quoque in formâ extrajudiciali sine processibus; Sed scribuntur Epistolæ familiares ad Ordinarios, vel Nuntios Apostolicos, aliosve Prælatos Ecclesiasticos, quos negotium concernit pro informatione controversiæ capiendâ, & executione Decretorum ac resolutionum suarum facienda.

6. Cognoscit vero Congregatio hæc de causis Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ privativè, Ideoque per ejus Decreta à Summis Pontificibus comprobata, inhibitum est Metropolitanis ac Nuntiis, aliisque Judicibus appellationis, vel recursuum ab Ordinariis locorum

corum

corum, ne inhibitiones concedant, vel impedimenta præstent. *DeLuca Relat. Rom. Disc.* 17.

CAPUT XXI.

De Congregatione Rituum.

1. *A quo erecta; Est duplex.*
2. *Ordinaria & Extraordinaria. Ad primam qui veniant.*
3. 4. & 5. *Quid in illa tractetur.*
6. *Quæ contentiosa ad illam referantur.*
7. *Quomodo res in ea tractentur.*
8. *Ad extraordinariam qui veniant.*
9. *Quomodo res in ea tractentur.*
10. *Quæ præmittantur Canonizationi.*
11. *Decisiones hujus Congregationis nil probant nisi in authentica forma exhibeantur.*

I.

COngregatio pro Sacris Ritibus, & Cæremoniis, cæterisque rebus ad Divinum cultum pertinentibns erecta fuit à Sixto V. *Constit.* 74. quæ incipit: *Immensa*, videtur esse duplex, ut colligitur ex diversis membris, seu Prælatis, qui

qui eas constituunt, alii enim hanc, alii illam ingrediuntur, licet Cardinales non mutentur, sed iidem utrique interint.

2. Una eaque ordinaria erecta est pro decidendis controversiis & ritibus, cæremoniis, præcedentiis aliisque præeminentiis; Altera extraordinaria pro Canonizatione Sanctorum, & Beatificatione Servorum DEI. Ad primam Congregationem accedunt Cardinales tot, quot Pontifex constituerit, & plures Prælati, quorum unus Secretarii munus obire solet; Nonnulli etiam Religiosi Theologiæ Professores, inter quos præcipui sunt: Magister S. Palatii, & Sacrista Papæ, hic ex Ordine Eremitarum S. Augustini, ille ex familia S. Dominici; Demum unus aut plures Magistri Cæremoniarum Potificis.

3. In hac Congregatione duo negotiorum genera pertractantur, alterum est contentiosum inter partes litigantes, alterum pacificum; Ad hoc spectant ea, quæ sacros Ritus & Divinum cultum concernunt; Nimirum approbatio officiorum, concessio facultatum, Officia seu Missas sub ritu simplici, semiduplici,

ci, vel duplici, aut etiam cum Octava celebrandi.

4. Nova tamen Officia de Sanctis Patronis nonnisi consulto Pontifice concedere potest. Sixtus V. *Const.* 47. *Immensa.* Nec passim concedere consuevit in Officiis ab eo approbandis Antiphonas, Versiculos, Responsoria, Hymnos aliaque similia præter Lectiones secundi Nocturni. *Eadem hæc Congregatio in Segubien. sub Offic. Fructi* 27. *Julii* 1609. apud Barbosam *in Collect. Bullar. V. Congreg.* Neque approbat Litanias, præter Ordinarias impressas in Breviario, & eas quæ Lauretanæ dicuntur. *Eadem Congregatio in Alexandrina* 15. *Mart.* 1608. *dubio* 16. *apud Barb. l. c.*

5. Declarat præterea dubia cæremonialia v.g. Quibus diebus celebrari possint Missæ votivæ; Concedit etiam licentiam assumendi Sanctum aliquem in Patronum. Ordinat de jure celebrandi Officium Defunctorum in die depositionis, erigendi novas Congregationes & Confraternitates &c. Emendat prout opus fuerit, libros de sacris Ritibus, & cæremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale.

6. Ad

6. Ad alterum genus contentioſum referuntur quæſtiones de præcedentiis, & præeminentis Clericorum Sæcularium & Regularium in ſupplicationibus, aliisque functionibus publicis. Item quæ oriuntur ob præeminentias inter utriusque Cleri diverſa Capitula, vel Monaſteria; Aut inter ejusdem Capituli dignitates vel Canonicos præſertim in Cathedrali vel Metropolitana. Pertinent huc etiam controverſiæ ſuper præeminentiis inter Eccleſiaſticos & Sæculares, atque inter ipſosmet Sæculares, quibus nimirum ritibus Reges & Principes eorumque Oratores, aliæque Perſonæ magnæ Nobilitatis ad Urbem Curiamque Romanam venientes excipiendi ſint; Quæ conſtituere & ordinare hæc Congregatio debet. *Sixtus V. l. c.*

7. Proceditur vero in hac, ut & in aliis Congregationibus forma extrajudiciali præviis extrajudicialibus informationibus ab Ordinario loci, vel à Superiori Regulari pro qualitate cauſæ acceptis *Sixtus V. l. c.* Omniaque fiunt, & conceduntur gratis. Si quæ controverſiæ ſpectantes ad Ritus & Cæremonias ad Rotam referantur, ſolet hæc de iis ſententiam hujus Congregationis audire-

S. Cong. Rit. in Calagurit. 5. Julii 1653. apud Barbos. in Collect. Bulla V. Rota.

8. Ad alteram Congregationem extraordinariam spectant iidem Cardinales & Secretarius, qui ad priorem, sed non iidem Prælati, Officiales & Theologi, cum alii pro hac Congregatione constituantur. Est etiam in ea Promotor fidei, qui ex consuetudine idem esse solet, qui Advocatus Fisci. Accedunt quoque ad hanc tres antiquiores Rotæ Auditores, veluti Canonum periti, qui munus gerunt Assessorum; Et unus ex Protonotariis participantibus, tanquam Promotor causæ; Siquidem jam à primis Ecclesiæ initiis sub Clemente I. Protonotarii constituti erant, qui acta Martyrũ in hunc finem conquirebant, scribebantque. Demum adhibentur alii quoque Theologi, qui Consultores vel Qualificatores dicuntur, ut res tanti momenti, summa, qua fieri potest consilii maturitate examinentur & pertractentur; Eumque in finem adhibentur peritissimi quique in omni facultate Doctores, etiam Medici, & Philosophi, qui judicent, an operationes, quæ miraculis adscribuntur, verè sint supernaturales.

9. Inqui-

9. Inquiruntur ergo & examinantur omnia etiam minima accuratissimè, datis auctoritate Apostolicâ ad diversa loca literis pro informatione capienda, & formanda Inquisitione, quas tamen non concedit Congregatio, nisi expeditis prius, & ad se directis literis Apostolicis in forma Brevis. *Congreg hæc in Valentin seu Dervissen. Fir. Paschalis Baylon. 9. Maji 1609. apud Barbos. l. c.* Discussis deinde diligenter, & mature probationibus de Beatificatione aut Canonizatione cujusdam in pluribus Congregationibus, defertur negotium ad Congregationem magis solennem, quæ habetur coram Pontifice; Hic audito Congregationis voto, decernit Beatificationem, permittitque functiones, quæ ad cultum famuli Dei spectant.

10. Ad Canonizationem vero & adscriptionem Catalogo Sanctorum, utpote quæ obligat ad fidem, plura præmittuntur. Postquam enim de ea actum, & examen institutum fuit in magna illa & solenni Congregatione coram Pontifice, denuo subjicitur examini in pleno Consistorio secreto, quo facto habetur Consistorium magnum, & sosolenne publicumque, cui intersunt omnes Archi-Episcopi, & Episcopi in

Curia præsentes, qui omnes more Conciliorum suffragium suum ferunt, & Canonizatio decernitur.

11. Cæterum ex speciali jussu Urbani VIII. mandavit ac præcepit hæc S. Congregatio Anno 1632. 11. Aug. Declarationes, Decreta seu Decisiones sub nomine Congregationis, vel impressas vel imprimendas, vel etiam manuscriptas nullius roboris esse, nec fidem illis in judicio vel extra illud adhibendam, nisi in authenticâ formâ, solito Sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem Congregationis munita fuerint. *Barb. in Coll. Bull. V. Congregatio.*

CAPUT XXII.

De Congregatione pro Indice Librorum prohibitorum.

1. *Occasio institutionis hujus Congregationis.*
2. *A quo & quem in finem erecta sit.*
3. & 4. *Quæ facultas illi concessa.*
5. *Qui libri prohibeantur.*

6. *Qui*

6. *Qui spectent ad hanc Congregationem, & quod eorum Officium.*
7. *Inter Consultores primarius est Magister S. Palatii.*
8. *Ejus Officium. Revidet libros, & dat licentiam imprimendi.*
9. *Atque etiam evulgandi libros.*
10. *Habet facultatem revidendi libros, qui in urbe venduntur; Dandi etiam potestatem legendi libros prohibitos.*
11. *Est Concionator Familiæ Pontificiæ.*
12. *Quando habeatur Congregatio. Omnia gratis & summariè expediuntur.*

1.

CUm superiore sæculo Lutherus, aliique Hæresiarchæ magno numero, quâ verbis, quâ scriptis virus suum longè lateque diffunderent, inter alia remedia, quibus Summi Ecclesiæ Pastores & Romani Pontifices animarum hanc pestilentiam dispulerunt, fuit institutio Congregationis S. Officii, & inquisitionis, de qua actum est supra cap. 16. & hujus pro Indice librorum prohibitorum, quarum opera, cura & vigilantia perversæ noxiæque doctrinæ & sententiæ eliminarentur.

2. Erexit ergo Sixtus V. *Constit. 74. Immensa* hanc, de qua hic agimus, Congregationem eum præcipue in finem, ne libri hæresis veneno infecti, aut doctrinâ noxia aspersi imprimantur, & vulgentur.

3. Ideo facultatem illi tribuit librorum ejusmodi Catalogos, & Indices recognoscendi, certorum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus Indicibus suspensos examinandi, & si judicium suum de illis ad Pontificem retulerint, ejusdem auctoritate rejiciendi, hominum vero injuria & dolo depravatos emendandi, eosque libros, qui paucis erroribus rejectis alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi, indicesque expurgatorios conficiendi, & novos libros sanæ doctrinæ approbandi, & ut imprimantur, potestatem & modum concedendi. *Sixtus V. in cit. Const. 74.*

4. Decidere etiam potest dubia super Indice librorum prohibitorum à Pio IV. confirmato, & à Sixto V. primum, deinde Clemente VIII. aucto, qui habetur in fine Concilii Tridentini. *Clemens VIII. Const. 36. Sacrosanctum.*

6. Ex-

5. Extendit se vero prohibitio illa non tantum ad libros Orthodoxæ Fidei contrarios, ejusque dogmata oppugnantes, ut perperam quidam existimarunt, sed etiam ad eos, qui mores corrumpunt, pietatem evellunt, & Ecclesiasticam potestatem, libertatemque oppugnant,

6. Congregatio hæc constituitur ex tot Cardinalibus, quot voluerit Pontifex, quorum unus Præses est Congregationis, cum Secretario, qui esse solet Religiosus Ordinis Prædicatorum, & duodecim Consultoribus, qui eliguntur ut plurimum è Religiosis diversorum Ordinum Romæ præsentibus Theologiæ & omnis liberalis doctrinæ bene peritis. Horum Officium est, revidere & examinare libros suspectos, qui inter eos à Secretatio distribuuntur, ut deinde judicium suum de iis in plena Congregatione referant.

7. Inter hos Consultores primarius est stabilis Magister S. Palatii, cui antiquitus demandata erat cura libros noxios configendi. Est hic Magister S. Palatii Religiosus Ordinis S. Dominici Ss. Theologiæ Magister, & residet in Palatio Pontificio, censeturque inter aulicos Papæ familiares, & ut verisimile est,

assumptus olim, antequam erigeretur sub Paulo III. Congregatio S. Officii, ut in rebus ad fidem pertinentibus tanquam Consultor Papam informaret, quemadmodum nunc faciunt Theologi, quorum operam ad hoc nonnulli Episcopi, Archi-Episcopi, atque etiam Cardinales adhibere solent.

8. Hoc tempore munus illius est revidere libros in Urbe ejusque districtu imprimendos, cum in eo nulli imprimi possint sine facultate Cardinalis Vicarii, seu ejus Vicesgerentis, quæ non conceditur, nisi sub conditione, ut revisi prius approbentur ab hoc Magistro S. Palatii. Revisio vero fit vel ab ipsomet Magistro, vel ejus Socio, quem habet quasi Vicarium & Adjutorem ex eadem S. Dominici Familia Ss. Theologiæ Professorem, vel si libri sint alterius facultatis, quam Theologicæ, ab alio aliquo in illis scientiis exculto, ad cujus deinde relationem ipse Magister sub nomine suo, vel Socii licentiam imprimendi impertitur.

9. Præter hanc vero licentiam requiritur & alia, ut postquam impressi sunt libri, evulgari possint, & cum hanc impetrat Typographus, offert Magistro S. Palatii tria exemplaria libri impressi, unum

unum pro ipsomet Magistro, alterum pro ejusdem Socio, & tertium pro D. Vicesgerente.

10. Præterea post institutas Congregationes S. Officii, & hanc, de qua agimus, Indicis librorum prohibitorum, potestatem adhuc retinet revidendi, si velit, libros, qui in Urbe ejusque districtu venduntur, & concedendi Viris probatis & doctis in finem bonum, nimirum pro fidei, vel Sedis Apostolicæ, aut Ecclesiasticæ potestatis servitio & defensione facultatem legendi libros prohibitos, exceptis Caroli Molinæi, Nicolai Macchiavelli operibus, ac libris de Astrologia Judiciaria tractantibus, quorum Concessio S. Pontifici reservatur.

11. Demum Magister S. Palatii stabilis est Concionator Palatii, seu Familiæ Pontificis in Adventu & Quadragesima, quando Conciones haberi solent.

12. Diem statutam, qua convenire soleat, non habet hæc Congregatio, sed convocatur sæpius aut rarius pro negotiorum exigentia, ut plurimum semel de mense. Omnia gratis in ea peraguntur, severissimè prohibetur, ne Consultores Revisoresque quicquam, etiam

sub

sub prætextu magni laboris aut expensarum, quæ faciendæ fortè essent pro revisione, mercedis loco acceptent. Res vero tractantur in ea summariè sine forma judiciali, prout de aliis quibusdam Congregationibus dictum est. *De Luca disc. 19. Rel. Cur. Rom.*

CAPUT XXIII.

De S. Congregatione Examinis Episcoporum.

1. *Gregorius XIV præscripsit formam promovendi Præsules ad Ecclesias.*
2. *Clemens VIII. examinari eos voluit in Congregatione à se instituta.*
3. *Qui interfint Congregationi, & ex quibus facultatibus examinent.*
4. *Tres vel quatuor in una Congregatione examinantur.*
5. *Quomodo examen instituatur.*
6. *Peracto examine disquiritur an examinatus admittendus, vel rejiciendus sit.*
7. *Qui sint liberi ab hoc examine.*

1. Grego-

1.

GRegorius XIV. edidit Anno 1591. Constitutionem, quæ incipit: *Onus Apostolicæ*, quæ præscripsit formam promovendi ac præficiendi Præsules Ecclesiis Cathedralibus ac Metropolitanis ex mente Concilii Tridentini, cui ipse ante assecutionem Purpuræ interfuit veluti Episcopus Cremonensis Nicolaus Sfondratus dictus.

2. Hujus Pontificis vestigiis insistens Successor ejus immediatus Clemens VIII. examen Promovendorum in Italia ad Episcopatus publicum & solenne instituí voluit coram se & quibusdam Cardinalibus, ex quibus peculiarem hunc in finem Congregationem erexit.

3. Constat hæc Congregatio ex octo decemve aut tot Cardinalibus, quot voluerit Pontifex, nonnullis Prælatis & Religiosis diversorum Ordinum Theologiæ & Canonum peritis; Ex his aliqui sunt stabiles & fixi, veluti Rotæ Decanus, Vicesgerens, & Magister S. Palatii; Reliqui assumuntur ad libitum Papæ, qui promovendum examinant ex ea facultate, in qua quisque versatus est, videlicet ex Canonibus & Decretis, ex Theo-

Theologia Scholastica & Morali, quamvis ut plurimum examen hoc ad pauculas quasdam quæstiones easque non valde difficiles ex Theologia Morali hoc tempore restringi soleat.

4. Examinari non solent in una Congregatione plures promovendi quam quatuor, nec pauciores quam tres, proindeque si tres minimum non sint, qui examini se sistant, Congregatio convocari non solet, nisi aliud Pontifici videatur, quod examinandus tantæ sit prosapiæ & dignitatis, ut non congruat eum cum aliis in examine concurrere.

5. Cum Pontifex & constituti Cardinales cæterique Examinatores congregati sunt in Palatio Pontificio, introducitur ad locum consuetum Examinis per Vicesgerentem examinandus, ubi coram Pontifice cæterisque Congregatis, promovendus genibus flexis super pulvinari examen subit. Et quamvis omnes potestatem habeant examinandi, non solent tamen plures quam tres, duo nimirum ex inferiori ordine Examinatorum, & unus Cardinalis, quem Pontifex determinaverit, quæstiones proponere.

Peracto

6. Peracto examine exquirit Pontifex vota singulorum, an examinatus rejici vel approbari mereatur; Si plurium calculo approbetur, inscribitur nomen ejus à Secretario Congregationis libro, qui ab eodem asservatur. Si vero examinatus, repulsam patiatur, quod subinde, rarius tamen accidit nonnullis, etiam perquam peritis & idoneis, sed Majestate confessus territis & turbatis, admittitur ad novum aliquod examen privatum coram quibusdam Cardinalibus, vel uno etiam, prout Pontifex ordinavit, instituendum.

7. Cardinales pro Episcopatu nominati non subjiciuntur huic examini; Neque Episcopi semel examinati, qui ad alium Episcopatum transferuntur, ad novum examen revocantur, secus vero, si antea examen non subiverint. Aliquando etiam Papa Prælatos ad Ecclesias promovendos, quorum doctrina, virtus, experientia nota est, utpote qui in Legationibus vel in Judiciis Curiæ aliisque gravioribus negotiis exercitati fuerunt, sine examine ex Congregatione dimittit; Quæ gratia etiam Personis valde illustribus pro Ecclesiis nominatis

natis fieri solet- De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 21.

CAPUT XXIV.

De S. Congregatione Fabricæ, ejusque Tribunali.

1. Julius II. concessit gratias iis, qui conferunt ad structuram templi S. Petri, & constituit Commissarios, qui eleemosynas colligerent.
2. Quorum facultates auxit Leo X.
3. Clemens VII. eas temperavit & instituit Collegium 60. virorum pro curanda fabrica.
4. Cui amplas concessit facultates & privilegia.
5. Judicis causarum Fabricæ ampla facultas.
6. Ab eo appellatio solum datur ad Collegium.
7. Aliæ facultates Judicis & Collegii.
8. Præsidens Collegii est Archi-Presbyter sancti Petri.
8. Præter ordinarios Officiales instituit Clemens VIII. Congregationem Cardinalium; ideo duæ sunt Congregationes Fabricæ major & minor.
10. & 11. Quod sit Officium congregationis.
12. In utraque Congregatione tractantur contentiosa, & œconomica.

13. &

13. & 14. *Contentiosa quo ordine tractentur.*
15. *Congregatio non attendit præceptum Testatoris.*

1

UT Principis Apostolorum Basilica Vaticana in Urbe, quæ ob vetustatem reparatione indigebat, restauraretur, & in ampliorem augustioremque formam dilataretur, concessit Julius II. *Const.* 24. *Liquet.* iis qui pro Basilicæ hujus Structura eleemosynas aut operam offerrent, de thesauro Ecclesiæ facultates, gratias, donaque spiritualia. Eum in finem constituit Commissarios diversis in locis, qui piorum eleemosynas, & oblationes colligerent; Nimirum Hieronymum Torniellum Ordinis Minorum citra Montes in viginti quinque Provinciis, cui demortuo postmodum subrogatus est Franciscus Zano, quo pariter vita functo post alios quosdam minori cum potestate delectos Timotheum Lucensem, & Alphonsum Matritensem ejusdem Ordinis successisse tradit Wadingus *tom.* 8. *Annal.*

2. Horum Commissariorum, qui Vicarii titulum gerebant, facultates ampliavit

pliavit deinde Leo X, ut exequi quoque possent pia & incerta legata, seu dispositiones fidelium, & ex iis partem ad inchoatam à Julio Basilicam promovendam applicare. *l. 3. Diplomat. Leonis & l. 1. & 2. Diplom. Secretorum Sadoleti apud Pallav. l. 1. Hist. c. 3.*

3. Verum Clemens VII, temperando concessas à Prædecessoribus suis Vicariis illis seu Commissariis facultates, instituit Collegium 60. Virorum Curialium ex quacumque Natione, qui ejusdem Fabricæ curam & administrationem habeant, quibus plurimas dedit facultates & Privilegia. *Const. 3. Admonet.*

4. Nam in primis hoc Collegium, omnesque in eo personas eximit ab omni jurisdictione & potestate cujuscunque sit dignitatis & Officii, sibique soli subjicit. Deinde facultatem eidem concedit deputandi Judicem, & cognitionem causarum interesse hujus Fabricæ concernentium; Asservandi omnes eleemosynas, oblationes & donationes operi istius Fabricæ impendendas; Cum debitoribus Fabricæ transigendi, Collectoresque ad exigenda legata deputandi, & pecunias inde collectas in Fabricam exponendi.

5. Porro

5. Porro prædicti Judicis causarum Fabricæ facultas erat amplissima cum consilio peritorum causas quascunque huc pertinentes cognoscendi, ac debitores cujuscunque essent Dignitatis, gradus vel Conditionis præsentes in curia manu regia absque tela judiciaria, etiam singulis diebus, & tempore quarumcumque Feriarum, non tamen ad DEI honorem indictarum, etiam absente Pontifice & Sede vacante citandi & judicandi; Nec non contra Capitula, Collegia, Communitates & Universitates detinentes personas, res & bona ad dictam Fabricam spectantia, si ea non restituerint, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia procedendi.

6. A sententia dicti Judicis ad ipsum solummodo Collegium dabatur appellatio, & ut statuit Pius V. unica tantum. Mandata vero illius à quocumque executioni danda erant, & nullatenus impediri debebant, sicuti nec impediendæ erant nec occultandæ dispositiones in favorem Ecclesiæ factæ.

7. Ad hæc duæ sententiæ conformes constituunt rem judicatam pro hac Fabrica, ut statuit Pius V. *Const.* 95. qui etiam

etiam *Const* 98. facultatem concessit revidendi, ac rescindendi quascunque bonorum Ecclesiasticorum alienationes malefactas, & aliquam ex iis partem fructuum Fabricæ applicandi, cum ampla facultate hujusmodi causas cognoscendi, ac etiam desuper transigendi vel componendi. Et *Const.* 97. dat facultatem exequendi omnia legata pia infra triennium non impleta, & ut Fabricæ applicentur pœnæ pecuniariæ, in quibus condemnantur, qui alienarunt bona Ecclesiæ absque solennitatibus; Item fructus ex bonis alienatis ab occupatoribus male percepti.

8. Præsidens & Moderator hujus Collegii constitutus est à Sixto V. Cardinalis Archi-Presbyter S. Petri, cui idem Pontifex concessit potestatem reformandi Officiales & Ministros, ac etiam cognoscendi causas, Judicemque deputandi. *Const.* 102. *Sixti V.*

9. Demum præter Ordinarios Officiales, qui partim Prælati, partim togati esse solent, ut sunt: Judex Ordinarius, Oeconomus generalis, Secretarius Congregationis, & Advocatus, instituit Clemens VIII. Congregationem Cardinalium tot, quot Pontifici videbuntur,

tur, quibus adjunxit quosdam Prælatos, nimirum Auditorem Cameræ, Thesaurarium Generalem, unum Auditorem Rotæ, & unum Clericum Cameræ, aliosque Prælatos aliquot pro arbitrio Papæ. Hinc duo hoc tempore dicuntur esse in Curia Congregationes Fabricæ, una major & Cardinalitia cum modo dictis Prælatis, & huic Congregationis Generalis nomen attribuitur; & pro negotiorum exigentia, non statuto & certo die convenire solet; Altera est minor & particularis constituta ex supradictis Officialibus, cujus caput esse solet Cardinalis antiquior Congregationis majoris, & frequentius haberi solet.

10. Exercet vero Congregatio hæc munus suum circa plurima: Primò exequitur dispositiones, quæ ad pias causas sunt factæ, ut suum sortiantur effectum applicando nonnullos fructus Fabricæ, quod opus loco aliorum operum, vel suffragiorum, quæ fieri debebant, potestate Apostolica succedit.

11. Secundo: Ut exigat sibique applicet dispositiones ad incerta pia opera factas; Item legata pro certo quodam opere individuo, pro quo bona relicta non sufficiant, facta. Tertio: Si Eccle-

siæ, loca aut personæ, quarum favore dispositio facta est, ex instituto incapaces sint illorum Legatorum, puta si Capucini sint, aut Minores Observantes, aut Professi Societatis JESU eorumvè domus, tunc Fabrica dispositionem sibi applicat.

12. In utraque ergo Congregatione de duobus negotiorum generibus agitur, de contentiosis & œconomicis; Contentiosa habentur cum Defunctorum Hæredibus aliisque ad quos pertinet, circa dispositionum piarum executionem; Et cum Legatariis, qui incapaces censentur Legatorum aut hæreditatum. Oeconomica versantur circa directionem Fabricæ, circa salaria & rationes Ministrorum & operariorum, atque etiam circa debita expungenda.

13. Primum genus contentiosum hoc stylo & ordine in Urbe ejusque districtu tractatur: Causæ in prima instantia cognoscuntur in forma judiciaria more aliis judiciis consueto, per supradictum Judicem, & si forte is suspectus esset, deputatur aliquis ex Prælatis hujus Congregationis à Cardinali antiquiori; Idem etiam servatur in prima & ulteriori instantia, si causæ sint appellabiles; Si vero appel-

appellationem non admittant, sed sint de jure executivæ, ventilantur coram Cardinali antiquiori, & si partes non acquiescant decisis in Congregatione particulari, deferuntur causæ ad Congregationem Cardinalitiam seu Generalem *De Luca Disc.* 20. *Rel. Rom. Cur.*

14. Nonnunquam etiam, si causæ sint graviores, committuntur illæ Rotæ Auditori, qui est de Congregatione, & quandoque alteri Auditori ejusdem Rotæ, per plures etiam instantias, & tunc, cum more causarum Rotalium disputentur, dicuntur quo ad modum causæ Rotales.

15. Atque ita procedit hæc Congregatio Fabricæ, non attendendo præceptum Testatoris, ne Fabrica se dispositioni suæ immiscеat. Licet enim Rota ante hac deciderit, ejusmodi præceptum validum esse, & operativum, contrarium tamen determinavit hæc ipsa Congregatio, cujus Decretum Pontifex oraculo suo comprobavit. Contentiosa vero potissimum aguntur in hac Congregatione inter partes, quorum interest, & rarò habentur cum sola Fabrica, ob facultates & privilegia, quibus gaudet ad instar Fisci. *De Luca l. c.*

CAPUT XXV.

De Congregatione super Statu Regularium.

1. *Innocentius X. hanc erexit, & quem in finem.*
2. & 3. *Quas ei facultates concesserit.*
4. *Potestatem habet decidendi res controversas de plano.*
5. *Et promovendi executionem Decretorum Clementis VIII. super Reformatione Regularium.*
6. *Qui intersint huic Congregationi.*

1.

CUm in parvis plerumque cætibus Regularium, ut usus docebat, dissolutior esset disciplina Religiosa, idque non tantum in privatorum, sed etiam universi etiam ordinis redundaret perniciē, instituit Innocentius X. Congregationē quorundam Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum super Statu Regularium, quæ intenderet præcipuè, ne ex multiplicatione parvorum Conventuum & Collegiorum collaberetur disciplina Regularis.

2. Hinc facultatem illi tribuit intra fines

fines Italiæ & Insularum adjacentium designandi pro Novitiis & Professis Conventus, Monasteria, Collegia & Domos quorumcunque Monachorum ac Regularium Virorum cujusvis Ordinis, easque mutandi, transferendi, suspendendi & supprimendi, prout utilitas & necessitas postulaverit, dandi etiam licentias Superioribus Regularibus recipiendi Novitios ad habitum & Professionem, præfigendi numerum Religiosorum, eumque pro modo reddituum augendi & minuendi.

3. Ad hæc exequendi in primis constitutionem ejusdem Innocentii X. *Instaurandæ*, & Decretum illius: *ut in parvis* editum die 10. Februarii 1654. quibus extinguebantur omnia Monasteria, Conventus & Domus, in quibus sex minimum Religiosi honestè & decorè sustentari non possent, subjiciendo Ordinariorum jurisdictioni illos Conventus, Monasteria vel Domus, in quibus duodecim saltem Religiosi juxta Constitutionem Urbani VIII. non alerentur.

4. Et cum variæ exinde orientur difficultates, dum communitates, vel locorum Domini, qui vel ipsi vel eorum majores pro Conventuum aut Domo-

rum Regularium fundatione bona elargiti fuerunt, contenderent ea cessante fine fundationis ad se redire, habuit quoque potestatem hæc Congregatio, ejusmodi lites & controversias more aliarum Congregationum summariè decidendi.

5. Demum auctoritatem habet Congregatio promovendi executionem Decretorum Clementis VIII. super Reformatione Regularium, potissimum vero, quæ pertinent ad institutionem, & educationem Novitiorum.

6. Intersunt vero huic Congregationi tot Cardinales & Prælati, quod placuerit Summo Pontifici cum uno Secretario, qui mandata conscribit, ac Decreta, & acta in libros refert. Confirmavit hanc Congregationem Anno 1668. Clemens IX, Constitutione: *Injuncti* eamque aliquot membris auctiorem fecit.

CABUT

CAPUT XXVI.

De Congregatione de Propaganda Fide Catholica.

1. *Gregorius XV. erexit hanc Congregationem.*
2. *Qui illi intersint.*
3. *Quod sit Officium Congregationis.*
4. *Habet annuos suos proventus.*
5. *Quando & ubi habeatur Congregatio.*
6. & 7. *Qui in Palatio & Collegio de propaganda Fide alantur.*
8. *Habet Congregatio peculare m Typographiam.*

1.

QUemadmodum semper Pontifices & Curia Romana summo studio contenderunt per Episcopos, Vicarios Apostolicos, Inquisitores & Missionarios Fidem Catholicam in iis Orbis partibus, in quibus jam promulgata fuit, illibatam conservare, & in aliis etiam Regionibus, in quibus hæc hodiedum exulat, apud Ethnicos, Infideles, Schismaticos & Hæreticos propagare, ideo Gregorius XV. sicuti priori sæculo erecta fuit Congrega-

gregatio pro exortæ Fidei conservatione, de qua egimus *Capite* 16. Ita hoc sæculo Anno 1622. instituit per Constitutionem suam 26. *Inscrutabili* Congregationem de Fide Catholica per totum Orbem propaganda.

2. Intersunt huic Congregationi aliquot Cardinales, unus Protonotarius Apostolicus, Secretarius Status, Judex, qui esse solet Referendarius utriusque signaturæ Assessor S. Officii & Prælatus aliquis qui Secretarius est Congregationis, cum nonnullis Religiosis.

3. Officium hujus Congregationis est investigare in vias & modos, quibus vera Fides Catholica in omnibus mundi partibus propagari & conservari possit, eaque omnia quæ ad hunc finem conducere possint, curare, & si quæ res controversæ inter Missionarios occurrant, eas relatis ad S. Pontificem rebus gravioribus, summariè & de plano decidere & expedire; Ideoque amplam & liberam habet facultatem disponendi de Missionibus omnibus ad prædicandum Evangelium institutis, Missionarios dirigendi, & per Regiones distribuendi, Ministros illis necessarios constituendi, & deponendi. *Greg. XV. Const.* 26. *Inscrutabili.*

4. Ne

4. Ne vero res tanti momenti defectu mediorum tardaretur, sed potius majore cum fructu & celeritate promoveri posset, assignavit Pontifex Gregorius XV. *l. c.* ex Camera Apostolica in hunc finem annuos eosque liberales proventus, indulsitque *Constit. Cum inter*, ut literæ omnes, instrumenta, Chirographa & qualescunque Scripturæ hanc Congregationem ejusque reditus concernentes gratis omnino & absque ulla mercede expedirentur.

5. Voluit præterea idem Gregorius XV, ut Congregatio illa haberetur quolibet Mense semel coram Pontifice, & bis saltem in Curia antiquioris Cardinalis eorum, qui ad hanc Congregationem spectant, nunc vero ea haberi solet in Palatio Collegii de propaganda fide, in quo Secretarius cum aliis inferioribus Ministris & Officialibus stabilem & fixam obtinet habitationem.

6. Exstructum hoc Palatium est tempore Urbani VIII. amplissimum à Congregatione ad radices montis Pincii in campo Ss. Trinitatis de monte, in quo erectum est Collegium ad instar Collegiorum, quæ pro Germanis, Græcis & Anglis aliisque Nationibus hæretica labe

vel Schismate infectis fundavit Gregorius XIII, quod pariter Collegium de propaganda fide appellatur, in quo adolescentes conversi, seu oriundi ex Regionibus ad Fidem Orthodoxam reductis, in bonis literis ac moribus, linguis etiam sacris & orientalibus instituuntur, ut deinde in patria, vel alibi, ubi Congregatio judicaverit, tanquam idonei operarii & Missionarii Fidem Catholicam conservare ac propagare possint.

7. Recipiuntur quoque in hoc Palatio Missionarii, qui ex Provinciis suis veniunt Romam, ut S. Pontificem ipsamque Congregationem de statu Missionis informent, & opportuna media fidem propagandi Suggerant. Præterea admittuntur ad illud conversi, qui pietatis causa ad limina Apostolorum accedunt; Eodem demum divertunt Sacerdotes, & Episcopi pauperes, quibus, quæ ad sustentationem necessaria sunt, largè suppeditantur.

8. Habet quoque Congregatio eodem in loco pecularem Typographiam pro imprimendis Missalibus, Breviariis, aliisque ad fidei Catholicæ doctrinam spectantibus libris, in linguis etiam peregrinis & Orientalibus, qui deinde per eas

eas Regiones diſperguntur, in quibus uſui eſſe poſſint. *Conſt. Greg. XV. De Luca Rel. Rom. Cur. Diſc. 23. Lunad.*

CAPUT XXVII.

De Congregatione Indulgentiis & ſacris Reliquiis præpoſita.

1. *Erexit hanc Clemens X. eique facultates conceſſit.*
2. *Poteſt abuſus corrigere &c.*

1.

ERexit Clemens IX. Anno 1669. edita Conſtitutione 36. *In ipſis* Congregationem Cardinalium quorundam ac Prælatorum aliorumque virorum Religione, pietate, doctrina & rerum uſu eximiè præditorum, quæ ſacri Indulgentiarum theſauri curæ, & diſpenſationi, ſacrarumque reliquiarum recognitioni, disquiſitioni, ac rectæ diſpoſitioni peculariter incumberet, cum facultate omnem difficultatem, ac dubia circa Sanctorum Reliquias, aut Indulgentias emer-

emergentia, quæ ad Fidei dogma non pertineant (Romano Pontifice tamen circa graviora, difficilioraque Consulto) expediendi.

2. Si vero abusus aliqui circa Indulgentias aut Reliquias irrepserint, illos, judicii formâ plane postposita, corrigendi, & emendandi; causas vero judicialem formam requirentes ad proprios Judices remittendi: Falsas, Apocryphas, indiscretasq; Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, & examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate rejiciendi; Reliquias de novo inventas recognoscendi & examinandi; ac in concedendis Indulgentiis, Sanctorumque reliquiis donandis moderationem adhiberi, omniaque, piè, sanctè, & incorrupte fieri curandi potestatem ab eodem Pontifice accepit.

CAPUT XXVIII.

De Congregatione Visitationis Apostolicæ.

1. *Clemens VIII. indixit visitationem Ecclesiarũ per se in Urbe instituendam.*

2. *Item*

2. *Idem fecit* Urbanus VIII. *& demandavit Visitationem nonnullis Episcopis cum quibusdam facultatibus.*
3. *Constituit Secretarium Visitationis & facultates concessit.*
4. *Sicque ab* Urbano VIII. *instituta est hæc Congregatio; Qui eam ingrediantur.*
5. *Hanc Congregationem restauravit Alexander VII.*
6. *Cui diversas dedit facultates, ejusque Secretarium, & Actuarium constituit.*
7. *Deputavit quoque Judicem & Fiscalem.*
8. *Statuta hujus Congregationis non faciunt legem universalem, possunt tamen esse Regula reliquis Episcopis.*

I.

CUm juxta Canones ac præcipuè præscriptum Concilii Tridentini Episcopi teneantur quotannis vel ipsimet, si commode possint, vel per Vicarios suos aliosve idoneos Viros visitare Diœceses sibi commissas, indixit Clemens VIII. tanquã Urbis Romanæ ejusque districtus particularis Episcopus Anno 1592. per Constitutionem 8. *Speculatores* Visitationem omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum almæ Urbis

per

per se instituendam, delectis ad hoc opus adjutoribus nonnullis S.R.E. Cardinalibus & Episcopis.

2. Subinde Urbanus VIII. insistens Clementis aliorumque Prædecessorum suorum vestigiis Constit. 15. *Militantem* similem indixit Anno 1624. Visitationem, nec non orationem quadraginta horarum cum Indulgentiarum elargitione pro fructuosa dictæ Visitationis directione. Demandavit etiam. *Constit. Cupientes* Archi-Episcopo Theatino & nonnullis Episcopis, ut visitent nomine Pontificis in Parochialibus Ecclesiis infirmos existentes, eisq; eleemosynã elargiendi, & dedit *Const. Quoniam* iisdem Visitatoribus facultatem cognoscendi causas quascunque etiam criminales absque irregularitatis incursu, atque etiam *Const. Officii nostri* concessit indultum exercendi ubique Pontificalia, aliasque per constitutionem. *Cum in pastorali* complures facultates.

3. Deputavit etiam idem Pontifex *Const. Rerum* Secretarium hujus Visitationis, cum facultate exercendi omnia, quæ ad hoc munus quomodolibet spectare possunt, mandavitque Ordinationibus seu Decretis dicti Secretarii manu & Si-

gillo

gillo munitis fidem omnino dari tam in judicio, quam extra ; Præterea *Const. Ut in prosequendo* facultatem concedit Visitatoribus avocandi ad se quascunque causas occasione hujus Visitationis in aliis Tribunalibus & coram aliis Judicibus antea cæptas, vel instructas, ac in statu, in quo tunc reperientur.

4. Sicque ab Urbano VIII. Congregatio hæc Visitationis Apostolicæ instituta est, pro qua præter Prælatos certus quoque numerus Cardinalium delectus fuit, teste De Luca *Relat. Rom Cur. disc.* 14. Fixum in ea Congregatione locum habent Vicarius, ejusque Vicesgerens, qui ordinarius est Judex & Executor Decretorum Congregationis, procedit-que forma extrajudiciali & summaria, ac omnia gratis efficit. Quandoque etiam committitur Vicesgerenti, ut in forma judiciaria, auditis partibus, procedat.

5. Congregationem illam postea Anno 1656. restauravit Alexander VII, & pro habenda in Palatio Apostolico constituit nonnullos Cardinales & Prælatos aliosque, qui Ecclesias & pia loca in Urbe ac districtu Romano visitent, ut defectus, negligentiæ & abusus in iis cor-

corrigantur, eaque promoveantur, quæ ad decorem Ecclesiarum, ad observantiam Officii Divini, ad adimplendam obligationem dicendi Missas, ad disciplinam regularem observandam, ad administrationem bonorum & redituum Ecclesiarum, piorumque locorum, ad reformandos mores, aliaque similia conducere & spectare videbuntur.

6. Eumque in finem diversas concessit eodem Anno facultates Cardinalibus Visitatoribus *Const.* 15. *Cum in pastorali* & nominavit Secretarium S. Visitationis per Breve: *Rerum*, & Cancellarium, seu Actuarium causarum per Constitutionem: *De singulari.* Deinde potestatem dedit Cardinalibus Visitatoribus exercendi Pontificalia. *Const. Officii*, vocandi causas occasione Visitationis pendentes. *Const. ut in prosequendo*, immiscendi se in criminalibus *Const. Quoniam.*

7. Demum deputavit Judicem S. Visitationis. *Const. ut ea* & Commissarium seu Fiscalem. *Const. De tua.*, ac concessit *Const. Alias* facultatem Congregationi, & Judici S. Visitationis standi simplici indicationi Scripturarum &c. & Judici procedendi absque voto Congregationis

tionis usque ad Sententiam &c. exclusivè.

8. Per hanc Congregationem visitat Papa, non ut Papa est, & Pastor universalis Ecclesiæ, sed ut Episcopus est particularis Urbis & Diœcesis Romanæ, proindeque quæ in ea Visitatione statuntur, & ordinantur, non conficiunt legem generalem pro universo Orbe. Possunt hæc tamen, & debent norma esse, & regula reliquis Episcopis, & Ordinariis, juxta quam in Visitationibus Decreta sua, & ordinationes forment. *Card. de Luca disc. 61. n. 9. de Regul.*

CAPUT XXIX.

De Congregatione pro Erectione Ecclesiarum, & Provisionibus Consistorialibus.

1. *In quem finem instituta sit hæc Congregatio.*
2. *Quod sit munus illius.*

1.

INstituit Sixtus V. *Const. 74. Immensa.* Congregationem Cardinalium pro erectione

ctione Eccleſiarum, in qua quæ ad erigendas novas Eccleſias ſpectant, examinentur, & provideatur iisdem de Epiſcopis & Paſtoribus idoneis & fructuoſis operariis.

2. Munus ergo illorum Cardinalium eſt inprimis cognoſcere de legitimis cauſis novarum Eccleſiarum quarumcunque, ac de earundem dote, Capitulo, Clero, Populo aliisque quæ ad ejusmodi erectiones ex præſcripto Concilii Tridentini neceſſaria erunt. Deinde examinare omnes difficultates circa hæc incidentes, & controverſias, quæ cum aliis jam erectis Eccleſiis oriuntur; Item examinare & diſcutere uniones Eccleſiarum & Monaſteriorum, dismembrationes, ceſſiones, permutationes, translationes, penſionum aſſignationes ſuper earum reditibus, Monaſteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, præſentationes, & nominationes, electionum ſivè poſtulationum confirmationes, ſeu admiſſiones; Suffraganeorum Coadjutorumque deputationes, cum futura Succeſſione, ſive absque eadem Succeſſione, ac demum ætatem & qualitatem promovendorum; Quæ omnia diſcuſſa & examinata referre deinde

inde debent ad Pontificem, ut pro illius arbitrio in Consistorio Secreto juxta formam consuetam proponantur.

CAPUT XXX.

De Congregatione pro Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici, quæ Consulta dicitur.

1. *Instituta à Sixto V. aliam nunc formam habet.*
2. *Qui constituant hanc Congregationem.*
3. *Quod sit Officium Prælatorum, & Præfecti.*
4. *Ubi & quando habeatur Congregatio.*
5. *Quod sit officium hujus Congregationis.*
6. *Potest pœnas injungere & mitigare.*
7. *Est Tribunal sæculare.*
8. *Ad quæ loca extendat se facultas hujus Congregationis.*
9. *Omnia gratis expediuntur.*

1.

INter cæteras Congregationes, quas instituit Sixtus V. in Constitutione sua

74. *Immensa*, erexit & hanc ibidem in ordine decimam & ultimam pro consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici; Sed aliam hoc tempore formam habet, quam quæ in dicta constitutione describitur.

2. Nunc enim constituta est ex magno Cardinalium numero, ut, si quidam forte impediantur, alii sat multi interesse Congregationi possint ; Ex Secretario, qui Prælatus esse solet magna prudentia, plurimoque usu atque exercitatione præditus; Ex Advocato Fisci & Procuratore Generali in criminalibus, qui Fiscalis Urbis per antonomasiam dicitur. Demum ex aliis quamplurimis Prælatis jam longa experientia & in publicis muneribus exercitis, qui omnes una cum Cardinalibus votum habent decisivum.

3. Horum Prælatorum officium est acta, quæ à Gubernatoribus & locorum Præsidibus prolixa valde ad Congregationem utplurimum mittuntur, relegere, ex iisque in cœtu contenta referre; Ut vero dispertitum sit onus & officium, cuique sua attributa est Provincia, quæ vulgo dicitur *Ponentia*, cujus causas & negotia examinanda suscipit. Præfectus Con-

Congregationis est Cardinalis Superintendens Generalis, qui literas & mandata subscribit, quæ dantur Gubernatoribus, Præsidibus, aliisque Officialibus.

4. Habetur hæc Congregatio in Palatio Apostolico bis singulis Septimanis diebus Martis & Veneris ante meridiem, neque eam ulla Festi celebritas aliusve casus aut tempus impedit excepto die ultimo Antecineralium & Veneris Sancto, seu Passionis Domini. Hinc cum nec tempore Sedis vacantis intermittatur Congregatio, soli Prælati cæterique suprano minati Officiales, dum Cardinales inclusi sunt Conclavi, conveniunt, & negotia expediunt, graviora tamen per Secretarium ad tres Cardinales, qui capita Ordinum dicuntur, vicesque totius Collegii explent, deferre solent.

5. Præcipuum hujus Congregationis Officium est consultationes, dubia & querelas, etiam subditorum adversus Gubernatores & Præsides, eorumque Locumtenentes, Notarios & alios Officiales super causis civilibus, criminalibus, ac mixtis ad forum sæculare spectantes audire, easque inter se conferre, & quod æquum fuerit de majoris partis sententia expedire, & executioni

ni tradi curare. Ideoque facultas illi conceſſa eſt omnia negotia cauſasque cujuscunque generis illæ ſint, etiam coram Magiſtratibus & Miniſtris in Statu Eccleſiaſtico introductas & pendentes, ab eisdem, ubi ratio poſtulaverit, avocandi, aliisque Judicibus committendi.

6. Poteſt hæc Congregatio injungere mulctas bonorumque proſcriptiones, & corporis, etiam capitis ultimi ſupplicii pœnas (conſulto tamen Pontifice) moderari, & in alias commutare, atque etiam carceratos de loco in locum transferre, aliaque pro juſtitiæ conſervatione ordinare *Sixtus V. l. c.*

7. Dicitur Tribunal hoc merè ſæculare, licet id conſtituant perſonæ Eccleſiaſticæ, quia negotia ſolum tractat ſæcularia, & vices gerit Pontificis tanquam Principis ſæcularis; ideoque ſi negotia occurrant, quæ ex una parte concernant Clericos & Perſonas Eccleſiaſticas, adeoque cauſa remittenda eſſet ad forum dignius Eccleſiaſticum, dat Pontifex poteſtatem committendi totius cauſæ cognitionem Gubernatori.

8. Extendit ſe facultas hujus Congregationis ad univerſum Statum Eccleſiaſticum immediatum, etiam Civitatem Bene-

Beneventanam ; Excepta Urbe Romana, in cujus causis se non ingerit, cum suum habeat Gubernatorem, qui negotia, quæ in eâ occurrunt, confert cum Pontifice. Neque immiscet se in negotiis illarum Provinciarum & Civitatum, quæ Cardinales habent Legatos, ut sunt : Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, Urbinatensis & Æmilia, seu Romandiola.

9. Omnia omnino gratis in hac Congregatione tractantur & expediuntur, & licet Prælati qui in hoc Tribunali operam suam impendunt, magnis laboribus & studiis negotia huc spectantia peragant, nullum tamen stipendium, aut emolumentum etiam quod muneris loco solummodo offerretur, admittunt. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc.* 25.

CAPUT XXXI.

De Congregatione super bono Regimine Communitatum Status Ecclesiastici.

1. *Clemens*

1. *Clemens VIII. instituit hanc Congregationem pro Regimine Oeconomico communitatum.*
2. *Qui constituant hanc Congregationem.*
3. *Quod sit munus illius.*
4. *Magistratus non potest gravare Communitatem sine licentia Congregationis.*
5. *Jurisdictio concessa Congregationi à Clemente VIII.*
6. *Ampliata est per Paulum V.*
8. *Tribunal hoc est mixtum. Constituti sunt Agentes communitatum.*
9. *Quibus negotiis se non immiscat hæc Congregatio.*

I.

QUemadmodum Sixtus V. erexit Congregationem Consultæ de qua capite præcedente actum est, pro Regimine Civili politico, ita Clemens VIII. instituit *Const.* 10. *Pro commissa, & seq. deput. Cum per constitutionem* hanc Congregationem pro regimine Oeconomico Communitatum, quæ alterius dici potest filia & administra, cum ex ea quasi prognata sit & expedienda suscipiat, quæ prima ob multitudinem negotiorum in regimine politico occurrentia dimisit.

2. Con-

2. Conſtituitur hæc ex quibusdam Cardinalibus, Secretario, qui præcipuè curam Communitatum ſuſcipit, & quamplurimis utriusque Signaturæ Prælatis, qui cauſas & negotia Communitatum inter ſe diſtributa in Congregatione proponunt. Et cum Paulus V. *Conſtit.* 38. *Cupientes* poteſtatem fecerit Cardinalibus hujus Congregationis Prælatos aliquos & perſonas jurisprudentiâ præditas à Pontifice approbandas, in eorum Conſultores adhibendi, tales nonnunquam etiam ad Congregationem aſſumuntur. Præſidens illius pariter eſt Cardinalis Superintendens Generalis, qui ſubſcribit literas & Decreta, quæ ex hac congregatione emanant.

3. Munus vero præcipuum hujus Congregationis eſt cognoſcere ſingulorum Communitatum Statum, eisque præſcribere modum & formam Oeconomicæ adminiſtrationis, ut publica onera congruè ſupportare poſſint, ne fiant ſumptus inutiles neque ſupprimantur aut ultra modum graventur ſubditi, aliique inferioris Ordinis homines à potentioribus.

4. Qua-

4. Quare prohibitum eſt Magiſtratibus, ne Gabellas collectas aut contributiones ſine ſcitu & licentia hujus Congregationis indicant, neque ſine facultate ejusdem bona ſtabilia vel æquipollentia alienent, cenſus imponant, æs alienum contrahant, aliosque contractus in perpetuum ac notabile communitatis præjudicium ineant.

5. Hunc in finem conceſſa eſt à Clemente VIII. *cit. Conſt.* 10. Congregationi poteſtas & jurisdictio privativè quoad omnes & quoscunque alios Judices ordinarios, vel delegatos cognoſcendi cauſas appellationum & gravaminum debitorum Communitatum, exemptionumque validitatis; Defalcationum & remiſſionum &c. idque ſummariè, & ſine ſtrepitu, & figura Judicii, & prout juſtum ei videbitur, mandata quæcunque neceſſaria, & opportuna decernendi, relaxandi, & omni appellatione poſthabita exequendi, cogendique Conſanguineos debitorum ad redimenda eorum bona.

6. Quam jurisdictionem ampliavit, & declaravit Paulus V. *Conſt.* 38. *Cupientes*, ita ut facultatem acceperit Congregatio omnes & quascunque cauſas tam civiles

civiles, quam criminales & mixtas ad Communitates & Universitates quascunque Status Ecclesiastici, Sedi Apostolicæ mediatè vel immediatè subjectas tam activè quam passivè pertinentes, per se, vel ab eis subdelegandos audiendi, discutiendi, examinandi & terminandi, omniaque executioni demandandi.

7. Potestatem quoque habet causas quascunque reassumendi & avocandi; Judicibus quibuscunque aliisque sub censuris & pœnis inhibendi, & quoscunque citandi, cæteraque necessaria & opportuna ordinandi & exequendi, ita ut occasione causarum criminalium, censuram Ecclesiasticam, aut irregularitatis notam, dummodo sententias sanguinis per se ipsos non ferant, minimè incurrant. *Paulus V. Const. 38.*

8. Hinc Tribunal hoc mixtum est ex Ecclesiastica & sæculari potestate; Et quæ in eo â majori parte concluſa fuerint plenam obtinent firmitatem. Ne autem Communitatum negotia remotam patiantur, aut plane negligantur, constituti sunt quidam Agentes Communitatum, qui distributas inter se habent Provincias, ut quisque sciat, quæ

causæ

cauſæ ipſi incumbant, & Communitates norint, apud quem querelas & gravamina ſua deponere poſſint, eorumque expeditionem ſollicitare.

9. Non immiſcet ſe vero hæc Congregatio negotiis Communitatum Urbis Romanæ, quæ tractantur in Camera Populi Romani, cui præſunt Conſervatores; Neque cauſis Civitatum vel Provinciarum, quæ per Cardinales Legatos adminiſtrantur, prout dictum eſt capite præcedente de Congregatione Conſultæ. *De Luca Rel. Rom. Cur. diſc.* 26.

CAPUT XXXII.

De Congregatione pro Status Eccleſiaſtici Gravaminibus ſublevandis.

1. *Quod ſit Officium hujus Congregationis.*
2. *Qui eam ingrediantur; ubi & quando habeatur.*

1.

NE populus ſanctæ Sedi ſubjectus nimium exactionum oneribus gravetur, inſtituit Sixtus V. *Conſt.* 74. *Immenſa*

S. Congregationem Cardinalium, quæ gravamina quæcunque vectigalium, tributorum cujuscunque generis illa sint, eorumque exigendi rationes, Quæstorum injurias, Commissariorum extorsiones judicii formâ planè postpositâ manu regiâ audiat & cognoscat, & si possit, controversias componat, quod si res transigi nequiverit, eam ad Pontificem deferat, ut is quod æquum fuerit, ejusdē Congregationis consilio definiat; Causæ verò in quibus judicialis ordo requiritur, propriis judicibus de jure decidendæ relinquantur. *Sixtus V. l. c.*

2. Constituitur hæc Congregatio ex quatuor vel sex Cardinalibus, sex vel octo Prælatis, & uno Secretario; Præses seu caput illius est Cardinalis Nepos, qui omnes literas & ordinationes, quæ ab hac Congregatione dantur, subscribit. Prælati & Secretarius vestiuntur violaceo, & titulum habent familiarium & continuorum commensalium Summi Pontificis. Prælati præter panem & vinum, quod accipiunt ex Palatio, habent quotannis mille Scuta, & Secretarius duo millia. *Lunadoro.* Habetur hæc Congregatio die Sabbati in Palatio apud Cardinalem Nepotem,

CAPUT

CAPUT XXXIII.

De Congregatione Cardinalium pro Universitate Studii Romani.

1. *A quibus Pontificibus institutæ sint Romæ diversæ facultates scientiarum.*
2. *Sixtus V. præfecit Universitati congregationem, quod sit ejus officium.*
3. *Curam habet aliquorum Alumnorum in Urbe & nonnullarum Universitatum.*
4. *Antiquata hac Congregatione curam Studii publici nunc habet Camerarius.*

1

INstituit jam olim Romæ studium juris Canonici & Civilis Innocentius IV, ut habetur *in cap.* 2. *de Privilegiis in* 6. Lectoresque linguæ Hebraicæ, Arabicæ & Chaldeæ Clemens V, ut est *in Clem.* 1. *de Magist.* atque etiam Generale studium cum Privilegiis pro Doctoribus & Scholaribus Bonifacius VIII. *Const.* 9. *In supremæ Anno* 1303. cujus studii Regimen & facultas creandi Doctores Juris Canonici & civilis concessa est deinde Collegio Advo-

Advocatorum Consistorialium per Constitutionem 62. *Sixti V. Sacri.* & promovendi ad gradus Philosophiæ & Medicinæ Collegio Medicorum Physicorum Urbis ex Constitutione 20. Julii III. *Meritis.* Lectionem vero Theologiæ generaliter haberi decrevit Concilium Trident. *Sess.* 5. *c.* 1. & novissimè addidit Cathedram Rhetoricæ cum annuæ provisionis assignatione, nec non Privilegiorum & indultorum, quibus alii Cathedratici dicti Gymnasii gaudent communicatione. Urbanus VIII. in *Const.* 83. *Militantis.*

2. Ut ergo Romanum hoc Gymnasium, & Universitatem ornaret magis & amplificaret, ejusque rationibus quam optime consuleret Sixtus V. instituit Congregationem quinque Cardinalium, quam dicto Gymnasio & Universitati, illiusque reformationi præfecit; Ideoque facultatem illi concessit, ut, cum opus fuerit præclaros Theologiæ Magistros, Juris Consultos egregios, & liberalium artium Professores eximios undecunque ad juventutem erudiendam evocet, eisque pro meritorum ratione, re tamen cum Pontifice collatâ stipendium constituat.

3. Curam etiam habere debet Alumnorum

mnorum, qui in Collegio Græcorum, Maronitarum, & Neophytorum in sacra Theologia, artibusque liberalibus Hebraicè, Græcè, Arabicè, & Chaldaicè instituuntur, ut ad ea studia ardentiore animo complectenda excitentur. Cum Sedes Apostolica in tutelam & clientelam receperit Universitates Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem, & Salamantinam, imponitur quoque huic Congregationi, ut earundem Universitatum atque ad eas pertinentium negotiorum apud Sanctam Sedem curam gerat, illarumque necessitates Pontifici exponat, ut auxilium iis afferre possit, easque per literas interdum visitare tenetur *Sixtus V. l. c.*

4. Verum hæc Congregatio teste Cardinale de Luca *Rel. Rom. Cur. disc.* 27. antiquata modo, nec amplius est in usu, sed Præfecturam Gymnasii seu Studii publici in Urbe habet Camerarius sub cura & administratione Collegii Consistorialium, qui facultatem habent conferendi in utroque Jure lauream Doctoratus, Præsidente nomine Camerarii Prælato aliquo, qui ab eodē constituitur, & ut plurimum esse solet Auditor Rotæ.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

De Congregatione pro Ubertate Annonæ Status Ecclesiastici.

1. *Quem in finem Sixtus V. hanc Congregationem erexerit.*
2. *Assignavit pro Annona comparanda 200000. Scutorum.*
3. *Qui spectent ad hanc Congregationem. Depositarius sine mandato Præfecti exponere nil potest.*
4. *Nunc tota ferè Annonæ cura relinquitur Præfecto, qui eligitur à Pontifice.*
5. *Officium illius & facultas.*
6. *Prohibitio non asportandi Annonam quos non comprehendat.*
7. *Quos adjutores & ministros habeat Præfectus.*

1.

ERexit Sixtus V. *Constit.* 74. *Immensa* Congregationem Cardinalium, quæ curet non solum in Urbe, sed in universo etiam Statu Ecclesiastico temporali copiam frumenti aliarumque frugum

ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum; ſtudeat quoque, ſi neceſſe ſit, ut advehatur & comportetur, undecunque licuerit Annonam, ideoque præcipiat locis & perſonis quibuscunque quavis etiam Eccleſiaſtica atque Cardinalatus dignitate fulgentibus, ut ea omnia, quæ ad abundantiam parandam atque conſervandam erunt opportuna, evehi è terris ſuis, & ſubminiſtrari permittant; Eumque in finem Commiſſarios diverſis in locis habeat, & contra impedientes advectionem Annonæ, vel negligentes procedat.

2. Pro Ubertate vero Annonæ perpetuo comparanda aſſignavit idem Sixtus V. *Conſt.* 78. *Abundantes* ducenta millia Scutorum, & pecuniæ illius curam commiſit huic Congregationi, ne in alium uſum convertatur, ſed integra pro hoc fine conſervetur; quod ſi in caritate Annonæ aliquid ex hac deceſſerit, illius redintegrandæ rationem & diligentiam adhibeat.

3. Præter cæteros Officiales ſpectant ad hanc Congregationem Theſaurarius Generalis Cameræ Apoſtolicæ, Clericus Annonæ Præfectus, & Commiſſarius Generalis. Apud Depoſitarium pecuniarum

Cameræ

Cameræ Apostolicæ collocata est quoque prædicta summa ducentorum millium Scutorum: Sed hic erogare & expendere non potest hanc pecuniam nisi ex voluntate hujus Congregationis, & mandato Præfecti Annonæ pro more expedito.

Si vero consultum videatur summam illam in ærarium Apostolicū Castri S. Angeli referri & asservari, atque inde, quoties occasio postulaverit, liberè deromi, & extrahi, id relinquitur arbitrio hujus Congregationis. Datorum vero & acceptorum rationes & computa in Camera Apostolica singulis trimestribus, in ipsâ vero Cardinalium Congregatione singulis annis reddi debent. *Sixtus V. Const. 78. Abundantes.*

4. Verum hoc tempore Congregatio nix aliquid circa Annonam, nisi cum hæc notabiliter ingravescit, ordinare solet, sed tota ferè cura relinquitur Annonæ Præfecto. Eligitur is à Pontifice ex Clericis Cameræ Apostolicæ, eique datur jurisdictio per totum Statum Ecclesiasticum in Italia Pontifici subjectum, seu, ut vocant, Patrimonium S. Petri.

5. Officium illius est curare ac dirigere omnia, quæ ad Annonam & rei frumen-

mentariæ negotium quomodolibet pertinent; Ideo ampliſſimam accepit facultatem frumenta & legumina undique advehendi, eaque juſto pretio emendi. *Gregor. XIII. Conſt. 35. Inter cætera*, atque etiam cogendi quoscunque cujuscunque Ordinis, & dignitatis ad indicandum eorum frumenta, & legumina, prohibendi ne illa aſportentur de loco ad locum ſine ejus licentia, fraudesque in iis committentes coercendi.

6. Prohibitio vero quæ fit ab eo, ne Annona aſportetur, non comprehendit extrahentes quantitatem neceſſariam ad ſuſtentationem ſuam & ſuarum familiarum unius anni, ſeu uſque ad novam meſſem; Nec pauperes, qui ſpicas in agro colligunt pro victu unius diei; Nec Religioſos mendicantes pro eleemoſyna ad communem victum Conventuum ſuorum; Nec Ruſticos & Operarios, qui mercedem diurnam alias conſequi non poſſunt; Nec portantes pullos, ova, fructus, & ſimilia ad mercatum, ut ex pretio panem, farinam & ſimilia pro ſe & familia conficiant. *Greg. XV. Conſt.* 30. §. 3. Cæteris autem conceſſæ facultates extrahendi

Anno-

Annonam & Graſciam ſunt revocatæ & annullatæ *Urbanus VIII. Conſtit.* 30. *Superi.*

7. In hoc Officio decem habet Miniſtros, qui illi ſunt adjumento, & à ſervitio, nimirum: Commiſſarium Generalem, Commiſſarium Subſtitutum, Computatorem, Cuſtodem frumentorum, Cuſtodem clavium pro granariis, aliumque tertium Cuſtodem, duos qui præſunt Menſoribus, Exactorem unum, & unum, qui colligit ſchedulas, in quibus annotata eſt ad portam Annona in Urbem invecta. Habet præterea in diverſis locis Commiſſarios pro comparandis frumentis aliisque negotiis expediendis. Proprium quoque habet Tribunal cum Notario, & Apparitoribus, eorumque Capitaneo, & in cauſis Annonam concernentibus Judex eſt Ordinarius. *Greg. XIII. l. c. Lunadoro.*

CAPUT XXXV.

De Congregatione pro Ubertate Graſciæ Urbis.

1. *Inſtituit hanc Congregationem Paulus V.*

2. *Qui illi intersint.*
3. *Deliberatur in ea, quomodo ars agriculturæ promoveri possit.*
4. *Congregatio hæc quando habeatur. Nunc nonnisi tempore Annonæ caritatis.*
5. *Officium Præsidis Graſciæ, ejusque jurisdictio.*
6. *Cum Annonæ est caritas, statuit quid faciendum.*

I.

PRæter Congregationem institutam à Sixto V. pro ubertate Annonæ, erexit Paulus V. *Const.* 70. *Pastoralis* aliam ex Prælatis & viris egregiis ad Ubertatẽ Annonæ & Graſciæ in Sedis Apoſtolicæ temporali ditione, & in Urbe potiſſimum curandam.

2. Interſunt quoque huic Congregationi Theſaurarius Generalis, Annonæ Præfectus, Præſes Graſciæ, Commiſſarius Generalis Cameræ Apoſtolicæ, & unus aliquis è Familiaribus Pontificis ab eodem deputandus.

3. In qua quoque Congregatione deliberandum conſtituit Paulus V. ibidem, qua ratione res Agriculturæ in agro Romano locisque finitimis conſervari & promo-

promoveri possit, ideoque elargitur Pontifex in dicta Constitutione artem Agriculturæ exercentibus privilegia, & ante concessa confirmat, ac Ordinationes pro feliciori ejusdem artis propagatione præscribit.

4. Congregatio hæc quinto decimo quoque die cogenda est, cui suprano-minati interesse debent, & quod ab eis seu majori parte matura consultatione præhabita fuit concluſum, referendum est ad Pontificem, ut is quid pro publica utilitate statuendum sit, providere possit. *Paulus V. cit. Const.* 70. Verum hoc tempore rarissime & vix, nisi cum ingravescit Annona, Congregatio hæc haberi solet, totaque cura & directio committitur Præfecto seu Præsidi.

5. Eligitur hic sorte à Clericis Cameræ. Officium ipsius est, ut, sicuti Præfectus Annonæ rem frumentariam providet, ita ut cætera victualia, qualia sunt tam cicures, quadrupedes, volucres, pisces, fructus & olera, omniaque, quæ ad humanum victum pertinent, curentur, ipsi incumbit. Ideo iustrat singulis Septimanis, cum mercatus habetur, forum Boarium, olitorium, piscarium, aliaque loca ubi carnes & victualia

ctualia venduntur. Jurisdictionem habet in Laniones, Macellarios, piscium venalitios, Salsamentarios, aliosque victualium Mercatores.

6. Si pro diversitate temporum diversum quoque pretium carnium aliorumque victualium constituendum sit, atque etiam sub Annonæ caritatem faciendæ sint provisiones, accedit Camerarium, apud quem instituta consultatione statuitur quid fieri debeat. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc.* 11.

CAPUT XXXVI.

De Congregatione pro Viis, Pontibus, & Aquis curandis.

1. *Cur. hæc Congregatio instituta sit à Sixto V.*
2. *& 3. Facultates & Officium illius.*
4. *Controversiæ ubi & quomodo decidantur.*
5. *Præfectus quis sit, & ubi habeatur Congregatio.*
6. *Aliam Congregationem instituit Paulus V.*
7. *Qui isti intersint, & Secretarii Officium.*
8. *Quando habeatur Congregatio, & à quo mandata illius expediantur.*

1. Sixtus

1.

Sixtus V. plurimum conferre putavit ad aeris salubritatem, civium incolarumque utilitatem, & ad Peregrinorum, iterque agentium commoditatem, Viarum, Pontium & Aquarum curationem; Ideo instituit Congregationem sex Cardinalium, quæ solertem hujus rei curam haberet. *Const.* 74. *Immensa.*

2. Quare facultatem eidem concessit non tantum in Urbe, sed etiam in universa Ecclesiastica ditione temporali, vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi, factasque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres jam occupatas iterum in publicum usum vendicandi & redigendi.

3. Pontes item tuendi, & ubi opus est novos exstuendi, veteresque ruinosos instaurandi, & jam collapsos reficiendi. Aquarum præterea curam gerendi, illasq; ad publicum usum commoditatemque distribuendi, deductiones, substructiones, aquæductus, receptaculaque earundem sarta tecta conservandi, omneque impedimentum tollendi. *Sixtus V. cit. Const.* 74.

4. Si

4, Si vero difficultas aliqua, aut causa contra quoscunque etiam immunes atque exemptos exorta fuerit, eas omnes summariè, sola facti veritate inspecta, re tamen prius ad Papam delata, definiendi potestatem idem Pontifex fecit. *cit. Const.* 74. Quod si forenses controversiæ inter privatos super prædictis oriantur, eæ coram Judicibus & in Tribunalibus ordinariis tractentur.

5. Præfectus hujus Congregationis est Cardinalis Camerarius, & habetur in Palatio Apostolico quandocunque necessitas exigit, dies nulla est determinata.

6. Aliam quoque Congregationem erexit Paulus V. *Const.* 75. *In Sede* super aquæ Paulæ, & illius Aquæductus cura & administratione. Cum enim aquam illam per aquæductum è Territoriis Brachiani, Vicarelli, Bassani & Triviniani in Janiculum & Vaticanum derivari curasset, ut tantum opus summo labore, & largo sumptu absolutum conservaretur, commisit illius curam huic Congregationi.

7. Interesse huic Congregationi voluit Thesaurarium Generalem, Archi-Hospitalis S. Spiritus in Saria Præceptorem,

rem, Cameræ Commissarium, unum ex Clericis Cameræ à Pontifice deputandum, & duos cives Romanos cum Secretario, cui Castella & Receptacula, illorumque claves custodiendi, & ne à quoquam plus aquæ latiore fistula sumatur, quam concessum fuerit, animadvertendi cura & onus incumbit.

8. Semel singulis Mensibus, & quoties opus fuerit Deputati congregabuntur, & literæ Patentes ac Mandata sub Thesaurarii Sigillo, & nomine expediuntur *Paulus V. cit. Const. 75.*

CAPUT XXXVII.

De Congregatione pro Typographia Vaticana.

1. *Ad quid instituta hæc Congregatio.*
2. *Uti poterit & debet adjumento Doctissimorum ex omni Natione.*
3. *Curabit ut libri sacri correctè imprimantur, sed Congregatio hæc esse desit.*

1.

POstquam Sixtus V. erexisset in Urbe Typographiam Vaticanam, instituit quoque

quoque Const. 74. Immensæ Congregationem Cardinalium, quæ pro rei & negotii gravitate eidem præesset imponendo illi, ut Sacra Biblia Latinæ vulgatæ, Græcæ & Hebraicæ editionis, decretales Epistolas, Concilia generalia, Sanctorum præcipuorum Ecclesiæ Doctorum opera, cæteros denique libros, quibus Fidei Catholicæ doctrina Traditionesque Ecclesiasticæ continentur & explicantur, quam emendatissimè secundum vetusta manuscripta & correctissimos codices, quorum copia asservatur in Bibliotheca Vaticana, curet imprimendos.

2. Ad hoc uti poterit adjumento, studio atque opera doctissimorum hominum ex omnibus Christiani Orbis nationibus & linguarum peritorum, qui libros imprimendos accurate diligenterque conferant & recognoscant. Si quæ vero graviores dubitationes, & difficultates in veterum Codicum auctoritate, librorum correctione & emendatione inciderint, rebus prius in Congregatione examinatis ad ipsum Pontificem referat, qui pro speciali privilegio sibi concesso, id quod Orthodoxæ Veritati maxime consonum erit, decernet.

3. Ad-

3. Admonebit etiam hæc Congregatio Typographos & librorum correctioni Præfectos in omnibus Christiani Orbis Regnis & Provinciis, ut in hujusmodi librorum editione ad Vaticanæ impressionis præscriptum, ac normam omnino se conforment. *Sixtus V. cit. Const.* 79. Hanc vero Typographiam deinde Paulus V. Camerali Typographiæ univit, & Cameralis nuncupatur, atque ita Congregatio hæc sublata videtur.

CAPUT XXXVIII.

De Congregatione super Re Monetaria.

1. *Qui pertineant ad hanc Congregationem.*
2. *Quid in ea tractetur.*
3. *Tonsores Monetæ, eamque adulterantes quomodo puniendi.*

1.

AD hanc Congregationem pertinent quatuor Cardinales, & quidam ex Camera Prælati, quorum caput unus est ex dictis Purpuratis, in cujus ædibus, cum necesse est, conveniunt.

2. Tra-

2. Tractatur in hac Congregatione de cudenda Moneta, de valore peregrinæ pecuniæ in ſtatu Eccleſiaſtico, de obviandis fraudibus, & juſtitia in lubricis pecuniæ commerciis tuenda.

3. Sancivit vero Pius V. *Conſt.* III. *Cum nil magis*, ut Tonſores Monetæ tam aureæ, quam argenteæ ultimo ſupplicio plectantur; Quod etiam approbavit Urbanus VIII. *Conſt.* 75. *In ſuperna*, & Monetam adulterantibus, faventibus, ſeu inſtrumenta adulterationis retinentibus ſcienter pœnas impoſuit per decennium.

CAPUT XXXIX.

De Congregatione ſuper Negotiis Baronum Status Eccleſiaſtici, & Montium.

1. *Occaſio inſtitutæ Congregationis Baronum.*
2. *Mandata contra Barones exequitur.*
3. *Inter emptores bonorum Baronum admittitur etiam Camera Apoſtolica.*
4. *Nullæ inveſtituræ aut contractus tueri poſſunt Barones.*

5. *Qui*

5. *Qui spectent ad hanc Congregationem.*
6. *Qua forma negotia in ea tractentur.*
7. *Ubi & quando haberi soleat Congregatio.*
8. *Congregatio Montium licet sit diversa, eadem tamen habetur cum priori.*
9. *Quid in ea agatur, & quis ejus Rector.*
10. *Thesaurarius controversias decidit ordinarias, graviores confert cum Congregatione.*

I.

CUm in Statu Ecclesiastico temporali nonnulli Barones contracto variis de causis ære alieno, illud non dissolverent, nec annuas fructuum præstationes debitas maximo Creditorum incommodo persolverent, ipsique Creditores eam ob causam variis litibus implicarentur, ideo instituit Clemens VIII. *Constit.* 41. *Justitiæ* Congregationem pro satisfactione creditorum cujuscunque Baronis in Statu Ecclesiastico.

2. Hæc ergo Congregatio exhibitis à Creditoribus mandatis executivis per Judices relaxatis contra Barones ea exequi facit, absque alia citatione super quibuscunque eorum bonis & castris nomine Cameræ Apostolicæ ad commodum Creditorum, ita ut statim cesset

Baronum

Baronum jurisdictio & ejus exercitium; Deinde elapso Mense bona eorum sub hastanda proponere, & absque expensis plus offerenti delibrare, & pretium inde reductum Creditoribus consignare potest ac debet.

3. Inter emptores autem, seu oblatores admittitur quoque Camera Apostolica, seu ejus Commissarius; Si vero intra quindecim dies nullus Oblator se offerat, Cameræ Apostolicæ bona adjudicentur pro pretio æstimando, & ex eo Creditoribus satisfiat.

4. Atque hæc ita fieri debent nullis obstantibns antiquis investituris, concessionibus, fidei commissis, donationibus vel contractibus etiam ex causa dotium &c. Si quid de pretio solutis debitis supererit, si bona vendita nulli fuerint fideicommisso, & vinculo obnoxia, id ipsis Baronibus seu Debitoribus consignetur. Si vero oneribus illis obnoxia fuerint, in aliorum bonorum stabilium, quæ eidem fideicommisso & vinculo subjaceant, emptionem impendi debet. *Clem. VIII. l. c.*

5. Spectant ad hanc Congregationem Thesaurarius, qui istius Præfectus, aliquot Clerici Cameræ, Advocatus Fisci, Com-

Commissarius Cameræ, & Auditor Thesaurarii, an hic votum habeat decisivum, an consultivum tantum, dubitatur; habere vero nunc decisivum, praxis hodierna docet.

6. Quamvis vero hæc Congregatio, more aliarum Cardinalitiarum more Principis potius, quam Judicis procedat Summariè & simpliciter, speciem tamen præseferre videtur Tribunalis contentiosi, & judicialis, cum proprium habeat Notarium, & in forma judiciaria causas disputet, & ferat sententias.

7. Haberi Congregatio hæc solet in ædibus Thesaurarii pro libitu ipsius, & exigentia negotiorum, cum dies certa, & determinata non sit, frequentius tamen die Martis haberi solet.

8. Est & alia Congregatio Montium dicta, quæ licet diversa sit à priori, cum diverso instituta sit tempore, diversaque in ea tractentur negotia, utraque tamen pro unica vulgo haberi videtur, quia ex eisdem personis constituta est, eodemque die & loco habetur, atque similis materiæ negotia in utraque tractantur.

9. In hac Congregatione agitur de reductione, natura & privilegiis, de libertate, & commercio Montium. Il-

lius Rector est Thesaurarius, sine cujus licentia in judiciali, vel conventionali commercio, ac distractione, vel translatione de persona ad personam nil fieri potest.

10. Idcirco si quæ cotroversiæ circa illa oriantur, eæ in forma judiciali per ipsum Thesaurarium, vel ejus Auditorem examinantur & deciduntur. In gravioribus tamen, & casibus valde dubiis, exquirere solet Thesaurarius sententiam Congregationis, in qua proinde cum Advocatis & Procuratoribus quæstiones disputantur in forma contentiosi Tribunalis.

CAPUT XL.

De Congregatione Visitationis Carceratorum.

1. *Finis hujus congregationis.*
2. *Qui constituant Congregationem.*
3. *Habentur Visitationes Generales.*
4. *Et ordinariæ.*
5. *Quomodo Visitationes instituantur.*
6. *Sumptus Carceratorum à quibus præstandi.*
7. *Custodibus carcerum quid agendum.*
8. *Quid hi accipere possint à carceratis.*

9. Tres

9. *Tres fuere carceres Romæ, nunc duo conjuncti sunt.*
10. *Visitationi carceris Capitolii qui interſint.*
11. *Qui carcerari non debeant.*

1.

CUm nolint Summi Pontifices ex miſericordia, qua tanguntur erga miſeros, ut miſſi ob inopiam in carceres deſolati Romæ pereant, erecta eſt Congregatio, quæ provideat neceſſitatibus pauperum captivorum, & qua ratione, niſi ob enormia delicta detineantur, cito liberari poſſint.

2. Hanc Congregationem conſtituunt Gubernator Urbis, Auditor Cameræ, Præſes carcerum, qui ex Clericis Cameræ eligitur ſorte, Advocatus Fiſci, & Procurator Generalis Fiſcalis; Duo ex Locumtenentibus criminalibus Gubernatoris, Locumtenens criminalis Auditoris Cameræ, Advocatus pauperum, & duo Procuratores pauperum, unus à Papa, alter â Congregatione charitatis deputatus; Viſitator carcerum ſecretorum, Commiſſarius remigum, Locumtenens criminalis Vicarii, ac duo Prælati, qui ſunt Præfecti duarum Congregationum Charitatis, & Pietatis carceratorum.

3. Ab his instituuntur Visitationes carcerum vel Generales, vel ordinariæ. Generales duæ habentur die aliqua non impedita proximiore solennitati Paschatis & Natalis Domini, & dicuntur Gratiosæ, in quibus multi egeni propter delicta leviora, quæ per vincula expiarunt, in carcere detenti gratia libertatis donantur.

4. Ordinariæ Visitationes fiunt aliæ singulis septimanis, aliæ semel in Mense; Hæ instituuntur, cum carcerati ob causas graviores, & adhuc in secreta custodia detenti visitantur, illæ habentur omni hebdomade die Jovis ante prandium, vel si tum fuerit impedimentum, post meridiem, quibus inspiciuntur carcerati propter debita, aut res criminales quidem, sed non adeo graves, & detinentur publicè cum aliis, *alla larga*, ut vulgò dicitur, pro eorum expeditione.

5. Porro die, quo instituitur Visitatio, sedent Visitatores in publico quodam loco carceris, & audiunt singulos reos ordine suo vocatos. Percepta delicti qualitate tum à reo, tum à Judice causæ, qui seriem facti pro Officio suo referre solet, decernunt pro natura delicti, qualitate rei, statu causæ, & tem-

Cre-

pore incarcerationis, vel libertatem, vel celeriorem expeditionem, vel si omnino pœna sit infligenda, mitigationem; Creditoribus etiam pro debitorum facultate consulitur; Hinc invigilant, & interesse solent ejusmodi visitationibus illi, ad quorum instantiam rei detinentur. *Paulus V. Const.* 71. *Universi* §. 23.

6. Si quis injustè quempiam detineri curasset, carceris & capturæ sumptus præstare debet. *Paulus III. Const.* 44. §. 2. Pauperum carceratorum debitis solvendis impenduntur eleemosynæ, quæ per Urbem quæruntur. *Pius V. Const.* 100. Et si qui carcerati non sint descripti in libris Custodum, ad nullas victus & carceris expensas tenentur. *Paulus V. l. c.*

7. Custodes enim carcerum omnes, quos in carceres recipiunt, describere debent in libro carceratorum addendo de cujus mandato, ad cujus instantiam, & ex qua causâ, an ex suspicione fugæ capti sint. Nec quicquam vestimentorum carceratis auferre, vel sibi retinere possunt sub pœna privationis officii, & aliis arbitrio Visitatorum. Bona, vel pecunias, quæ penes ipsos reperiuntur facto inventario in eorundem carceratorum, & duorum testium præsentia,

conſervare, & extradere ad mandatum Judicis debent. Tempore Viſitationis tenentur Viſitatoribus carceratos præſentare cum expreſſione temporis, ac Judicis illorum, & executioni mandare, quidquid fuerit communi Viſitatorum voto concluſum. Infirmos ad valetudinarium, & detentos in ſuperioribus, & in mediis quolibet die ad audiendam miſſam deducere debent.

§. Nihil verò pro Camera, pro alimentis ultra quinque dies, pro transportatione carceratorum, aut pro extractione compedum ultra taxam accipere poſſunt; Nimirum Cuſtos Turris Nonæ pro quolibet Clerico carcerato ultra Carlenos veteres ſex, pro Laico ultra tres, Cuſtos Turris de Sabellis ultra duos Carlenos tam pro Clerico, quam pro Laico, etiam pro liberatione non exigant. *Paulus III. Conſt.* 44. *Ad onus.* Nec poſſunt permittere in publicis mulierum carceribus, ut ad earum ferreos cancellos, ſeu feneſtras aliquis carceratus accedat. Detentis in Secretis carceribus prohibere, vel impedire nequeunt, quominus alimenta aliunde deferantur, facta tamen diligenti inquiſitione, ne quid

aliud

aliud in ferculis transmittatur. *Paulus V. Const.* 71. §. 23.

9. Fuerunt olim carceres in Urbe præcipui tres Curiæ Sabellorum, Turris Nonæ, & Capitolii. Carceris Curiæ Sabellorum curam & inspectionem habet Marechallus Urbis, qui est caput Illustrissimæ Familiæ Principum de Sabellis, cui hæc dignitas hæreditario jure annexa est; Nunc vero hi duo carceres Sabellorum & Turris Nonæ conjuncti sunt in amplissimo ædificio extructo jussu Innocentii X. in via Julia.

10. In Visitatione Carceris Capitolii constituunt unam classem plures ex Officialibus supra nominatis *num.* 2. qui sedent ex uno latere, nimirum Præses carcerum; Duo Prælati Charitatis & Pietatis; Advocatus pauperum; Advocatus Fisci; Procurator Fiscalis Generalis; Et duo Procuratores pauperum. Ex altero latere considunt constituentes forum Capitolinum, seu repræsentantes Populum Romanum, videlicet: Senator Urbis; Tres Conservatores; Duo Collaterales; Judex criminalis; Procurator Fiscalis Capitolii, & Commissarii carcerum & remigum, quibus

quibus omnibus præsidet Gubernator Urbis tanquam Vice-Camerarius.

11. Cæterum carcerari nemo potest sine indiciis. *Paulus III. Constit.* 44. *hâ onus.* Neque in Urbe pro debito, quod septem aureos non excedat, nisi habeat annexam causam criminalem. *Pius V. Constit.* 10. At qui Sortilegiis pactum fecerit cum Diabolo, & à fide apostataverit, aut animalibus, frugibus, aut fructibus damnum dederit, carcere perpetuo clauditur, si vero mors hominis secuta sit, traditur judicio sæculari. Gregorius XV. *Const.* 46. Carcerati infra triduum examinandi sunt, & deinde vel dimittendi, vel ponendi ad largam. *Paulus III. l. c.*

CAPUT XLI.

De Congregatione super Confinibus Status Ecclesiastici.

1. *Alienatio bonorum prohibita à diversis Pontificibus.*

2. *In-*

2. *Instituta hac super re Congregatio, qui eam constituant.*
3. *Quam habeat facultatem.*

I.

SIxtus V. prohibuit in Constitutione sua 3. *Solicitudo.* alienari bona in exteros & Castra, aliaque bona jurisdictionalia tam in exteros, quam in subditos absque Sedis Apostolicæ licentia; quam prohibitionem innovarunt deinde Clemens VIII. in *Const.* 78. *Romanum* & Paulus V. in *Const.* 108. *Pastorale.* & Urbanus VIII easdem confirmavit, declaravit & ampliavit, *in Constitut.* 65. *Decens.* Cum vero multæ alienationes contra prædictas Constitutiones factæ fuissent, præfixit Papa Urbanus ex sua benignitate per *Const.* 72. *Sedes.* terminum ad eas revocandum absque pœnarum incursarum inflictione.

2. Verum cum & hoc parum profuisset, erexit & instituit idem Pontifex Congregationem super Confinibus Status Sedi Apostolicæ mediatè & immediatè subjecti. *Const.* 73. *Debitum.* quam unus è Cardinalibus qui Præfectus est, Thesaurarius Generalis, Advocatus & Com-

Commissarius Cameræ cum quibusdam Prælatis tanquam Consultoribus Congregationis hujus constituit.

2. Huic ergo Congregationi plena & absoluta data est potestas omnes hujusmodi alienationes, aliasque dispositiones contra formam dictarum constitutionum factas cognoscendi, ac prout visum fuerit, annullandi, moderandi, revocandi, confirmandi, aut de novo concedendi, & dubitationes quascunque declarandi, & decidendi, nec non lites & controversias quascunque inter quoscunque audiendi, cognoscendi, & quo ad Criminales, dummodo sententiam sanguinis per se ipsos non ferant, absque alicujus irregularitatis incursu definiendi, & decidendi, & confines quoscunque Status hujusmodi invisendi, perturbantes quacunque ratione terminos criminaliter, eorum arbitrio omni appellatione remotâ, puniendi, idque summariè ac manu regiâ, sola inspecta facti veritate, omniaque agendi, quæ super Confinibus & alienationibus ipse Pontifex facere posset pro Status Ecclesiastici conservatione etiamprivativè ad Congregationes, Tribunalia, personas, & Iudices alios *Urb. VIII. cit Const. 73.*

CAPUT

CAPUT XLII.

De Foro Capitolino, seu Judicio Senatoris, & Conservatorum Urbis.

1. *Foro Capitolino præest Senator Urbis, & sub se habet tres Senatores Collaterales.*
2. *Senatoris habitus, locus in Capella, & reditus.*
3. *Opificia & artes sua quoque habent judicia, in quibus Judices sunt Consules eorum.*
4. *Conservatores Urbis eliguntur tres.*
5. *Eorum officium.*
6. *Prior Capitum regionum eligitur à Papa, ejus vestitus & locus in Capella Pontificis.*
7. *Paucæ cognoscuntur causæ in hoc Judicio civiles*
8. *Et criminales. Cur hoc?*

I.

PRæter Congregationes & Tribunalia hactenus enumerata est Romæ Forus Capitolinus, cujus duæ sunt partes; Uni incumbit civilis civitatis ejusque ærarii administratio; Altera administrat Justitiam, & cognoscit causas tam civiles, quam criminales Populi Rom. & Incolarum Urbis. Huic Foro præficit Pontifex per Breve Prætorem, qui usitato no-

nomine *Senator* dicitur. Hic resident in Capitolio & habet sub se tres alios Senatores inferiores, quorum duo in causis civilibus sententiam ferunt, & unus dicitur *Primus*, alter *Secundus Collateralis*. Tertius causas criminales cognoscit. Quod si quis ab horum Judicum sententia velit provocare, constitutus est in Capitulo peculiaris *Judex Appellationis*, qui si conformem ferat sententiam Superiori, non datur ad ullum alium appellatio.

2. Senator in actibus publicis comparet semper vestitus habitu Senatorio serico & auro intertexto vulgo *Brocato* ad terram usque defluente cum manicis longis more antiquorum Romanorum. Locum quoq; habet in Capella Pontificis infra Legatum Imperatoris; Quamvis ab aliquo tempore, ut refert Lunadoro, in ea non compareat ob loci competentiam cum Ablegatis Regiis. Nunquam ad hoc Officium Romanus assumitur à Pontifice, sed semper extraneus, & ut plurimum Jurium Doctor. Habet pro reditu annuo duo millia Scutorum. Quotidie adit Pontificem ejusque Nepotes in vestitu nigro Senatorio, & rationem reddit sui Tribunalis.

3. Sunt præterea in Capitolio singularia quæ-

quædã Subsellia, in quibus opificia & artes ut sunt Mercatorum, Merciariorum, Aromatariorum, Pannariorum aliorumque plurimorum Artificum, quorum in pensili tabula sunt descripta nomina sub porticu, ex his singulæ tribus suum sibi eligunt Consulem; Quæ velut tribunicia immunitas cum jurisdictione & indultis civibus concessa est & confirmata per diversos Pontifices Martinũ V, Paulum III, Julium III, Pium IV, Gregorium XIII. *Const. Almam Urbem* aliosque; Sunt vero Consules Judices competentes in causis ad artem cujusque tribus spectantibus. *Martin. V. Const. 6. Sixtus V. Const.* 14. Quod si homotechni Sociique tribus suæ Consules gravari sentiant, rem deferunt ad Conservatores Urbis; Ad quos etiam provocare possunt Artifices à sententiis suorum Consulum.

4. Sunt hi *Conservatores Urbis* tres numero, qui omni trimestri novi eliguntur à populo ex nobilitate Romana coram Pontifice, ejusque Cardinalibus Nepotibus & Card. Camerario. Electi altero subinde die consuetum præstant Pontifici Iuramentum, & primo Mense datur ipsis possessio in Capitolio à Senatore. In hujus Capitolii Palario

unus

unus eorum semper residere tenetur, nimirum Primus primo Mense, Secundus secundo, Tertius tertio. *Pius IV. Const. 58. Cum ab ipso* §. 26.

5. Officium illorum & jurisdictio est curare ut custodiantur antiquitates Romanæ, observentur leges & statuta, coerceantur & puniantur Pistores, Laniones, Salsamentarii, Olitores aliique victualia vendentes, si excedant in precio, aut justo pondere & mensura non utantur, ut Urbs omnibus ad victum necessariis abundet. Hæc ut majori fide exequantur, nulla acceptare possunt munera, nec esculenta quidem & poculenta *Pius IV. l. c.* Sunt etiam Judices Ordinarii omnium appellationum à Consulibus artium & agriculturæ; Curam habent murorum, & aquæductuum; deputant Officiales & Ministros per loca ad populum Romanum spectantia. Habent procurationem Cameræ Populi Romani; Notarium & Fiscum, atque multos etiam Apparitores cum Capitaneo.

6. Præter tres Urbis Conservatores est etiam *Prior Capitum Regionum.* Sunt Capita Regionum quatuordecim pro numero Regionum, in quas Urbs distincta

stincta est. Olim hæc capita, accepta possessione per Senatorem, eligebant in Sacristia Templi Ara-Cœli dicti, è numero suo Priorem; Nunc vero nominat eum Pontifex, ut assistat Conservatoribus in Administratione justitiæ, cæterisque actibus publicis. Omnes hi quatuor vestiuntur habitu Senatorio antiquo, & locum habent in Capella supra Camerarios Secretos, sedentque in gradibus Throni Pontificii. Singuli quoque habent quatuor pedissequos ex ærario publico vestitos Holoserico rubro auro variegato.

7. Quamvis vero Judicium hoc Capitolinum sit proprium magisque competens Civium & Incolarum Urbis, paucæ tamen eæque leviores causæ Plebis ad hoc Tribunal pertrahuntur, tum quia causæ plerumque concernunt etiam Clericos aliasve personas privilegiatas, ob multitudinem earum in Urbe, quæ trahi non possunt ad Tribunal purè sæculare, tum quia Partes adeunt Tribunal Auditoris Cameræ, quod plerasque causas civiles in prima instantia decidit. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 37.*

8. In criminalibus quoque etiamsi hoc Tribunal tam in Urbe, quam in distri-

ctu

ctu ejus, non secus ac in civilibus cumulativâ habeat Jurisdictionem etiã in prima instantia cum Judicibus ordinariis, ut prævention inter illos locum habeat, ideoque propriam alat familiam armatam cum Barisello, propriumque habeat, ut diximus Cap. 40. carcerem, nihilominus paucæ admodum causæ in hoc Tribunali cognoscuntur, tum ob frequentiam in Urbe eorum, qui ab eo exempti sunt, tum quod Gubernator plerumque vel ob majorem vigilantiam illius Tribunalis, majoremque copiam ac peritiam Judicum & Notariorum, vel ob ampliorem familiam armatam, numerumque exploratorum, quos adhibet, prævenire soleat. Atque hæc pro notitia præcipuarum Congregationum, & Tribunalium hoc tempore in Urbe vigentium dicta sint satis.

Ad DEI Deiparæque Virginis Gloriam & Honorem.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

A.

Abbreviatores

Cancellariæ Romanæ, & eorum Privilegia. p. 343
Abbreviatorum Majoris Præsidentiæ munus. p. 343. & 344. 362.
Eorum habitus. 345
Officium illorum emitur. 345
Abbreviatoris minoris Præsidentiæ Officium.

Absolutio.

Absolutionis forma à Voto Religionis. 225
Absolutionis & Dispensationis forma super homicidio voluntario & occulto pro Regularibus. 287
Absolventis à Censuris rehabilitantis & dispensantis formula ad Beneficia obtinenda. 284
Absolutus à reservato jubetur parere Ordinario.
Absolvendus Clerici percussor. 266. 271. 272

Accessus.

Schedula Accessus qualis & quanta? 106
In postscrutinio quomodo fiat. 116

Administratio

In curia Romana fit nomine Electi & Cardinalium, donec Electus consensum dederit 123
Administratores cameræ rationes dent clericis. 570

Assessor

S. Officii. 534

Advocati

Consistoriales sunt. 12
Quod eorum Officium. 150
Perorant in Consistoriis publicis ibid.
Fiscalis est simul cameræ & Fisci. 554
Advocati Fiscalis Officium & qualitates. 613
Quamdiu duret illius Officium. ibid.
Quibus Congregationibus interfit. ibid.
Committitur illi etiam munus Procuratoris Fidei. 555
Emolumenta illius. ibid.
Advocati Foranei S. Officii qualitates. 615
Potestas. ibid.
Eliguntur ab Inquisitoribus. ibid.
Advocatus Pauperum institutus à Papa 545
Officium illius. ibid.
Interest Congregationibus criminalibus. 550
Quæ habeat emolumenta. ibid.
Advocati Rotæ. Eorum Officium. 586
Quid iis notandum in causis. ibid.
Advocatus & Procurator Reorum in S. Officio. 613
Jllius munus. 614
Tenetur reis pauperibus gratis patrocinari. 614

Ærarium.

Ærarii curam olim Pontifex habebat suppresso Officio Archidiaconi. 511

Affinitas.

Ex Affinitate proveniens impedimentum 234
In Affinitate dispensantis & legitimantis prolem formula. 239
Super impedimento Affinitatis forma dispensationis 235. & seqq.
Affinitatis impedimentum occultum tollit jus petendi debitum, & tolli potest ab Ordinariis. 255
Alternativa Episcoporum residentium cum Pontifice. 405

Agens

Agentes communitatum. 753

Alumni.

In Palatio & Collegio de propaganda fide. 736

Annatæ.

Introductæ sunt ad subveniendum Papæ & Cardinalium indigentiæ. 471

Annulus.

Piscatoris frangitur mortuo Pontifice 772
Cardinalitius & jura pro eodem solvenda. 141

Annus.

Ex stylo Cancellariæ Romanæ incipit à vigesima quinta Martii. 361

Ante scrutinium.

Illius actus. 103
Quomodo ante scrutinii schedulæ scribantur. 108
Quomodo complicentur & obsignentur. 110
Apocrisarii sunt Nuntii Apostolici. 54

Appellatio.

Non datur à sententia Cardinalium. 42
Non datur à Rota. 592
Regula de non appellando ante sententiam definitivam. 454
Appellatio non recipitur nisi post sententiam definitivam & interlocutoriam. 456

Archi-Diaconus

Quando cœperit? & quod ejus Officium? 18
Officium illius quare suppressum 520. vide Cardinalis.

Archi-Episcopi.

Eliguntur in Consistoriis secretis 144

Audientia.

Publicam quando det Pontifex. 160

Auditor

Cameræ est Judex ordinarius curiæ Romanæ. 529
Ad Auditorem cameræ fit Appellatio ex toto Orbe. 529
Huic traditus est gladius spiritualis. 528, 531
Habet etiam potestatem criminalem. 530
Non incurrit irregularitatem exercens potestatem criminalem. 530
Est Executor Obligationum factarum à camera & Literarum Apostolicarum in partibus 531
In quas causas se non ingerat. 532
Utitur operâ Vicegerentium tam in civilibus, quàm in criminalibus. 533
Auditoris cameræ Officium non exspirat sede vacante. 534
Officium emitur, qui fructus illius annui? 535
Habet etiam Notarios, quibus plurimùm fiditur. 535
Auditores contradictarum V. contrad.
Auditorium contradictarum. 372
Auditores Rotæ. 579. & seq.
Eorum qualitates & Officium. 582
Quot sint, & quarum Nationum? 581
Eorum privilegia. 583
In Rotæ Auditorio quomodo commissiones distribuantur & causæ decidantur? 583. & seq.
Auditor unus Rotæ est de Congregatione Fabricæ. 729

B.

Bajocchus quid? 367
Basilica Vaticana V. Vaticana.
Beatificationem Servorum Dei decernit Pontifex. 711

Benedictio.

Pontifex electus benedicit populo. 125

Beneficium.

Beneficiorum incapaces sunt Regulares mendicantes. 477
Sæcularis ingressurus Religionẽ & petens sibi conferri Beneficium regulare, an admitti possit ad Professionem? 478
Supplicans pro Beneficio per obitum viventis inhabilitatur ad illud. 430
Qualitates Beneficiorum exprimendæ sunt in literis. 475. 476
Beneficiorum valor exprimendus in impetrationibus. 469. 471
Error bonâ fide commissus in valore Beneficiorum indicandi non vitiat gratiam. 471
Praxis obtinendi Beneficium in Dataria. 322
Beneficii impetratio per modum in Cancellaria exprimendum, si non fiat mentio Vacationis, non valet. 463
Beneficialium literarum expeditio per cameram. 571
In Beneficio acquisito non suppletur in genere defectus, nisi per literas signatas per *fiat ut petitur*. 358
Beneficii Parochialis collatio non intelligenti idioma est invalida. 429
Beneficia impetrantes per obitum familiarium Cardinalium. 443
Beneficiorum uniones quomodo petendæ? 431
Beneficium resignatum, si resignans moritur intra 20. dies, reservatur Pontifici. 427
In Beneficiorum permutatione quæ clausula ponenda. 457
Beneficia vacantia per promotionem ad Ecclesias & Monasteria. 435
Beneficia vacantia per contractum Matrimonii. 476

Beneficium vacare per obitum quomodo probetur. 442
Beneficiorum fructus malè percepti. 285
Beneficiorum fructus invalidè elocantur elocatis solutionibus. 49
Beneficiorum fructus in tertia parte augere possunt vigore clausulæ. 485
Nomine Beneficii reservati Papæ quid veniat. 409
Beneficia qualificata reservantur. 410
Beneficia cum cura extra Germaniam reservantur Papæ. 410
Beneficia regularia quæ reserventur. 410
Beneficia regularia à Prædecessoribus reservata & affecta manent talia. 416
Beneficia collecta & subcollecta sunt reservata. 399
Beneficiorum reservatio vid. Reservatio.
Pro Beneficiis Galliæ sufficit sola Signatura. 218
Beneficium pacificè possessum quid sit. 48
Bibliothecarius Papæ. 49
Birretum Cardinalium novorum. vid. Cardinalis.

Brevia

Quænam in formâ Brevis à Secretaria Papæ expediantur. 500
Brevia sub cerâ tantùm extraduntur. 498
Triplex modus expediendi Brevia. 501
Brevia referuntur in Registra & quare. 509
Taxa Brevium. 510
Distinguuntur à monitoriis & inhibitoriis. 508
Unus ex 24. Secretariis ea subscribit. 499
Præfectus Brevium est Cardinalis. 489
Breviaturarum communium in literis S. Pœnitentiariæ explicatio. 194

Bulla

Quid sit? 498

Bullæ in quibus numerales dictiones non sunt extensè scriptæ habentur nullæ. 423
Bullæ executionis. 395
Bullæ in formâ dignum. 365
Bullæ sub formâ gratiosâ quomodo expediantur. 365
Bullæ taxantur. 361
In Bullas plumbatas non habet partem Pontifex Successor. 415

C.

Calculatorum Officium in Camerâ. 570

Camera.

Camera habetur pro Fisco favorabili. 513
Cameræ Apostolicæ jurisdictio est restricta. 518
Cameræ Apost. Tribunal. & qui Officiales ad hoc spectent. 511. 514
Ante Cameræ Judicium dicitur Oratio S. Isidori
Quando congregetur hoc Tribunal. 515
In negotiis proponendis quis ordo & praxis servetur. 565
Et locus & tempus. ibid. & 564
Ordo Sessionis in Camera, & qui in eâ votum habeant. 516
Quomodo suffragia ferantur. 516
Distributio causarum in camera fit per Decanum. 517
Causæ ad Cameram spectantes in Tribunali cameræ terminari debent. 518
Cameræ Tribunal subest soli Signaturæ gratiæ. 518
Camera facit expeditiones ordinarias literarum Beneficialium. 572. 574
Per cameram quoque expediuntur literæ Beneficiales. 571. 572

In

In camerâ præsentandæ sunt concessiones intra tres Menses. 578
In camera quomodo fiat decisio juxta majora. 568

Cameræ Officiales

Administratores cameræ, vid. Administratores.
Officiales cameræ præstant juramentum & sunt immunes. 518
Cameræ Præsidens. 548
Cameræ calculatores. 570
Cameræ locum tenentes illorum redditus & negotia. 535
Cameræ Notarii novem diversi sunt â Notariis Auditoriæ cameræ. 576
Notarius cameræ rationes Administratorum defert ad Calculatores. 570
Capella Sixti IV. 84
Canonicatus Germaniæ & Hispaniæ rescribuntur ad 24. Ducatos. 471

Camerarius.

Camerarius S. Collegii est unus è Cardinalibus, ejus Officium. 46
Camerarius Papæ unde dictus. 520
Amplam habebat potestatem, ejus Officium & jurisdictio. 521
Ob multitudinem negotiorum varios assumebat Officiales. 522
Potestas ejus restricta est, & qualem nunc habeat jurisdictionem. 523
Habet curam ærarii. 511
Officium ejus non vacat sede Vacaturâ aut vacante morte Pontificis. 72
Ejus authoritas & jurisdictio. 524. & 525
Pridie judicii habendi citat spectantes ad Cameram. 565

De-

Defuncto Pontifice Administrationem habet Palatii Pontificii. 525
Curat structuram conclavis. 77
Habet curam universitatis studii Romani. 756
Officium ejus emitur, & quæritur an licitè? 526
Per Camerarios Papæ mittitur electis Cardinalibus absentibus Birretum. 138

Campsor.

Æs cameræ custodit Campsor. 544
Depositarius custodit æs Cameræ. 544
Ejus Officium. ibid.

Cancellaria.

Cancellaria Apostolica unde dicta. 329
Magnus est in ea numerus Officialium. 341
Cancellariæ Regentis Officium. 341. & 342
Cancellariæ cubicularii. 347
Officiales nil ultra taxas accipere vel exigere audent. 347
Regulæ Cancellariæ. Earum auctor. 377
Cur dicantur Regulæ hæ Cancellariæ, Ordinationes, constitutiones. 384. 386
Quotuplices sint Regulæ Cancellariæ. 378
Regulæ Cancellariæ non comprehunduntur sub Generalibus Derogationibus. 492
An Regulæ Cancellariæ jus faciant universale. 378. 379
Forma & modus expediendi literas in Cancellaria. 355
Cancellaria facit Ordinationes ordinarias, extraordinarias literarum Beneficialium. 572
Contra Regulas Cancellariæ an valeat sententia? 335

Cancellarius.

Cancellarius unde sic dicatur. 329

Illius Officium est antiquissimum. 332
Qui olim obierint Officium Cancellarii. 333
Officium translatum est ad Cardinales. 335
Officium Cancellarii non vacat morte Pontificis. 72
Canonicatus. 471

Canonizatio.

Canonizationi Sanctorum præmittitur Consistorium publicum. 158. 159
Eam decernit Pontifex. 711. 712.
Pro Canonizatione habetur Consistorium magnum & solemne 711. 712
Distinctio inter Capitulum & Conventum. 397

Capitolium.

Forus Capitolinus. 785
Ejus Præses est Senator, habet tres collaterales, habitus illius, locus in Capella, & redditus. 786

Carcer.

Carcerari sine probatione delicti nemo potest. 648
Carceres diversos habet S. Officium. 653
Carceratorum sumptus à quibus præstandi. 779
Carceres olim Romæ fuerunt tres, nunc duo. 781
Qui Carcerari propter delicta non debeant. 787

Cardinalis.

Cardinalium creatio. 135. & 136.
Cardinales creantur à summo Pontifice ex omni natione. 9
Creati præsentes statim accipiunt Birretum. 136
Galerum rubrum à quo, & cur accipiant. 30
Promotis absentibus mittuntur literæ de promotione factâ cum birreto. 137. 138
Absentes inter annũ accedere debent ad urbẽ. 138

Abſentes promoti quomodo deducantur ad Papam. 139
Introducuntur per Cardinalem Nepotem. ibid.
Cardinalibus novis clauditur os. 139
Et aperitur. 140
Eorum promotio excludit ſponſiones. 9
Cardinalium Collegium vid. Collegium.
Cardinalium dignitas crevit ſub Conſtantino M. 7
Dignitas eorum hodierna. 36
Æquiparantur Regibus. 37
Cardinalatum non admittebant primò Epiſcopi conſecrati, poſtea ambiebant. 8
Cardinalis Nepos primus Miniſter, nunc dignitas ejus diminuta. 502
Officium illius. ibid.
Cardinalium honorum tituli varii. 39
An Cardinales ſint familiares Papæ. 393
Cardinales Palatini ſunt. 4
Cardinalium Eccleſiæ quales. 25
Tituli ſumpti ab Eccleſiis.
Cardinalis peregrè veniens excipitur ſolemni equitatione. 152
Cardinalium familiares vid. familiares.
Cardinalium habitus. 138. 31. vid. habitus.
Eorum annulus vid. annulus.
Cardinalium inſtitutio. 5
Inſtituti jure divino. 6
Acceptant Epiſcopatus in commendam. 8
Qui olim conſtituti. 6
Eorum Juramentum vid. Juramentum.
Jurisdictio vid. jurisdictio.
Qui typum eorum geſſerint. 5
Cardinales abſentes Papa mortuo monendi non vocandi ſunt. 73
Per dies decem exſpectandi. 74
Incluſi conclavi manent ſoli. 86

Car-

Cardinalis Nomen à quo inventum. 4
Unde dictus. 2
Olim dicti primarii in Clero. 3
Nomen à loco ad Personas derivatum. 3
Ad Episcopatus promoti retinebant primò solùm nomen, postea etiam titulum Cardinalatûs. 8
Ubi primùm dicti Episcopi, Presbyteri, Diaconi. 8
Cardinales primæ, secundæ, tertiæ regionis dicti à Regionibus quibus præerant. 19
Cardinales infirmarii vid. infirmarii.
Quis Ordo inter Cardinales. 20
Cardinales in tres ordines distinguuntur. 16
Cardinales Diaconi quinam. 18
Eorum numerus. 20
Habent omnes prærogativas Cardinales. 20
Cardinalis non Diaconus caret suffragio, permittitur tamen à Pontificibus, ut in electione Papæ suffragium ferat. 16
Cardinalium Episcoporum numerus & tituli. 15
Cardinales Episcopi olim tantùm consecrabant Papam, nunc etiam eligunt. 17
Cardinalium privilegia. 40. & seq.
A Cardinalium Sententia non appellatur. 42
Cardinali asserenti aliquid actum coram Papa credendum. 43
Etiam asserenti se Legatum esse. 42
Assistunt Pontifici. 37
Cardinales in Schismate possunt convocare Concilium. 37
Non tenentur regulis Cancellariæ. 42
Nec Sententiis in constitutione generali latis. 42
Cardinales eligunt Pontificem. 37
Eos in personâ offendens excommunicatus est. 41
Judicantur à solo Papa. 38

Lites inter Cardinales decidit Pontifex. 43
Liberati sunt potestate patriâ. 42
Liberi sunt à decimis & fruuntur Privilegiis Episcoporum. 43
Liberant à supplicio reos sibi obvios. 41
Cardinalium qualitates 10. 11. 12
Ex eorum numero saltem 4. sint insignes in sacra Theologia Magistri. 12
Cardinalium Redditus vid. Redditus.
Cardinales an teneantur ad Residentiam. 43
Cardinalis reus à quot condemnari debeat. 41
Cardinalatus vacabat ad consecutionem Episcopatûs. 8

Castitas.

Voti castitatis commutatio 225. vid. Votum.
Voto castitatis commutato tenetur contrahens, mortuâ consorte. 227
Pro castitatis voto dispensationem petentis Epistola. 189
Causæ ad cameram spectantes vid. camera.
Ceremoniarum Magistri officium in ante scrutinio. 103

Clausula.

De clausulis in Beneficiis vacantibus ponendis Regula. 472
De clausula, si est ità. 478. & 479

Clerici.

Clerici cameræ Apostolicæ. Eorum numerus, jurisdictio & habitus. 561. 562. 563. 564
Clerici spectantes ad cameram quando possint abesse à judicio. 566
Eorum habitus. ibid.

Clerici Menſarii Officium, 566. 568
Clericus Nationalis ex quibus eligatur. 408
Ejus Officium, habitus, emolumenta 49
Clerici malè promoti ſuſpenduntur, & ſunt irregulares. 433

Clericida.

Quomodo examinandus & monendus. 270. 271
Quomodo abſolvendus. 272
Reſarcire debet damnum parti læſæ. 270
Formula literarum quâ datur facultas Confeſſariis abſolvendi occultum Clericidam. 268
Formula literarum pro Clericida. 259
Cum clauſulis. 261. 262
Clericidæ hæredes ad quid teneantur. 267. 268
Clerici Percuſſor quomodo abſolvẽdus. 271. 272. 266
Coadjutoriæ conferuntur in Conſiſtorio ſecreto. 147
Coadjutorum deputationes. 744
Cognitores Pontificii quales. 52
Collatores conferre debent Beneficium ante Electionem Pontificis. 490
Collectores plumbi. 466
Collegium ſacrum conſtat ex Cardinalibus. 405
Defuncto Pontifice conſtituit præcipuos Officiales. 73
De commendis Ordinationes. 460
Commenſales continui Papæ. 399
Commentaria in Tridentinum edere prohibuit Pius IV. 679

Commiſſarius

Cameræ qualis eſſe debeat, illius Officium, cura, locus in publicis actibus & habitus. 559
Ejusdem authoritas. 560
Commiſſarius S. Officii eſt ex familia S. Dominici. 621
Commiſſioni ſtandum poſt concluſionem. 456

An Commissiones causarum literis non productis valeant. 442
Componendarum præfectus & ejus Officium. 321
Conpromissum purum, 98
Mixtum. 100
In forma concessum impedito Pontifice committitur alteri subscriptio. 328
Concilium qui convocent in schismate. 43
Concionatores subjacent S. Inquisitioni, si proponant scandalosas propositiones vid. Inquisitio.

Conclave.

Conclave pro eligendo summo Pontifice. 76. 77.
Conclavis inventor. 76
Conclave curat exstrui Camerarius. 77. 525
Cellæ ejus quantæ & quales. 77
Per sortem distribuuntur. 77
In Conclave quo ordine Cardinales ingrediantur. 84
Conclavis excubitores, custodes, & clausura. 79
Conclavis Gubernator vid. Gubernator.
Conclavis Mareschallus. 77
Conclave aperitur Cardinalibus, qui novi adveniunt in Urbem Electione integrâ. 87
Conclave clam ingredientium pœnæ. 87
Inclusi Conclavi manent soli. 81
Conlaviste quales, à quibus, & quando eligantur. 81
Literarum Conditionis fructuum malè percptorum ob non recitationem horarum formula. 245
Concursus coram Vicario Papæ. 165
Literarum Condonationis fructuum malè perceptorum post absolutionem à Censuris & peccatis formula. 287

Confessor

Confessarii Officium in pœnitentiaria. 188

A prudentia Confessarii pendet pœnitentia. 206
Confessario absolventi aut dispensanti quid observandum. 205
Confessor fidem faciat de absolutione à reservatis. 262
Confirmatio Pontifici non est necessaria. 223

Congregatio

Congregatio Baronum & montium quomodo procedat, ubi & quando habeatur. Est duplex; quid in utrâque tractetur. 775
Thesaurarius est rector hujus congregationis. 776

Congregatio Consistorialis.

Congregatio consistorialis quomodo differat à Consistorio. 148

Congregatio Consultæ.

Ejus origo. 746
Membra & Officium. 746. & 747
Locus & tempus. 747
Jurisdictio. 748
Cur dicatur tribunal sæculare. 748
Omnia gratis expedit. 749

Congregatio pro erectione Ecclesiarum.

Quem in finem instituta. 743
Illius munus. 744
In ea præsentantur dignitates, confirmantur postulationes & electiones, deputantur Suffraganei & Coadjutores. 744

Congregatio super confinibus statûs Ecclesiastici,

Illius auctor, potestas. 783. & 784

Con-

Congregatio pro Statûs Ecclesiastici gravaminibus.

Congregatio pro statûs Ecclesiastici gravaminibus sublevandis. 754
Membra illius. 755
Horum habitus, vid. habitus.

Congregatio super bono regimine Statûs Ecclesiastici.

Ejus auctor. 750
Membra, Officium & jurisdictio. 751. 752
Est Tribunal mixtum. 753
Quibus negotiis sê non immiscеat. 754
Congregatio Examinis Episcoporum. 718. 719
Illius auctor & membra. 719
Ex quibus facultatibus examinet. 719
Qui examinent. ibid.
Quo loco fiat examen. 720
Qui sint liberi ab hoc examine. 721

Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium.

Ejus institutio. 695
Quâ formâ tractentur negotia. 696
Est occupatissima, ubi & quando habeatur. 701
Quomodo procedat contra regulares. 699
Quomodo procedat contra Episcopos. 697. & seq.
Literæ & decreta hujus Congregationis subscribuntur à præfecto & Secretario. 702

Congregatio pro Indice librorum prohibitorum.

Institutionis occasio. 713
Illius auctor & potestas. 714
qui libri prohibeantur. 715

Qui ad eam spectent. 715
Consultores & eorum Officium. 715
Omnia faciunt gratis. 718

Congregatio Interpretum Concilii Tridentini.

Potestatem habet interpretandi privativè, exequendi verò cumulativè. 681
Potest scribere nomine Pontificis 682
Constat ex Cardinalibus & Secretario. Quando & ubi habeatur & ejusdem privilegia. 682. & 683.
Declarationes hujus Concilii. 689
Sunt Apostolicæ, nec mutari possunt. 689. & 690
An sibi sint contrariæ. 693
An Apocryphæ. 680
Nil probant nisi authenticè producantur. 686
Congregatio hæc interpretatur decreta Concilii tam in abstracto quàm in concreto. 682
Pro executione decretorum Concilii Tridentini constituti sunt octo Cardinales. 680

Congregatio Jurisdictionis & immunitatis Ecclesiasticæ

Cur & à quo instituta. 703
Ejus munus. ibid.
Membra. 704
Quo stylo procedatur in ea. 705
Quando & ubi habeatur. ibid.
Cognoscit causas privativè. 700

Congregatio S. Officii

Origo illius & quid in ea tractetur. 619
Committere potest degradationem Clerici. 623
Qua cautelâ includat viros & fœminas. 653. 654
De mandato illius capiendi reos. 651. 652

De citatione Rei ad audiendam sententiam. 677.778
Consultores sancti Officii & eorum qualitates. 612
A quo eligantur. 611
Quinam tales dicantur. 620
In hac Congregatione major pars Cardinalium decidit. 623
Custos carceris sancti Officii. 618
Inquisitores sancti Officii, vid. Inquisitor.

Congregatio Rituum.

A quo erecta. 706
Est duplex. ibid.
Illius membra & quid tractent. 707
Quomodo procedatur in ordinaria Congretione. 709
Quæ contentiosa tractentur. ibid.
Qui veniant ad extraordinariam. 710
Examinat pro beatificatione & canonizatione. 711
Mittit literas Apostolicas pro capienda informatione. ibid.
Officia approbat. 707
Dat facultatem sub diverso ritu celebrandi, Officia. ibid.
Non concedit nova nisi consulto Papâ. 708
Decreta illius quam vim habeant. 712
Congregationis visitationis Apostolicæ 739.740
Illius Cancellarius quando cœperit. 741
Judex est vices gerens. 741
Illiúsque potestas. 742
Secretarius illius. 740
Nominatur per Breve. 742
Manu & Sigillo suo fidem facit in & extra Judicium. 741
Membra illius reliqua, Officium. 741
Statuta Congregationis non faciunt legem universalem. 742

Congregatio visitationis Carceratorum.

Jllius finis & membra. 777
Instituit visitationes generales & ordinarias. 778
Visitationi qui inter sint. 777
Custodes carcerum. Quid agant & quâ cautelâ. 779. 780
Quid accipere possint ab incarceratis. 780
Congregatio pro universitate studii Romani. 756. 757
Jllius Offfcium. ibid.
Conservatores Urbis tres. 787
Eorum Officium. 788
Consistorium Cardinalium quid sit. 127

Consistorium publicum.

Quomodo differat à secreto. 127
In hoc Legati Regum præstant obedientiam. 157
Cur habeatur. 152. 153

Consistorium Secretum

Quomodo differat à publico. 127
Quando habeatur. 130
Quid tractet. 131
Confert Coadjutorias, solvit Matrimonium spirituale inter Præsulem & Ecclesiam. 147
Facit erectiones, divisiones & uniones Ecclesiarum. 148
Sub initium Consistorii non fit oratio. 132
Quinam intrent Consistorium secretum. 149
Ipso die Consistorii Sacerdores celebrant, reliqui communicant. 131
Serovenientes quomodo accedant ad locum suum. 135
Ritus Consistoriales in promotione Cardinalis.
Consistorium semipublicum. 159

con-

Consules tribuum & eorum potestas. 787
Consultores sacræ Pœnitentiariæ vid. Pœnitentiaria.
Contradictarum Auditor. 374
Ejus habitus. 375
Contradictarum Auditorium. 372
Est publicum. ibid.
Quæ Literæ & expeditiones concedantur in Auditorio Contradictarum. 373
Quæ audiantur in Tribunali Contradictarum. 372
Processus per Audientiam Contradictarum. 372
Contradictarum Corrector in Cancellaria. 347. 357
Ejus Officium & habitus. ibid.
In Tribunali Contradictarum Lectores. 375
Ejusdem Procuratores. 376
Contradictarum Corrector in Pœnitentiaria vid. Pœnitentiaria.
Contradictor citari solet ad audiendam causam. 307
Inter Conventum & Capitulum distinctio. 397
Coronatio Pontificis. 126
Cubicularii Cancellariæ vid. Cancellaria.
Cubiculariorum Depositarius. 347
Cubicularii Papæ honoris nuncupati. 402
Curia Papæ. 401
Quando dicatur transferri. ibid.
Cursor Camerâ inchoatâ custodit fores clausas. 567
Cursores indicunt Consistoria secreta. 132
Cursores S. Officii. 619
Cursores Carceris S. Officii vid. Congregatio S. Officii.
Custos Rotarum ad Conclave. 83
Custos Turris nonæ & Turris de Sabellis. 780

D.

In Data concurrentibus quinam præferantur. 424

Dataria

Quid sit. 315

Huic præeſſe ſolebat Prælatus, nunc Cardinalis. ibid.
Praxis obtinendi Beneficia in Dataria. 322. & ſeq.
In Dataria quæ Pontifex concedit contra jus cummune, cenſetur in iis diſpenſare. 328

Datarius.

Datarii Etymologia. 317
Datarii & Pro-Datarii diſtinctio. 315
Datarius habet ſub ſe Sub-Datarium & Officialem per obitum. 315
Datarius eſt membrum Signaturæ gratiæ.
Datarii Officium eſt amovibile & exſpirat morte Pontificis. 318
Datarii Officium in Pœnitentiaria vid. Pœnitent.
Datarius Pœnitentiariæ vid. Pœnitentiaria.

Decanus

Decanus Cardinalium quis? 45
Præcedit cæteros & clavem habet Theſauri Pontificii. 46
Ejus Officium tempore electionis Pontificiæ. 102
In Camera diſtribuit cauſas inter Clericos. 568
Decanus Rotæ examinat admittendos ad Rotam Advocatos & Procuratores. 586
Eſt Examinator in Congregatione Epiſcoporum. 219
Decanatus Rotæ penes quem ſit tempore Vacationum. 581
A decimis Liberi ſunt Cardinales. 45
Revocatio Decimarum & aliarum impoſitionum. 480. 482
Deciſiones Rotæ mutari poſſunt. 591
In Deciſionibus Rotæ in ſecunda inſtantia mutatur Judex. 592

Decisiones Rotæ non faciunt jus universale. 591. & seq.
Declaratio Papæ facit jus universale. 689
Declaratio Legis quam vim habeat, & an egeat publicatione. 691. 692
De defectibus supplendis Regula. 458
Degradatio Clerici committi potest à S. Pœnitentiaria. 623
Delegatus Pontificis an possit subdelegare. 405
Delictum occultum in Pœnitentiaria quid sit. 203
Denunciatio hæretici. 628
Debet esse jurata. 631
Formula accipiendi denunciationem Monialis. 637
Processus inchoandus à denunciatione. 630
Formula recipiendi denunciationem. 632. & seq.
An fieri possit per Literas, vid. Inquisitio. 635
Depositarius Cameræ vid. Campsor.
Depositarius Cubiculariorum. 347

Diaconi & Diaconia.

Diaconi. 14. 19
Septem in primitiva Ecclesia habebant curam Eleemosynarum & redituum. 18
Quando cœperint habere titulum Presbyterialium. 28
Diaconiæ quot sint. 24
Diaconiæ Cardinalium quales. 27
Non appellabantur tituli. 22
Diaconia una supernumeraria. 28
Diaconiã quando habere cœperint Presbyteri. 28

Dignitas

Dignitates Principales in Collegiatis. 397
In Collegiatis an sint reservatæ. 399
Dignitatum incompatibilitas. 744
Dignitates majores quæ sint. 396

Dignitates præsentantur in Gongregat. pro erectione Ecclesiæ. 744
Dignitatum Cathedralium provisiones per Literas Secretariæ. 501

Dispensatio

Causæ Dispensationi obtinendæ congruentes. 230
Dispensationes hujusmodi ubi suffragentur. 230
Dispensationes super ætate promovendorum ad Ordines expediuntur in Secretariâ Apostolicâ, ad dignitates verò & Beneficia in Cancellariâ sub plumbo. 500
De Dispensationibus in gradibus Consangvinitatis. 465
Dispensatio super impedimento occulto affinitatis ex Copula illicita ad cotrahendum. 234
Pœnitentiaria Dispensat super impedimentis occultis Matrimonii. 230. 231
Item in aliis, sed tantùm occultis dispensat S. Pœnitentiaria, ídque per Confessarios aut Ordinarios. 258
Dispensationis Literæ pro primo & secundo gradu super impedimento occulto ex Copulâ illicitâ ad contrahendum, quomodo differant. 253. & seq.
Dispensationis ejusmodi Formula. 234
Quæ Clausulæ in ea notandæ. 236. 237. 238
Qualis post absolutionem de contrahendo danda sit forma Dispensationis. 238
Formula Literarum S. Pœnitentiariæ Dispensationis super impedimento primi gradûs ex Copula illicita proveniente ad remanendum. 239. 240. 241
Quæ Clausulæ in ea notandæ. 242. 243

Qua-

Qualis forma Dispensationis danda post Confessionem Sacramentalem. 243
Quid agendum Conjugibus si uterque sciverit de impedimento. 244
Quid agendum si alteruter sciverit & quæ Clausula in Dispensatione addatur. 233
Dispensationis formula pro Consanguineis & Affinibus, qui ignorantes Gradum præmissis publicationibus contaxerunt Matrimonium prohibitum. 249
Quid notandum Confessariis, Parochis & locorum Ordinariis, si post contractum Matrimonium impedimentum occultum refertur. 231
Quid in priori casu faciendum. 251
Quâ formâ post datam Absolutionem Confessarius Dispensare debeat. 251. 252
Formula pro eo qui Consanguineam Uxoris sive in primo, sive in secundo Gradu cognovit. 255
Dispensatio Affinitatis supervenientis Matrimonio. 256
Forma Dispensationis danda post Absolutionem. 257
Quæ in Clausulis observanda. ibid.
Dispensationis formula de Contracto impedimento reticito in Dataria. 247
Formula Dispensationis faciendæ post datam Absolutionem. ibid.
Formula Absolutionis pro iis, qui impetratâ Dispensatione super impedimento publico, occultum reticuerunt. 244. & seq.
Dispensationes super interstitiis & defectu natalium promovendorum ad Ordines aut dignitates & Beneficia. 500

Dispen-

Dispensationes super irregularitate ex homicidio reservantur S. Pœnitentiariæ. 273
Formula ejusmodi Dispensationis. ibid.
Quæ Clausulæ advertendæ. 275. 276. 277
Forma Absolutionis & Dispensationis in hoc casu. ibid.
Dispensatio Homicidarum Religionem ingredi volentium. 288. & seq.
Ejus Formula. ibid.
Quæ præmittenda Absolutioni, & quæ notanda in hoc casu. vid. Homicida. ibid.
Dispensatio super irregularitate ex defectu occulto natalium. 270.
Clausulæ advertendæ à Confessario. ibid.
Forma Dispensationis. ibid.
Item super defectu Natalium. 466
Per Dispensationem proles legitimatur. 249
Dispensatio quando valeat. 466. 467. & seq.
S. Dominicus fuit primus Inquisitor. vid. Inquisitor.
PP. Dominicani exercent munus Inquisitorum in Italia. 598
Ducatorum de Camerâ, Florentini, Hungarici, & sine addito, valor. 368
Duellum reservatur S. Pœnitentiariæ. vid. Pœnitentiaria.

E.

Ecclesia.

Ecclesiæ Beneficia reservata & affecta. 46
Ecclesia visibilis semper habuit Caput visibile. 62
Ecclesiæ Cardinalium, vid. Cardinal. 145
Ecclesia confertur in Consistorio secundo. 146
Pro Ecclesia proponit aliquando personam Pontifex. 146

Ecclesiarum Uniones, Dismembrationes, Cessiones, Permutationes & Translationes in qua Congregatione fiant. 744
Ecclesiarum Violatoribus non prodest Generalis absolutio à Censuris. 486

Electio

Electuri Cardinales Pontificem, jurant. 85
Electio Pontificis fieri debet in Conclavi clauso & fit à solis Cardinalibus. 88
Ab Electione Pontificis extra Clausuram existentes excluduntur. 89
Electio Pontificis ad quos pertineat Cardinalibus defunctis. 89
Electio Pontificis per Compromissum purum. 98
Electionis Pontificiæ modi Varii usurpati à temporibus S. Petri usq: huc. 62. 63. 65. 66. 67. 68. 69
Electionis modernæ stylus. 101
Electio Pontificis per scrutinium. 101. & seq.
Ab Electo Pontifice petitur Consensus. 123
Electio Pontificis annunciatur populo. 125
Electionis Pontificiæ jura, consuetudines, praxin, & cœtera usitata vide à folio 61. usque ad folium 126.
Electiones ubi confirmentur. 744
Electio sola tribuit tantùm jus ad rem. 453
Eleemosinarii Papæ & Pœnitentiarii S. Petri lavant Cadaver defuncti Pontificis. 72

Episcopus

Episcopi habentes administrationem quomodo creentur. 145
Episcopi eliguntur in Consistoriis secretis. 144
Episcoporum Examen vid. Congregatio Exam. Episcop.

Epi-

Episcopis incumbit exstirpare Errores & Hæreses. 594
Episcopus novus quomodo vestiatur. 146
Cardinalis Ostiensis prærogativa & Officium. 24
Episcopi in partibus solo nutu promoventur. 145
Episcopus ut fruatur Alternativa debet residere. 412

Examen

Reorum in S. Officii. vid. Inquisitio.
Denunciatoris & testium. 664. 665
Examen Episcoporũ. vid. Congreg. Exam. Epoſcop.

Excommunicatio

Excommunicati sunt Contrahentes in impedimento primi Gradûs. 242
Ab Excommunicatione ab manuum injectionem qui absolvant. 59
Excommunicati sunt impedientes Literas Pœnitentiariæ. 177
Excommunicatio mittentium & recipientium Nuncios aut literas intra Conclave. 87
Excommunicatur ipso facto offendens Cardinalem in Persona. 4

Exequiæ

Pontificis ubi, & quot diebus celebrentur. 79. & 80
Exequiarum tempore exponitur Cadaver. 79
Exequiæ quibus sumptibus fieri possint. 80
Exequiarum 9. die habetur Panegiricus defuncti Pontificis. 82
Quæ Exequiarum tempore à Cardinalibus constituantur, ordinentur. à pag. 79. ad 82

F.

Fabricæ Congregatio vid. Congregatio.

Falsificatores

Literarum Apostolicarum. 486

Falsificantium Literas Apostolicas fautores. 486

Familiares

Cardinalium quinam sint. 444. 445
Cardinalium quomodo resignare possint Beneficium alteri Familiari. ibid.
Familiares Papæ quæ Beneficia impetrare possint. 445
Familiares Papæ quinam dicantur. 398
Familiares Armati S. Officii. 617
Florenus. 370. & 371. & seq.
Eorum valor pro diversitate Regionum
Fœmina in Papam nec electa est, nec eligi potest. 93
Fornicatio facta ab habente Votum Castitatis. 290
Forus aCpitolinus. vid. Capitolium.

G.

Galliæ Beneficia vid. Beneficia.
Graduati præferuntur in Data non Garduatis. 425
Gratia Apostolica sine Literis est informis. 436

Gubernator

Gubernator Conclavis statuitur à Cardinalibus. 73
Gubernatores nominantur in Consistoriis secretis & eorum jurisdictio. 143
Gubernatoribus committitur Legatio per Breve. 144
Gubernator Urbis præcedit omnes Cameræ Officiales etiam Oratores Principum. 537. 538
Gubernatori Urbis commissus Gladius temporalis & est Vice-Camerarius. 537
Gubernatoris Urbis Officium. 538.
Privilegia. 538. 539
In Civilibus habet unum locumtenentem. 540
In Criminalibus duos. 541
Gubernatoris Judicium Criminale ubi & à quibus habeatur, 542

H.

H.

Habitus

Cardinalium annulus. vid. Annulus. Qui utantur Bireto, qui non. 31
Cardinalium olim communis Presbyteris. 30
Habitu duplicis coloris utuntur Cardinales. 32
Ex qua materia. ibid.
Quem habitum gestent Cardinales ex Ordinibus Religiosis promoti. 31
Quem gestent promoti ex Societate JESU. 31
Sub quibus Pontificibus cœperit Habitus à cœteris Presbyteris distinctus. 30. 31
Cardinalium in Ecclesia sua celebrantiũ color. 35
Habitus Cardinalium procedentium ad locum Consistorii publici. 133
Habitus eorum in Consistorio. 133
Cardinales non lugent in vestibus nigris. 35
Cardinales noviter electi quo colore vestium utantur. 35
Habitus novi Cardinalis cui imponendus est pileus. 152
Cardinales utentes togâ violaceâ, utuntur quoque pileo violaceo. 32
Cardinales quando utantur colore tantùm violaceo. 33. & 34
Quando rubeo. 34
Quando carcant subtana. 33
Habitus Cardinalium in Signatura Gratiæ, in Consistoriis, & actibus privatis. 299
Habitus Cammissarii Cameræ. 559
Habitus Præsidis Cameræ. 548
Hibitus Auditoris Contradictarum vid. Contradict. ibid.
Habitus Correctoris Contradictarum vid.
Habitus Episcopi novi vid. Episcopus.

Habi-

Habitus Legatorum à Latere extra Italiam. 34
In deducendo Legato Cardinali, vel recenter creato quo colore utantur. Quis Ornatus Mulorum. 35. 31
Habitus Neo-Electi Pontificis. 124. & seq
Habitus Pontificis dum vadit ad Consistorium. 133
Ejusdem Habitus in Consistorio primo secreto. ib.
Habitus Pontificis quando vadit ad Consistorium publicum. 153
Cujus coloris sit pileus Pontificis. 33
Pontificis equitantis vestes. 35
Habitus Prælatorum votantium. 300. 399
Habitus eorum qui sunt de Congregatione pro statûs Ecclesiastici gravaminibus sublevandis. 755
Hæredes Homicidæ pœnitentis ad quid obligentur. 276
Habitus Protonotarium vid. Protonotarius.
Habitus Auditorum Rotæ. 583

Hæresis & Hæreticus.

Hæretici accusatio. 627
Hæresis est crimen publicum ideo denunciandum. 626
Hæretici Denunciatio. 628
Modus Denunciandi Hæreticos. 625
Denunciatio debet esse jurata. 631. Episcopis incumbit Hæreses & Errores exstirpare. 594
Quæ probatio Hæresis requiratur ad Capturam. 648. 649
Hæretici ad Ecclesiam confugientes an capi possint ab Inquisitoribus. 608
Sine Inquisitoris mandato an capi possit Hæreticus. 651
Hæretici Inquisitio vid. Inquisitio.

Hæreticus sponte camparens quomodo tractandus. 639
Praxis illo casu servanda. ibid.
Examen talis Hæretici. 640
Hæretici Nobiles, DD. Religiosi quomodo Carcerandi, Custodiendi. 652
Quid cavendum si à Locis remotis adducendus Hæreticus. ibid.
Quomodo cum fœminis agendum. 654
Pro diversitate delicti sunt Carceres pro Hæreticis. 655
Hæreticus Carceratus in primo Examine de quibus interrogetur & quomodo. 656. 657. & seq.
Quomodo in secundo Examinandus. 660. & seq.
Forma interrogandi Reos in tertio Examine. 662
In dubio quid Agendum. 664
Quomodo tunc instituenda interrogatio. ibid.
An & quando torqueri possit. 665
Hæreticus Reus Captivus si se remittat ad Juris Dispositionem vel Arbitrium Inquisitoris, quid faciendum. 668
Si ita, quid fiat postea. ibid. & seq.
De productione sententiæ contra reum Hæreticum, & annexis vid. Sub titulo, Praxis Inquisit. S. Officii à p. 673. usque 679. in Jndice sub Tit. Inquisitio.
An cum Hæreticis pœnitentibus dispensare possit Inquisitio Generalis. 630
Hæreticorum Libri prohibiti. 632

Homicida, Homicidium.

Homicidii Reo Religionem petenti, an danda sit Absolutio. 290
Formula pro eo, qui Homicidio Commisso Religionem ingredi desiderat. 288

Quid Notandum ante executionem Absolutionis. ibid.
Quâ Cæremoniâ fiat executio Absolutionis hujusmodi. ibid.
Formula Literarum, quæ à S. Pœnitentiaria expediuntur pro eo, qui publicè manus violentas injecit in Clericos. 259
Quæ Clausulæ in ea observandæ. 261
Si Percussor satisfacere non possit, quid agendum. ibid.
Forma fidei dandæ de Absolutione. 262
Quas pœnas incurrant Clericidæ Presbytericidæ. 262. 264
Ad quid obligentur Presbytericidæ. 265
Forma Absolutionis à Clericidio. 266
Quæ Clausulæ in ea observandæ. 267
Cæteras formulas Absolutionum pro Clericidis vid. à 267. ad 272. vid. Dispensatio.

I.

Incarceratorum Examen, Tortura. vide sub Tit. Hæresis & Hæreticus, & Inquisitio S. Officii.
Incendiariis non prodest Absolutio à Censuris. 486
Indulgentiæ in Secretaria Apostolica expediuntur gratis. 500
In Literis Indulgentiarum quæ Clausulæ ponantur. 468
De Indulgentiis concessis ad instar. 469
Indulgentia an valeat, de qua in Literis non est specialis mentio. ibid.
Indulta conceduntur in Camera Apostolica. 500
Infirmarii Cardinales quomodo eligantur. 108
Eorum Officium. 112. 117

Inquisitor, Inquisitio.

Sacræ generalis Inquisitionis Præpositus. 49
Inquisitorum Origo. 595
Debetur illis Titulus Reverendissimi. ibid.
Eorum Officium. 604
Non exspirat morte Pontificis, vel delegantis. 607
Officium illorum in Italia qui exerceant. 598
Qui extra Italiam & Hispaniam. 599
Inquisitionis generalis membra. 620
Et Ministri. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618
Quis fuerit primus Inquisitor. 596
A quo instituantur Inquisitores. 603. 604
Inquisitionis judicio obnoxii sunt Saraceni redeuntes ad Sectam, Christiani transeuntes ad Judaismum, Malefici, sortilegi, Sacramenta indignè administrantes, Asserentes in sermonibus aut scriptis privatis B. Virgmem esse conceptam in peccato Originali, Prædicatores, si proponant scandalosas propositiones, vel à fide aberrantes. 604. 605
Inquisitores capere possunt Hæreticum ad Ecclesias confugientem. 608
Inquisitio dispensare potest, cum Hæreticis pœnitentibus. 620
Inquisitores ubi sunt, non possunt de Hæresi cognoscere Episcopi. 599
Inquisitorum potestas & jurisdictio quam nunc accipiunt à Pontifice vel Congregatione S. Officii. 604
Inquisitorum Privilegia. 607
Delegare possunt vices suas Vicario generali. 610
Inquisitores quos libros Hæreticos legere possint 612
Inquisitorum qualitates 600. Inquisitor sit 40. annorum. 601. Quando non. vid. ibid.
Inquisitor sit Theologus vel Canonista. 602

Uter eorum melior. ibid.
De cæteris qualitatibus Inquisitoris, prudentia, morum honestate, & in quo hæc consistat, Legitima potestas & jurisdictio, unde hæc accipiatur. 603
Modus in eo procedendi vid. Hæresis & totum Tit. de Congreg. S. Officii in specie.
Inquisitio quotuplex. 628. 630
Præliminaria de Obligatione & modis denunciandi Hæreticos.
Processus unde inchoandi. 631
Qualis debeat esse denunciatio. 631
Formula denunciationis. 632
De quibus denunciator interrogandus. 633. 634
An per Literas fieri possit denunciatio, & in quibus casibus, quid in absentibus Denunciationibus Inquisitoribus observandum. 636
Quomodo Moniales vel Puellæ Nobiles denuncient. 637
Formula denunciationis Monialium. 637. 638
Formula recipiendi Confessionem sponte comparentis de se ipso testificantis. 638
Ignorans se indiciis præventum comparens non citatus gaudet Privilegiis sponte comparentium. ibid.
Hæreticus sponte comparens quomodo tractandus ad quid obligetur, & de quibus interrogandus. 639. 640
Denunciatione peractâ examinandi Testes, quomodo Examen Testium instituatur & perficiatur, quid agendum si dubitetur de silentio examinati. 641. & seq.
His præmissis quid ultra agendum. 645
Quâ Cæremoniâ præmittatur Oratio consueta. ibid. & seq.

Quid post orationem observetur. ibid.
Si sit dubium, an ad S. Officii Tribunal spectet accusatio, quid servetur. 647
Inquisitio sine probatione delicti carcerare neminem potest. 648
Quid & quot testes, & an contra omnes idem requiratur. ibid.
An Episcopus sine Inquisitoris & hic sine illius consensu carcerare, arrestare injectis compedibus, & damnare ad carcerem temporalem possit. 649
Forma Decreti super captura facienda. 650
An sine mandato Inquisitionis reus capi possit, Formula talis mandati quomodo & à quibus perficiatur, in Nobilibus, DD. Religiosis, aliunde adducendis. 651. 652
Quomodo capti cujusvis conditionis custodiendi, & quid circa illorum custodiam, sive victum servandum sit. 653. & seq.
In prima Audientia de quibus Reus interrogetur. 655. & seq.
In secunda Audientia de quibus & quomodo interrogetur. 660. & seq.
Forma in tertio Examine Reum negantem interrogandi. 662. & 663
Denunciatoris & Testium iteratum Examen & Interrogationes pro declarandis dubiis depositionibus. 666 & seq.
Inquisitores an & quando pro perquirenda veritate Reum torquere possint. 666
Quomodo interrogandus Reus? an testes pro examinatis haberi velit & quid in casu negativo & affirmativo fiat & quomodo. 667. & seq.
A quo præsentetur Libellus accusatorius sive articuli quomodo formandi, quales opponi à Reo

à Reo interrogationes contra teſtes poſſint, & quid agendum, ſi poſt Examen teſtes varii ſint 671
Peracto proceſſu danda Reo ejusdem Copia, quomodo & ſub quâ formâ, quid tenendum in articulis à Reo contra oppoſitis 673. & ſeq.
Ante pronunciationem ſententiæ quid fiat, qui pro ferenda ſententia & quo ordine votum habeant, quomodo citetur ad audiendam ſententiam quæ ab Inquiſitore fertur. 657. & ſeq.
Super Irregularitate non diſpenſat S. Pœnitentiaria niſi in caſibus occultis 773. vid. Diſpenſatio.
Inſordeſcere quid ſit. 487
De Inſordeſcentibus Regula. 482
Inſordeſcentibus an proſit abſolutio generalis à Cenſuris. 486
Judex Viſitationis Apoſtolicæ. vid. Viſitatio.
Julii vel Pauli quid? 367
Juramentum præcipuorum S. Collegii excipit Decanus. 85
Juramentum novi Cardinalis ſuper quibus fiat.
De Juramento Denunciantium vid. Tit. praxis Inquiſ. General S. Officii.
Jurisdictionem Epiſcopalem habent Cardinales in Eccleſiis ſuis titularibus. 40
Eam exercent etiam ante captam poſſeſſionē. 42
Eam etiam habent Cardinales & Archi-Presbyteri Eccleſiarum Patriarchalium. 41

L.

Legati.

Legati de Latere, & Legati Urbium nominantur in Conſiſtorio. 131
Legati & Nuncii cur mittantur. 151

Quæ inter Legatos differentia. ibid.
Qualem pro ſua diverſitate habeant poteſtatem. 51. 52
Legati generatim habentes ordinariam Jurisdictionem ſpiritualem quotuplices ſint. 53
Legati de Latere cur ita dicantur, & ad quos, & cur mittantur. 53
Legati Miſſi, qui olim, quæ inter illos & alios differentia. 55
In quo differentia conſiſtat. 56
Legati nati quare ita dicantur. 53. 54
In quibus locis ſint Legati nati. ibid.
Libra Auri quid ſit & valeat pro diverſitate Regionum.
Libri prohibiti vid. Congregat. Libror. prohibitor.
Literæ Pœnitentiariæ vid. Pœnitentiaria.

M.

Magiſtri Cæremoniarum

Eſt annulus Piſcatoris aureus confractus mortuo Papâ. 72
Magiſtri Cæremoniarum Officium in Conclavi ante Electionem novi Pontificis à 79. ad 110.
Eorũ Officium poſt Electionem novi Papæ. 124. 125
Magiſtri plumbi. 346
Magiſtri S. Palatii Officium. 715. & ſeq.
Eſt Concionator Familiæ Pontificiæ, intereſt Congregationi Examinis Epiſcoporum. 719

Matrimonium

Contrahens emiſſo voto Religionis peccat graviter. 215
Contracti conſenſus in impedimento primi gradûs quomodo revocandus. 242
Matrimonialem conſenſum revalidandi tres modi. 233

cætera de hac materia vide in Indice sub Titul. Dispensatio.
De Mendicantibus transferendis. 432
Ministri S. Officii. 610
C. Molinæi libri prohibiti. 622
Monetarum valor in Curia Romana. 367
Monasteria Consistorialia quare sic dicantur 131
Monasteria Consistorialia conferuntur in Consistorio secreto. 147
Monasteriorum pluralitas. 744
Monialis Denunciationem accipiendi formula. 637
Moniales Inquisitæ quomodo custodiendæ. 654 vid. Inquisitio.
Monitoria & inhibitoria distinguenda à Brevibus. 508
Monitoria extra Curiam dantur in pergameno. 534

N.

Natalium defectus Dispensatio vid. Dispensatio.
Nomen sibi imponit Pontifex Neo-Electus vid. Pontifex.

Notarius.

Notarii ab ortu Ecclesiæ fuerunt. 349
Norarii Cameræ vid. Camera.
Notarii Cameræ Officium Procuratoris causarum exercere non possunt. 569
Notarii Auditoris Cameræ. 533
Notarii S. Officii. 615
Fidem debet facere Denunciationi. 631
Eorum Officium. 616
Tenentur ad secretum. 616
Notare debent singulorum suffragia. 617
Notarii Rotæ quot, & quales. 588
Quid iis notandum. 589
De verosimili notitia Regula. 441

Nun-

Nuncii

Apostolici non sunt Legati Papæ. 144. vid. Legatus.
Nuncii S. Officii. 618

O.

Obedientia

Obedientia quando & qualis præstetur Pontifici electo. 124. 125

Officiales

Cameræ Apostolicæ nil audent exigere ultra debitum. 487
Pœnæ transgressoribus constitutæ. 488
Officiales Cameræ. vid. Camera.
Officiales Cancellariæ vid. Cancellaria.
Officiales de Missis. 321
Officialis per obitum eligitur à Datario. 319
Est substitutus Datarii. 319
Officialis parvæ Datæ. 320
Ejus Officium. ibid.

S. Officium.

Notarii S. Officii vid. Notarius.
Ministri. 610
Officialium habitatio. 621
Habet diversos Carceres. 695

Officium Divinum.

Officia, Missas diverso ritu celebrandi facultatem dat Congregatio Rituum. 707
Officia nova non concedit Congregatio Rituum nisi consulto Pontifice. 708
Officiorum pretiũ percipiendi facultas revocata. 484
Os quomodo Cardinalibus novis claudatur & aperiatur vid. Cardinalis.

P.

P.

Papa vid. Pontifex.
Patentes Literæ quæ sint. 413
Juris Patronatûs derogatio. 458
Cur S. Paulus ad dextram S. Petri pingatur. 364
Pileus ruber competit solis Cardinalibus.
Pileus Cardinalium quomodo distinguatur à Pontificio. 38
Plumbo qui primi signârint Literas Apostolicas. 363

Pœnitentia

Qualis sit injungenda absoluto à voto simplici Religionis. 217
Pœnitentia Clericidæ. 263. vid. Homicida.
Presbytericidæ. ibid.
Pœnitentiaria pro reservatis Pontifici. 209

Pœnitentiaria.

Potestatem ligandi & solvendi S. Petro & Successoribus dedit Christus. 170
Modus adeundi Pœnitentiariam. 185
Modus scribendi ad Pœnitentiariam. 186. 187 188. 189. 190.
Modus legendi Literas S. Pœnitentiariæ. 190
Explicatio Breviaturarum communium in Literis S. Pœnitentiariæ apponi solitarum. 194. 195. 196. 197. 198
Modus intelligendi Literas S. Pœnitentiariæ & earum Clausulas. 198. 199
Quæ præmittenda à Confessario executioni Literarum S. Pœnitentiariæ. 203. usq; ad 209
Literæ S. Pœnitentiariæ quadruplicem materiam concernunt. 209
De formulis Votorum. ibid.
Modus exequendi Literas dilationis voti Religionis. 210

Formula dilationis ſimplicis voti Religionis. 212
Clauſulæ quæ in illa advertendæ. 214. 215
De transgreſſione voti Religionis. ibid.
Formula transgreſſionis voti ſimplicis Religionis. 216
Clauſulæ in ea advertendæ. 217
De Commutatione voti Religionis. 220
Formula Commutationis voti ſimplicis Religionis. 221
Clauſulæ in ea advertendæ à 222. ad 224.
De transgreſſione voti Caſtitatis, formula à S. Pœnitentiaria pro eodem. 218. 219. 220
De voti Caſtitatis Commutatione, ejusdem Formula. 225. 226
Clauſulæ talis Formulæ. 226. 227
De Commutatione voti ſimplicis Caſtitatis & Religionis. 228
Forma Commutationis. ibid. & ſeq.
De Diſpenſationibus Matrimonialibus natalium vid. Diſpenſatio.
De Abſolutionibus à Clericidio vid. Homicida.
De Commutatione votorum peregrinationis, ejus Formula. 229
S. Pœnitentiariæ inſcriptio Literarum diverſa ad diverſas. 189
Ad ſimplices Confeſſarios: 192
Literæ ad Epiſcopos. 191
Literæ gratis expediendæ. 181
S. Pœnitentiariæ Literas quis aperire poſſit. 200
S. Pœnitentiariæ Literas interpretans ad quid obligetur. 189. 199

Officiales S. Pœnitentiariæ

Præſentantur Pontifici à pœnitentiario majore. 180
Quales debeant eſſe Officiales. 181

Gra-

Gratis omnia expedire, nec quidquam admittere tenentur. ibid.
Tenentur Sigillo Confessionis & peculiari Juramento. ibid.
Juramenti forma. ibid.
Pœnitentiariorum Regens qualis, quod ejus Officium. ibid.
Datarius à quo instituatur, ejus Officium. ibid.
Corrector qualis, ejus Officium. ibid.
Pœnitentiarii Majoris Consultores quales esse debeant. 183
Sigillator, ejus Officium. 184
Procuratores S. Pœnitentiariæ quales sint, à quibus eligantur, eorum Officium. 184. 185

Pœnitentiarius major.

Est Cardinalis. 49 & 172
Caput est omnium Pœnitentiariorum. 172
Dignitas ejus, virtus, & scientia. 172
Jurisdictio quando cœperit. 172
Quando restricta. 173
Per seipsum exercere debet Officium. 173
Est membrum Signaturæ gratiæ. 298
Reditus illius. 179
Quando, & quomodo audiat pœnitentes. 175
Quando celebret solenniter coram Pontifice. 176
In rebus gravioribus mittit pœnitentes ad pœnitentiarios minores. 176
Quadruplices concedit gratias. 176
Officium illius non vacat morte Pontificis. 72
Pœnitentiarii jurisdictio quoad forum conscientiæ, manet sede vacante. 178
Literarum illius auctoritas. 179

Pœnitentiarii minores

Quot & quales aluntur à Summo Pontifice. 174
A quo Conſtituantur, ad quid obligentur ſingulis diebus. ibid.
Ubi abſolvant. 174. & ſeq.

Prælatus ponens.

Prælatus ponens in Signatura juſtitiæ & quod quod ejus Officium. 306

Pontifex

Simoniacè electus expelli poteſt. 37
An jus eligendi Pontificem habuerint Imperatores. 66
Electio Pontificis varia. 63. & 64
Quando Cardinales ſoli Pontificem cœperint eligere. 68
Pontifex non neceſſariò eligitur ex Cardinalibus. 69
Electio Pontificis quot ſuffragia requirat. 68
Quæ detur exceptio contra Electum. 69
Pontifice mortuo quæ Officia vacent 72
Defuncti Cadaver exponitur in Templo S. Petri. 73
Pontifice defuncto quomodo incedant Cardinales. 73
Pontifice per Concilium generale depoſito ad quos pertineat electio. 90
Pontificatûs quales ſint capaces. 92
Electus Pontifex imponit ſibi nomen. 124
Electio Pontificis vid. Electio.
Pontificis Coronatio. 116
Solus ſubſcribit *fiat ut petitur.* 440
Pontificum reſponſa etiam in caſu ſpeciali faciunt jus univerſale. 688. 994
Pontifex quando det audientiam vid. audientia.

Pontifex Bendicit. populo vid. Benedictio.
Pontificis Coronatio vid. Coronatio.
Pontificis Exequiæ vid. Exequiæ.
Pontificis familiares vid. familiares.
Pontificis habitus & veſtes vid. habitus. 124
Pontifici novo præſtatur obedientia vid. obedientia.
Pontifici reſervata vid. reſervata.

Poſſeſſor.

Annalis poſſeſſor. 449
Triennalis. 452
Pœnæ ambientium Beneficia annalium poſſeſſorum. 451
Poſſeſſor triennalis malo titulo amoveri poteſt. 454

Poſtſcrutinium.

Illius ſunt actus tres, ſi ſecuta fuit electio. 115. 117
Si non ſit ſecuta electio, ſunt actus ſeptem. 115
Poſtulationum confirmatio. 744

Præceptoriæ

Quæ per Papam ſint reſervatæ. 398

Præfectus.

Brevium præfectus eſt Cardinalis, illius Salarium & munus. 499
Præfectus & Secretarius Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum. 702

Præſentatio.

Tempore elapſo jus ad Papam. 459
Præſes fori Capitolini, illius habitus. 786

Præſidens.

Cameræ præſidens, & ejus Officium. 548

Præ-

Præsidens Literarum Beneficialium vices gerit Summatoris. 573

Præsul vid. Episcopus.

Præsbytericidæ & mutilantes presbyteros puniuntur à jure. 264
Publicam agere debent pœnitentiam. 264
Et cum eo onere absolvendi sunt. 270
Presbyteri quando cœperint habere Diaconiam. 28
Est dignitas. 397
Reservatur. 346
Privilegia Cardinalium vid. Cardinales.
Prior Capitum Regionum eligitur à Papa, illius habitus & locus in Capella. 790
In illius Tribunali paucæ cognoscuntur causæ criminum. 788, 789

Processus

Contra Hæreticos à Denunciatoribus est inchoandus. 630
Processûs Copia danda Reo. 673. & 674

Procurator.

Procuratores contradictarum. 447
Eorum sunt 14. 376
Procuratores Auditorii Contradictarum vid. Contradict.
Procuratoris Fisci Officium & auctoritas. 556
Substituti. 557
Interest publicis Consistoriis. 557
Gratis introducere debet causas. 557
Non potest instituere examen nisi præsente Judice. 558
Procurator Fiscalis S. Officio præsentat libellum accusatorium vel articulos. 571
P. pauperum sunt duo, illorum Officium. 551

Locum habent in Congregatione visitationis Carceratorum. 552
Nil possunt accipere à Carceratis. ibid.
Procuratores pœnitentiariæ vid. pœnit.
Procuratorum in pœnitentiaria Officium.
Procuratorum Rotæ Officium. 586

Prodatarius

Est unus ex Cardinalibus, & ejus Officium. 316
Distinguitur à Datario. 315

Protonotarius.

Protonotarii quinam dicantur. 349
Protonotarii participantes sunt duodecim, eorum privilegia & habitus. 349 & 346
Protonotarii non participantes. 350
Eorum privilegia. 351. & seq.

Provisio.

Provisio nova quid. 474

Publicus.

Publicum delictum in pœnitentiaria. 203

Q.

Qualificatores propositionum quales sint. 612
Quatrini. 367

R.

Raptor separari debet ad tempus à rapta, ut valeat dispensatio. 465
Redditus Cardinalium ex Camera Apostolica. 42
Referendarii in Signatura gratiæ proponunt causas. 300
Quot sint Justitiæ & gratiæ. 310
Eorum qualitates & privilegia. 311

De

De Reformationibus ordinationes. 460
Regentis Cancellariæ munus circa Bullas 363
vid. Cancell.
Regentis pœnitentiariæ Officium. 182
Quomodo ſubſcribat ſupplicationibus. ibid.
Regiſtratores 20 in Dataria. 322
Eorum Officium. ibid.
Ante Regiſtrationem gratiæ papales non ſunt perfectæ. 413
Regiſtrari debent intra tres menſes. 575
Regiſtrationis praxis. 576

Regulæ.

Regulæ Cancellariæ vid. Cancellaria.
Regulis Cancellariæ non tenentur Cardinales. 41
De Regulis Cancellariæ producendis. 437

Regulares.

Mendicantes incapaces ſunt Beneficiorum. 477
Quando admitti poſſint ad parochias. 460
Regularum cauſæ ad quod Tribunal Romæ deferantur. 533

Rehabilitatio.

Rehabilitationis ad Beneficia obtinenda formula. 283
Rehabilitatio ad Beneficia obtinenda. 284

Religio.

Cauſæ commutandi votum Religionis. 220. 221
Religionis votum ſimplex commutari poteſt. 218
In quæ opera. 222
Contrahens cum voto ſimplici Religionis ſuſupervivens comparti tenetur voto. 218
De Religionis ingreſſu ordinationes. 463
Religionem ingredientis Beneficia quomodo vacent. 363

Re-

Religiosus.

Pro Religioso censuris innodato formula literarum in utroque foro valentium. 291
Religiosis in utroque foro gratia non conceditur nisi supplicante superiore. 243
In Religiosum exequitur Superior gratiam S. Pœnitentiariæ. 294
De literis Religiosorum Beneficia petentium expediendis. 457
De clausulis ponendis in literis Religiosorum. 477.
Religiosus petens Beneficium alterius Monasterii ad illud transferendus est. 478

Renunciatio.

Renunciationes Episcopatuum. 462

Reservatio Beneficior. vid. Benef.

Reservationes generales & speciales. 388. 389
Cui reservetur vacans vel vacaturus Episcopatus. 390
Reservatio Cathedralium Ecclesiarum & Monasteriorum. 390
Reservationis Beneficiorum extensio. 392
Reservatio Beneficiorum curialium. 400
Beneficiorum cubiculariorum & cursorum. 401
Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, S. Petri, Mariæ Majoris. 403
Reservantur tituli, Cardinalium absentium Beneficia. 403
Reservatio mensium Apostolicorum. 405
Hæc non concernit Germaniam. 408
Quare Reservet Papa Beneficia. 408. 409
Beneficia Scotiæ, Hispaniæ, Galliæ an reserventur. 411
Reservationes Beneficiorum morte Pontificis exspirant. 411. 412

Reservatio facultatum concessarum. 420
Per reservatum Beneficium quid intelligatur. 450
Reservati Beneficii impetratio nulla est tacitâ annali possessione. 450

Reservatio Dignitatum.

Reservatio Beneficiorum vacantium Sede vacante. 489
Pro Reservatis quæ pœnitentia imponenda. 209
Residentia Cardinalium. 43
De Resignationum consensu ordinatio. 461
Resignantis Consensus. 462
Resignatio in manibus Papæ vel Cancellariæ. 461, 462
Resignatio in favorem primi valida est. 462
Resignantis Juramentum. 462
Revalidatio Literarum prædecessoris infra annum concessarum. 416
Revisores duo sunt in Dataria. 320
Revisoris Dispensationum matrimonialium Officium. 321

Revocatio

Unionum. 418
Revocatio facultatum conferendi Beneficia reservata. 420
Reus vid. Inquisitio S. Officii.
Rituum Congregatio vid. Congregatio.

Rocchettum

Est insigne Episcopatûs. 146

Rota Romana

Quid sit. 579
Unde sic appelletur. ibid.
Ejus origo. 579
Rotæ Auditores vid. Auditores.

Auditores Rotæ nil ultra taxam accipiunt. 584
A Rota non datur appellatio vid. appellatio.
Rotæ Decanus vid. Decanus.
Rotæ deciſiones vid. deciſiones.

S.

Sacriſtæ Officium tempore electionis. 102

Scriptores.

Scriptores Archivii. 347
Scriptorum Apoſtolorum Collegium. 346
Scriptorum minoris gratiæ officium & numerus. 346

Scrutinium & Scrutatores.

Illius auctor. 101
Scrutinii Schedula qualis & quanta. 104
Exemplar Schedulæ. 105
Ad Scrutinium requiſita. 101
Scrutatorum extractio quomodo fiat. 108
Eorum Officium. 120
Scrutinium continet tria, ante ſcrutinium, Scrutinium, & poſt Scrutinium. 103
Scrutinii actus octo. 111
Delatio Schedulæ, præſtatio juramenti, poſitio Schedulæ in Calicem. 111
Schedularum mixtio. 113
Numeratio. 114
Scrutinii publicatio. 114
Schedularum in filum inſertio. 115
Schedularum depoſitio ſeorſum. 115
Schedulæ acceſſus & Scrutinii exemplum. 119
Quomodo Schedulæ Scrutinii comburantur. 121
Scutiferi Cancellariæ. 347
Scutum antiquum & novum. 371
Scutum auri. 368

Secretaria.

De Secretaria Apostolica. 495 & 510
In ea gratia & Justitia conceditur. 497
Olim eam constituebant Secretarii expedientes literas nomine Pontificis. 497

Secretarius

S. Collegii Clericus Italus, ejus habitus, Officium, reditus. 47. 48
S. Collegii Clericus Nationalis, ejus habitus, Officium, reditus. ibid.
Collegii Secretariorum Papæ quis auctor. 498
Secretarius Brevium quis, ejus Officium. 499. 507
Secretarii Papæ emunt Officia & percipiunt emolumenta ex Brevibus. 498
Secretarius Cifrarum. 507
Secretarii rerum forensium Officium. 508
Secretarii S. Inquisitionis Officium. 655
Secretarii memorialium Officium. 509
Secretarius status, ejus Officium & adjutores. 506
Secretarius visitationis Apostolicæ vid. Congreg. visitationis.

Sedes vacans.

Sede vacante regunt Cardinales. 370
Et admittunt Legatos Principum. 805
Sigillatores Pœnitentiariæ vid. pœnitent.
Sigilla franguntur mortuo Pontifice. 72
Signator Cardinalis. 304

Signatura gratiæ 297

Quando & ubi habeatur, quis auctor, præses, membra. 298
Officiales Signaturæ gratiæ. 298
In Signatura gratiæ quis habitus Pontificis, qui Assessores. 299
Signaturæ causas decernit Pontifex. 300
Quæ commissiones proponantur in Signatura gratiæ. 301.

Rejecta in Signatura justitiæ non proponuntur in Signatura gratiæ. 301
Signaturæ gratiæ post Pontificē præest Cardinal. 302
Signatura justitiæ. quæ ad hanc referantur.
Quis illius præfectus. 303
Quando & ubi habeatur. 304
Quæ membra, quis ordo Sessionis. 304
In Signatura Justitiæ Prælatorum vota sunt arctativa. 305
Quomodo causæ hic proponantur. 306
Præfectus quis. 303
Ejus Officium & Salarium. 307
Quomodo decidat. ibid.
Quinam subsint Signaturæ Justitiæ. 309
In prima Signatura scribit Pontifex *fiat ut petitur*, in secunda *Fiat*. 327
Prior impetrans in Signatura præfertur posteriori. 448
Signatura per fiat præferenda est alteri per Concessum. ibid.

Simonia.

Pro Simoniaco Sacerdote occulto literæ absolutionis Dispensationis & rehabilitationis. 280
In Simonia occulta Dispensantis & absolventis formula. 282
Circa Simoniæ occultæ absolutionē examinanda 282
Solidus. 368
Sollicitatorum Præfectus. 346
Sterlingorum libra in Scotia & Anglia. 369

Sub-Datarius

Subest Datario. 318
Ejus Officium. 319
Suffragiorum numeratio vid. Scrutinium.
Suffraganeorum deputatio. 744

Sum-

Summatoris Cameræ vel Summiſtæ
Habitatio, Officium, Privilegia. §72. 573
Supplicationes cur Pontifex ſubſignet nomine proprio, literas nomine aſſumpto. 326
Surrogatio quid ſit. 440
De ſurrogandis collitigantibus Regula. 439
Surrogationis reſcriptum. 440

T.

Taxa Cancellariæ videtur conſtituta Avinione 348

Teſtamentum.

In Teſtamentis Cardinales non ſervant ſolemnia. 42

Teſtes

In Denunciatione Hæreticorũ examinantur. 641. 644
Si teſtes ſint varii & contrarii incarcerari poſſunt. 672
Teſtium primæ depoſitioni ſtandum. 673
Theſaurarius Cameræ quis. 523
Ejus Dignitas. §46. 776
Habet Domi ſuæ Congregationem. §46
Officium quanti ematur, quantum proferat, quando vacet. §44, §45, 546
Officium ejus olim. 543
Privilegia. 547
Theſaurarius quotuplex. §44
Theſaurarius S. Officii vid. Congreg. Officii.

Tituli.

Titulorum Cardinalium numerus crevit. 23
Presbyterorum tituli quot ſint. 24, & 25
Titulus presbyterialis ſupernumerarius unus. 27
Tituli ſæculares Dominorum ſub forma Brevis conceduntur in Secretaria Apoſtolica. 500
Tonſuram Vicesgerens Papæ abſque dimiſſorialibus conferre nequit. 166

Tortura Carceratorum à S. Officio. 666

Tribunal

Cameræ vid. Camera.
Tribunal universalis Inquisitionis quare institutum & quid examinet. 618. & seq.

V.

Vaticana.

Vaticana Basilica quando restaurari cœperit. 723
Valor Beneficiorum vid. Beneficia.
Vestis & Vestitus vid. Habitus.
Vestitus Pontificalis. 124
Vicarius Papæ. 49
Officiū ejus antiquum, Tribunal habet propriū. 161
Vicarii Officium ab Episcopis ad Cardinales translatum. 162
Ejus dignitas & jurisdictio. 162. & 163
A Jurisdictione ipsius exempti non sunt Cardinales. 164
Quas causas cognoscat. 165
Confert Beneficia. ibid.
Committuntur illi omnia Pontificalia. 165
Sine dimissorialibus non potest dare primam Tonsuram. 166
Tribunal ipsius quos habeat Officiales. 167
Quando & quo ordine habeatur. 167. & 168
Vicarius Generalis S. Officii, ejus ætas, à quo confirmetur, ejus potestas. 610. 611
Vice-Camerarius vid. Gubernator. 537

Vice-Cancellarius

S. Collegii ex quibus eligatur. 49
Cur Cardinales dicantur Vice-Cancellarii 338

Vice-

Vice-Cancellarii Papæ Officium. 146. 339. 588
Ejus Titulus. 340
Potestas ejus. 493

Vicegerens.

Vicegerentis Officium. 166. 719. 741

Visitatio Apostolica.

Ejus institutores, facultates, Officiales, potestas vid. Congregatio Visit. Apost. à 739. ad 743
Visitatores Apostolici Cardinales possunt exercere Pontificalia. 742
Uncia auri in Camera. 371
An omnes Unionis species sub voce Unionis comprehendantur. 419

Universitas

Pro Universitate studii Romani Congregatio Cardinalium. 756
Universitatis Studii Romani curam habet Camerarius. 758

Votum

Vota Cameralium nemini revelanda. 569
Voti Castitatis commutatio. 225. & 227. & 228
Voti Castitatis dispensatio. 189
Commutatio voti simplicis Castitatis & Religionis simul. 228
Voti peregrinationum commutatio. 228
Vota peregrinationis Pontifici reservata sunt tria 229
A voto simplici Religionis absolutio. 214. 215
Absolutus à voto simplici Religionis tenetur Voto cessante causâ. 214
Voti Religionis dilatio 211. 212
Voti simplicis Religionis dilatio. 214
Cum voto Religionis contrahens Matrimonium peccat. 215
Voti Religionis transgressio. 215. 216

MENDA		EMENDA.
Pag.	lin.	lege.
17	1	Atque in / Atque est in
65	17	Electo ine jus / Electo in ejus
81	6	pontificæ / pontificiæ
82	2	Cmentarius / Cæmentarius
83	4	concerrentes / concernentes
96	1	56 / 96
101	11	ægroris / ægrotis
102	17	Basilienſis / Basileenſis
130	11	Diviſianes / Diviſiones
129	1	128 / 129
138	13	Animum / Annum
139	7	Tontorem / Tonſorem
143	16	Hoſpicium / Hoſpitium
164	13	ſicus / ſecus.
185	3	ſupplicatines / ſupplicationes
205	9	Sacramennali / Sacramentali
219	17	valeaa / valeas
253	1	præcedente / præcente adulterio
257	18	etim / etiam
267	17	contntus / contentus
267	x	nandum / nondum
272	19	literæa / literæ à
275	4	hæredebus / hæredibus
281	26	ſuffragentibus / ſuffragantibus
282	15	Abſolutione / Abſolutionem
289	17	talem / tamen
290	ult.	œnitentia / pœnitentia
301	24	rejecta / rejectæ
311	22	Lacticineis / Lacticiniis
314		296 / 314
318	19	eligandis / eligendis
323	9	calceo / calce
330	7	titulas / titulos
334	3	ſeriniarii / ſcriniarii
334	24	Amydonius / Amydineus

MEN-

	MENDA		EMENDA.
pag.	lin.		lege.
389	7	vocaturi	vacaturi
395	2	auctoritace	auctoritate
417	pen	orationibus	oratoribus
417	pen	concedendis	concedentis
418	10	invicum	invicem
420	7	noluit	voluit
428	21	Parochiarum	Parochianorum
442	3	ſúmmi	ſumi
453	7	cummendæ	commendæ
457	15	reſignationis	reſignationis
459	pen	ſole	folet
462		452	462
463		453	463
467	9	atate	ætate
477	16	executores	executores
491	ult.	tenores	tenore
502	1	ptimus	primus
510	11	Pontificiis	Pontificis
519		516	519
520	1	quaſt.	quæſt.
520	14	translatum	translatam
577	8	quod	quot
599	26	Hæred.	Hæret.
611	22	de de	de
642	1	praxit	praxis
643	24	quantoque	quandoque
660	ult.	aliquid	aliqua
676	15	eiisdem	eisdem
680	7	Tridentino	Tridentina
682	1	in in abſtracto	in abſtracto
682	ult.	more	mores
689	7	tantum	tantam
689	pen	Ego	ergo
694	21	inſtituto	inſtitutor
697	24	libeli	libelli

MEN-

MENDA			EMENDA. lege.
pa.	lin.		
703	17	in formam	in forma
707	20	Potificis	Pontificis
719	15	pecularem	peculiarem
722	19	8	9
727	20	factæ	factæ
730	14	universi etiam ordin.	universi ordinis
731	26	orientur	orirentur
733	12	pecularem	peculiarem
736	25	pecularem	peculiarem
749	2	causis	causas
776	6	cotroversiæ	controversiæ
781	1	cauceratorum	carceratorum.

Cætera benevolus Lector facile corriget.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN